






Digitized by Google


Digitized by Google

~~1922~~

$12^{-2} = 1,002$

Digitized by Google

FCC
14599 27
In 2t

I-705

Digitized by Google

Digitized by Google

# HISTORIA
## ECCLESIÆ
# LUSITANÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

# HISTORIA ECCLESIÆ LUSITANÆ

4599


*Per ſingula ſæcula ab Euangelio promulgato:*

AUCTORE

D. THOMA AB INCARNATIONE

Canonico Regulari Lateranenſi Congregationis Reformatæ S. Crucis, in Academia Pontificia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſore publico, & Doctore Theologo Colimbrienſi.

TOMUS II.



COLIMBRIÆ: MDCCLX.

Ex Prælo Academiæ Pontificiæ.

*Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# EMINENTISSIMO,
AC
# REVERENDISSIMO
DOMINO
# D. FRANCISCO
## DE SALDANHA,

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali,
Patriarchæ Olysiponensi Amplissimo,
A Consiliis Status.

*Quodnam pretium operi huicce facturus eram,* EMINENTISSIME DOMINE, CARDINALIS AMPLISSIME, *nisi Eminentia Tua illud ad eam eveheret amplitudinem, & Te*



Digitized by Google

*Mecenate inſcripto haberetur plurimi, quod ex ſui Auctoris merito nihili foret. Optimum quidem, ac valde optimum mente concepi, cum his Luſitanæ Eccleſiæ antiquitatibus edendis manum admovi, ut Tibi commendarem, Tuaque ſub auſpicatiſſima Nomenclatura in lucem adferrem, quod nunc ut exequerer, non publicæ tantum, ſed privatæ quoque, ac ſane graves rationes perpulerunt. Sine, ad Eminentiſſimum Tuæ Sedis Tribunal accedant illius annales Eccleſiæ, cujus inter ceteros Præſules Infulatos eminentiorem locum occupas, & ii, Te præſente, ſuarum poteſtatum, ac jurium ornamenta exuere non erubeſcunt. Nec erubeſcent umquam, ſi Tua eximia intueantur merita, ex quibus Potentiſſimus, ac Fideliſſimus Rex noſter Dominus* D. JOSEPHUS I. *omnium, quos Luſitania id temporis vidit Clariſſimos Viros, digniſſimum Te cenſuit, quem Sanctiſſimus* D. BENEDICTUS XIV. *ad ſacrum Purpuratorum Patrum Senatum eveheret, indeque ad Patriarchalem Olyſiponenſis Eccleſiæ Sedem adſumereris. Non dignitatem, & decorem*



Digitized by Google

*Purpura, aut Infula Tibi contulit, ſed Purpuram, & Infulam digniorem, fulgentioremque reddidiſti; & eo felicior quod ipſemet Auguſtiſſimus Rex prope ſolium ſuum Te adſciverit ab ore Tuo prudentiſſima de regni rebus conſilia auditurus. Humanitate jam Tibi feliciter Urbis Regiæ populos devinxeras, æquitate Proceres: animi tandem celſitudine, & ad res ſublimes innata capacitate Regem ipſum primoribus Regiæ Poteſtatis Adminiſtris numeratus feliciſſime promeruiſti. Luſitaniæ invidebit Roma, quod à ſua Curia Integerrimus abſis Purpuratus.*

*Sine, Bibliothecam Tuam ingrediatur earum rerum opus, quarum non tam ſtudioſum Te mirati ſunt omnes, quam quæ jure ſuo Tuum Patrocinium expoſcunt. Eccleſiam Luſitanam Tibi debuiſſe, ſi non ortum, certe incrementum, norunt omnes qui anteacta patriæ monumenta evolvere cogitarunt. Barbarorum impetu exagitatam, octavo decurrente ſæculo, ſplendorem amiſiſſe ſuum, colorem mutaſſe optimum, quo non minus, ac reliquæ Occidentis, Orientiſve, efulſerat, no-*



Digitized by Google

ſtrum omnium memoriæ poſterorum tradide-runt præteritarum rerum Æſtimatores. Illuſtriſſimos tamen Gentis Tuæ Proceres eandem liberaſſe, Maurorum impietatem profligaſſe, Chriſtianorum jura omnino everſa recuperaſſe teſtati ſunt ipſi; nec ſine Tuorum Maiorum diſpendio præterirent. Non recordor veteres Legionenſes Reges, ac Principes, quorum ſanguis ex Ximena Froilæ Regis Filia per Tuarum venarum canales uberrimus excurrit, qui, agminibus ſæpe compoſitis, ſteterunt in acie jura, & Eccleſiæ Fidem aut ampliaturi, aut vindicaturi.

Sat eſt meminiſſe quo debito obſtricta ſit celeberrimo Viro Bernardo de Carpio antiquiſſimæ Saldaniarum Gentis Parenti Maximo, cujus unius virtus maxime emicuit bellis omnibus, quæ ea tempeſtate pro Fide gerebantur. Vir ille maximis quidem comparandus, ſi fortuna virtuti reſpondiſſet; aſt ea, quæ fortuna inſperata, & non virtus Bernardo illi eripuit, fortuna ſimul & virtus nepotibus ſuis, Maioribus ſcilicet, & Proavis Tuis reſtituit; quos non tantum utriuſque



Digitized by Google

*Hiſpaniæ Eccleſia, verum & quæ longe, lateque diffunditur in Africa, India, & America ſtrenuiſimos Viros ſuæ Fidei acerrimos Vindices, & Cultores Saldanhas, Gamas, & Albuquerques fatetur, prædicat, ac extollit. Infinitus propemodum forem ſi ſingula tot Heroum nomina contexerem, qui immortalitate pleni per omnium ora, ac memoriam divagantur. Quæ copioſa, & fœcunda laudationis materies! Quæ feraciſſima præconiorum ſeges!*

*Hæc Tui debiti Patrocinii erga Luſitanæ Eccleſiæ Hiſtoriam ſunt publica monumenta; ſed alia inſuper cauſa ſe ſuggerit, quæ volumen iſtud,* **PRINCEPS EMINENTISSIME**, *ut Tibi nuncuparem me impellit. In Canonicorum Regularium Congregatione opus laboratum, cujus Mecenatis præſidio illuſtriori publicum fieret, inſignireturque niſi Tuo? De Te enim Canonici noſtri ita meriti ſunt, ut in Confratrem ſuum omni ævo deſiderandum exultabundi adſcriberent. Neſcio an ii magis Fratrem, quam Protectorem Te diligant; utrumque ſcio in Te ab omnibus di-*



Digitized by Google

ligi. Ista igitur Congregatio multiplici de causa Tibi strictissimo amoris vinculo devincta in filii sui hujus operis Auctoris præsidium exigit, & clamat, ac per Illustrissimum suum Præsulem Generalem D. Franciscum ab Annuntiatione ex Tuo regio sanguine etiam formatum impetrabit: nec hujus, nec omnium nostrum desideria recusabis: mereri enim hanc a Te gratiam posse videmur: annuet humanus ille Tuus in literatos omnes animus, in nos quidem propensior. Facies sane si is es, qui esse soles, Humanissimus, æqui Amantissimus, strenuus rerum nobilium Assertor, ac Vindex. Quantum dignitatis, ac celebritatis ex Tuis Auspiciis nobis omnibus comparatur, tantum præsidii ex Tua Auctoritate huicce operi accessurum confido. Id itaque quantulumcumque est laboris, quod Tuo meritissimo Nomine ornari permittis, uti pro Tua indulgentia non tantum æqui, ac boni, quæso, ducas, ac tuearis, verum & simul ejus Auctorem, universamque ipsius Congregationem Tibi tot titulis devinctissimam in Tuum Patrocinium adsciscas, & pro Tua



Digitized by Google

*incolumitate vota ex intimis cordibus perſolvere non deſinemus in Romanæ, Luſitanæque Eccleſiæ decus, ac ornamentum longe maximum; & niſi vota modum excederent, æternum ſoſpitaremus.*

**Humillimus Servus.**

D. THOMAS AB INCARNATIONE.
*Canonicus Regularis.*



Digitized by Google

# FACULTAS ORDINIS.

DOmnus Franciſcus ab Annuntiatione a Conſiliis Regiæ Majeſtatis, Prior Monaſterii S. Crucis, Generalis Canonicorum Regularium Lateranenſium per Luſitaniam, Antiſtes in ſuo Territorio exempto nullius Diœceſis, cum juriſdictione quaſi Epiſcopali immediata Sedi Apoſtolicæ, Cancellarius Academiæ Colimbrienſis &c.

Facultatem facimus, ut opus Hiſtoriæ Eccleſiæ Luſitanæ a D. Thoma ab Incarnatione Canonico Regulari Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſore publico compoſitum, & ab ejuſdem Congregationis Canonicis doctis approbatum typis mandetur, in cujus rei teſtimonium hujuſmodi literas dedimus Congregationis ſigillo munitas. Ulyſipone in Regio Monaſterio S. Vincentii die prima Februarii anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo.

D. FRANCISCUS AB ANNUNTIATIONE.
*Prior Generalis Cancellarius.*

D. EMMANUEL AB ANNUNTIATIONE
*Collega Secretarius.*

---

# FACULDADE DA ACADEMIA LITURGICA PONTIFICIA.

LEmos, e examinamos o ſegundo volume da Hiſtoria da Igreja de Portugal, e por nos parecer digno de publico damos faculdade para ſe imprimir. Coimbra 20. de Fevereiro de 1760.

D. Bernardo da Annunciaçaõ
*Lente dos Sagrados Ritos.*

Jozè Correa de Mello
*Cenſor.*
Manoel de S. Bernardo Evangeliſta
*Cenſor.*
Fr. Bernardo Antonio do Valle
*Cenſor.*



Digitized by Google

# LICENÇAS DO S. OFFICIO.

*Judicium R. P. M. ac D. Fr. Joachim a S. Anna Eremitæ D. Pauli, S. Officii Cenſoris, & Academiæ Pontificiæ Socii.*

SERENISSIME DOMINE.

TOmus ſecundus Hiſtoriæ Eccleſiæ Luſitanæ a P. D. Thoma ab Incarnatione Canonico Regulari conſcriptus, quem V. Celſitas mihi ponderandum commiſit, fidem in nihilo, moreſve offendit; quapropter luce publica dignum cenſeo, & judico. Lisbonæ in Conventu Eremitarum S. Pauli die 5. Aprilis anno Domini 1760.

*Fr. Joachim de S. Anna.*

*Judicium R. P. M. F. Antonii Cogominho Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, S. Officii Cenſoris.*

SERENISSIME DOMINE.

EX quo enim eruditiſſimus Doctor, pariterque ſapientiſſimus D. Thomas ab Incarnatione Canonicus Regularis Lateranenſis ſacræ reformatæ Congregationis S. Crucis hujus ordine ſecundi libri Auctor, primo utpote ſapidiſſimo ferculo lectorum invitavit palatum, excitavit guſtum, non amor compreſſus edendi; famelicus potius repetitos inhians expectabat cibos litteratus orbis. Novam tamen & hic excitabit famem inſatiabilem donec univerſa Luſitana expleatur Hiſtoria. Hoc unum deerat Liturgicæ Academiæ, quod non ſolum verba, ſed facta ſacram teſtarentur doctrinam. Utrique ſatisfacit utriuſque Magiſter; illuſtrium enim Prælatorum comprobat exemplis, altaria non modo cultu ſacro, ſed inculpatis Pontificum exornari moribus oportere. Neutrum deſiderabitur Prælatorum relegenti vitas, Liturgiæ edicenti lectiones. Prodeat ergo in lucem liber hic qui publicam au-



Digitized by Google

gebit lucem, & fidei cultu ſacro, & morum ſanis exemplis. Sic cenceo; lubens tamen integerrimo, ac perſpicaciſſimo Celſitudinis Veſtræ judicio me ſubmitto. In Conventu Gratiarum Matris die 12. Maii 1760.

*Fr. Antonius Cogominho.*

VIſtas as informaçoẽs, podeſe imprimir o livro de que ſe faz menção, e depois voltará conferido para ſe dar licença, que corra, ſem a qual naõ correrá. Lisboa no Paço de Palhavaã 10. de Junho de 1760.

*Trigozo. Sylveiro Lobo. Mello.*

---

# DO ORDINARIO.

*Judicium R. P. M. ac Doct. D. Michaelis ab Incarnatione Canonici Regularis.*

EXCELLENTISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE.

JUſſibus tuis acceptis, ſecundum Tomum Hiſtoriæ Eccleſiæ Luſitanæ perlegi; cum in eo omnia a ſuo Auctore perquam diligenter ſelecta, Eccleſiæ utilia, & Orthodoxæ doctrinæ conformia deprehenderim, in lucem publicam prodire judico. Collimbriæ in Regio Sanctæ Crucis Monaſterio pridie Idus Junii anno 1760.

*D. Michael ab Incarnatione.*

POde-ſe imprimir, e depois de impreſſo torne para ſe conferir. Coimbra 13. de Junho 1760.

*Biſpo Conde.*



Digitized by Google

# DO PAÇO.

*Cenſura de Diogo Barboza Machado Socio do numero da Academia Real, e da Liturgica Pontificia.*

SENHOR.

SEria criminoſa irreverentia, que ordenando-me V. Mageſtade na lingua Portugueza o exame deſta Obra, lhe reſpondeſſe ao ſeu ſoberano preceito em a lingua Latina, quando eſta por eſtar já morta, e aquella viva logra a glorioſa vaidade de ſer fiel interprete das vozes comque V. Mageſtade he obedecido nas quatro partes do mundo. Obrigado deſte dictame confeſſo ingenuamente a V. Mageſtade, que eſta Obra he taõ digna do applauſo univerſal pela ſua materia, como por ſeu Author. A materia he a mais illuſtre, e a mais honorifica para o Reino, pois conſta da ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica deduzida deſde a promulgaçaõ do Euangelho athe o tempo prezente, de cuja laborioſa empreza he eſte o ſegundo Tomo, que privou de unico ao primeiro. O Author depois de ſer laureado com as inſignias doutoraes na Athenas Conimbricenſe ſubio a ſer Cathedratico da Hiſtoria Eccleſiaſtica da Academia Liturgica Pontificia, da qual ſou indigno Collega, onde moſtrou a grande capacidade de que o dotara a natureza ſoccorrida de profundo eſtudo para ſuſtentar maquina taõ ſublime. He inexplicavel o trabalho que applicou o ſeu infatigavel diſvelo para a conſtruçaõ do grande edificio, pois para lhe eſtabelecer ſolidamente os fundamentos, entrou como o engenhoſo Dedalo guiado do fio do ſeu diſcurſo pelo confuſo Labyrinto dos Archivos, e Cartorios para computar annos, fixar Epocas, e emendar Anacroniſmos. Com eſcrupuloſa imparcialidade relata os ſucceſſos acontecidos na diuturna carreira de tantos ſeculos, ſendo taõ puro na verdade com que os relata, como na fraze comque os explica. Nem o amor da



Digitized by Google

patria lhe move a penna para lhe arrojar glorias por ſer taõ abundante das proprias, e regulandoſe pela Critica judicioſa ſegue o certo, exclue o duvidoſo, e abomina o falſo. Athe agora ſe jactavaõ França, e Italia com os Alexandres, Caliers, e Orſis Corifeos da Hiſtoria Eccleſiaſtica; porem depois que ſahio a do Reino ſe pode gloriar virtuoſamente ſeu Author que lhes diminuio o applauſo que logravaõ na Republica Litteraria. Publiqueſe pois a Hiſtoria para immortal credito de Portugal, e juntamente eterna fama do ſeu Author. Eſte he o meu parecer, que ſerá judicioſo, merecendo o beneplacito de V. Mageſtade. Lisboa 14. de Agoſto de 1760.

*Diogo Barboza Machado.*

QUe ſe poſſa imprimir viſtas as licenças do S. Officio, e Ordinario, e depois de impreſſo tornará á Meza conferido para ſe taxar, e dar licença que corra ſem a qual naõ correrá. Lisboa 22. de Agoſto de 1760.

*Conde P. Carvalho. Emaus. D. Velho. Caſtello.*



Digitized by Google

# PROLUSIO AUCTORIS.

## *Ad Auditores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in Academia Pontificia.*

FErvida quidem, ac diligenti indole, credo, exſpectatis, Clariſſimi, ac Religioſiſſimi Juvenes, Luſitanæ Eccleſiæ antiquitates, quæ per quinque alia obvenerunt ſæcula, ſecundo volumine ſtatim ſequuturas. Veſtrûm omnium animos ſtudium, cupiditas rei novæ alios non ſolum alliciet, ſed impellet. En vobis deſideratos labores meos, ac meum ſtudium; nec ob oculos aliud habere patior, quam omniû veſtrûm profectum, qui inter ſcientiarum latices recreati nihil magis eſſe cordi meditamini, quam quæ habentur maxima, & utilitatis publicæ potiorem partem ſolent adimplere. Maiores noſtros hujus Regii Monaſterii Canonicos apprime exprimitis, ac eorum ex aſſe eſtis veri hæredes dum priſtinorum ſæculorum eventus ſcire, & ſcribere viribus omnibus molimini. Sæpe ſæpius fateor me eorum ſtudia, vehementemque præteritarum rerum ſolicitudinem demirari, cum manuſcriptorum Codicum Bibliothecam, & archivum adeo ipſorum pulverem excuſſurus. Pretioſam hanc ſupellectilem a ſexcentis ferme annis quis plurimi non faciat, unde noſtrarum provinciarum mores, ritus, ac ceteræ vetuſtates, clariori luce monſtrantur? Literarum characteres legere, & agnoſcere aliquando equidem tædet, animus deficit, mens fatigatur, oculi, quaſi amiſſo lumine, tenebrantur.

Sed veſtræ utilitati, & omnium publicæ conſulens quis tædio non parcat? animum, & mentem fatigari non ſinat? laborem ſedulus non patiatur? Ad opus iſtud publici juris conficiendum prædicta Bibliotheca, & archivum ex vetuſtiſſimis Breviariis, & aliis membranis veteri literarum forma, & latinitate barbara conſcriptis ſuppeditavit plurima; & eo plurima ſuppeditabit, cum ſæculo duodecimo res per Luſitaniam clare geſtas inceperim, & quæ poſterioribus memoratu dignæ extitere, nec prælo extortæ in lucem adhuc primam



Digitized by Google

prodiere. Id scitis rem totam de Ecclesiæ Lusitanæ antiquitate per alia quinque sæcula usque ad undecimum hoc secundo volumine terminari. Ast vereor ne me multa sapientiores forte judicent levius perstrinxisse. Ea est scriptorum fortuna, ut diversas, adversasque hominum opiniones, aut potius querelas, sedare impellantur.

Verum hoc sibi esset persuasum malim longe antiquius, diuque desideratum mihi esse, ut sua mihi tribuerent, unde discerem: quam ut mea, quæ non possunt esse nisi tenuissima, ac imbecillima, cõunicarem. Ecclesiasticæ nostrarum provinciarum rei aliquid conducens non prætermisi, earum antiquitatem de Episcopis, de Conciliis, de Romani Pontificis jure, de Regibus, de Viris Illustrioribus, & de erroribus ante Maurorum ingressum delibavi omnem; longe plura fateor attingere potuisse, si Hieronymi Romani de la Higuera, Antonii Lupiani Zapatæ, Gregorii de Argaes, aliorumque male seriatorum hominum figlinam ingrederer, eorumque fabulas non respuerem, & abhorrerem. Videbitis Ecclesiam istam prisci moris retinentissimis locupletatam Episcopis, Regum Catholicorum pietate eximia indies coalescentem; erga Apostolicam Sedem obsequio insignem, & omnium celeberrimam. Videbitis quoque Lusitaniam cum reliquis Hispaniarum provinciis Saracenorum jugo mancipatam, & in tot malignantium barbarorum rabie Lusitanorum animos suæ Christianæ Religionis cultores, ac vindices strenuissimos, suos ritus, templa, ac Sacerdotium observantes, pro fideque tuenda carcerum ærumnas sustinere, & sanguinem profundere gloriantes. Exultabitis tandem ad patriam vestram, jam Arabum jacente, & contrito dominio, restauratam, fide, legibus, armisque florentem, suis proprijs Regibus obtemperantem; sine jugo, sine famulatu, sine servitute. Restat nunc ut vos orem ne mihi vertatis vitio, siquid aut exscriptoris, aut Typographi negligentia elapsum in hoc opere offenderitis. Hujusmodi siquæ occurrerint, castigate, & corrigite, ac de vestrûm omnium, quam semper experimento didici, erga me benevolentia gratulabor. Faxit Deus, & ejus Mater Academiæ Protectrix. Valete.

# INDEX CAPITUM.

## SÆCULO VII.


CAPUT I. *De Episcopis.* pag. 21
CAP. II. *De Primatu Romani Pontificis per Lusitaniam.* pag. 23.
CAP. III. *De Conciliis.* pag. 26.
CAP. IV. *Hispaniarum Concilia non erant regni Comitia.* pag. 86.
CAP. V. *De Regibus Lusitaniæ.* pag. 91.
CAP. VI. *De Officiis Palatinis Gothorum.* pag. 103.
CAP. VII. *De Legibus, quibus parebat Lusitania.* pag. 108.
CAP. VIII. *De Monachis, & Monialibus.* pag. 110.
CAP. IX. *De Viris Lusitaniæ, quorum memoria sæculo 7. extat.* pag. 119.


## SÆCULO VIII. & IX.


CAP. I. *De Lusitaniæ Episcopis.* pag. 121.
CAP. II. *Lucensis, ac Ovetensis Ecclesia Lusitaniæ Metropoles* pag. 130.
CAP. III. *Romani Pontificis Primatus per Lusitaniam.* pag. 132.
CAP. IV. *De Lusitaniæ Regibus.* pag. 133.
CAP. V. *De Lusitanis, qui in Maurorum persecutione martyrium passi sunt.* pag. 148.
CAP. VI. *De Viris sapientia Illustrioribus Lusitaniæ.* pag. 152.
CAP. VII. *De Erroribus per Lusitaniam.* pag. 154.
CAP. VIII. *De Monachis.* pag. 158.
CAP. IX. *De supplicio ferri candentis per Lusitaniam.* pag. 162.


## SÆCULO X. & XI.


CAP. I. *De Episcopis Lusitaniæ.* pag. 164.
CAP. II. *Romani Pontificis Primatus.* pag. 178.




Digitized by Google

CAP. III. *De Conciliis.* pag. 186.
CAP. IV. *De Lusitaniæ Regibus.* pag. 190.
CAP. V. *De Serenissimo Comite D. Henrico Portugaliæ Domino.* pag. 209.
CAP. VI. *De Monasteriis Lusitaniæ.* pag. 226.
CAP. VII. *De Lusitaniæ Viris sanctitate clariores.* pag. 253.
CAP. VIII. *Canonicorum Regularium mores.* pag. 267.
CAP. IX. *De viris sapientia in Lusitania præclaris.* pag. 269.
CAP. X. *De Optimatibus, ac Ricis Hominibus.* pag. 271.
CAP. XI. *Characteres numerales quibus Lusitani veteres utebantur.* pag. 275.

Digitized by Google



# HISTORIA ECCLESIÆ LUSITANÆ.

## SECULI VII.

SUB Reccaredo Catholicorum res creverat, ut Arianis quaquaverſum exagitatis, vix in angulo ex iis quiſquam eſſet. Sanctiſſimi Epiſcopi aut in Conciliis, aut in ſuis Eccleſiis diſperſi mores, diſciplinam, ritus recuperabant; fidem, quæ ſub Leovigildo jam jam extinctam iri videbatur, firmabant. Non minus, & neſcio an mage Luſitaniæ felix præ ſexto id Eccleſiæ ſæculum, in quo tot Præſules Sanctiſſimi, tot Venerabilium Patrum conſeſſus, tot Reges Fidei ſtrenuiſſimi vindices & cultores, tot Illuſtres Viri,



Digitized by Google

quos sanctitas, & sapientia lactavit, ut Hispaniarum Ecclesiæ ad maximam adolescerent felicitatem.

# CAPUT I.
## *De Episcopis.*

### §. I.
### *De Episcopis Bracarensibus.*

PAntardum sæculo sexto exeunte Bracarensem rexisse Ecclesiam vidimus ex subscriptionibus Concilii Toletani tertii; quisnam Pantardo successerit inter meliores Criticos agitatum est. Illustrissimus Rodericus da Cunha post Pantardum Tolobei meminit, quem Marcus Maximus Bracaræ Præsulem fuisse scripsit; inde, abdicata sede, Monachorum institutum apud Liebanum sub Toribio Monacho Palentino devovisse. Fatetur tamen Illustrissimus Præsul se in catalogo Bracarensium Antistitum Tolobeum post Pantardum collocasse, licet nec tempus, quo certo viveret, nec successionis ordinem certum invenerit. Tolobeum fuisse Episcopum una est Hispanorum sententia, quamnam tamen sedem habuerit ipsis incertum: nec sæculo septimo floruisse opinor. Tolobeus, Episcopatu relicto, cum Sinobio Diacono, Eusebio, Eusostomo, & Josaso sub Toribio Monacho Magistro, Abbate, & Monasterii Liebani Fundatore vitam transegit. Toribius sæculo sexto ad medium claruit; extatque ad ipsum Epistola Montani Toletani Episcopi, qui anno 530. meritis plenus cum Patribus suis dormiit.

In Bracarensi Ecclesia post Pantardum Julianum sedisse vetera Toletana Concilia quartum, & sextum satis indicant, quibus judex interfuit, virtute, & sapientia clarus. De Manucino, & Panoratio, quos Illustrissimus Cunha post Julianum refert, sententiam non fero, cum Pseudo-Chronicorum Juliani, & Maximi præsidio fulciatur: ad Potamium venio dignum qui in pœnitentium exemplar

Digitized by Google

omnium medius collocetur. Bracaræ hic Metropolita anno 653. Concilio Toletano octavo adfuit; eodem anno coram Patribus Toleti etiam adunatis delictum ſuum palam fecit. Tractantibus Epiſcopis de Eccleſiaſticis regulis, conventui delatum eſt Epiſtolium confuſæ confeſſionis, & abolendæ ſubſcriptionis, quod Potamius de factis propriis, ſuiſque verbis annotarat, & articulis, quo reſerato, quid obliteranda pagina, & abolenda literarum panderent elementa, fletibus potius, quam ſermonibus lacrymoſa concio recenſuit. Tunc ſolitarium, ſecretoque adunati Pontifices adeſſe fecerunt, quem ſingultibus magis aggredientes, quam loquelis, reſeratam illi ſuæ deformitatis, & omnium confuſionis ſcripturam protulerunt: hanc accepit, & recurrit: ſciſcitantibus Patribus utrum ſui operis, & ſuæ annotationis denuntiatio eſſet, ille ſuum actum, ſuumque oris eloquium, ſuorum quoque digitorum eſſe robur aſſeruit, quod illico relegendo pervidit. Rurſus ſub divino nomine obteſtati ſunt, ut an de ſe ſponte mendacium diceret, aut alicujus violentia premeretur, & perterritus talia enarraret, indicaret. Qui mox flebili voce, oculiſque ploratu madentibus, & fragore ſingultuum cum unius Dei nominis juramento clamavit ſe & vere eadem mala de ſe confiteri, & ad hæc confitenda nulla ſe violentia prægravari. Unde etiam ferme per novem menſes ſponte deſeruiſſe Eccleſiæ ſuæ regimen, & ergaſtulo quodam pro admiſſo flagitio acturum pœnitentiam ſe concluſiſſe edixit. Tunc per fidelem ejus confeſſionem agnito, quod tactu fœmineo ſe maculaſſet, & declarato, licet veteres Canones ab honore illum dejicere ſtatuerent, miſerationis tamen jura ſervantes, honoris nomen, & titulum non abſtulerunt, quod ipſe ſibi ſui criminis confeſſione jam tulerat, ſed decreverunt perpetuæ pœnitentiæ inſervire officiis, & ærumnis; providentes melius illum per aſperam, & dumoſam ire pœnitentiæ ſolicitudinem, ut ad cœlum perveniret. Bone Deus! quanta tuæ pietatis in Potamio miracula! quid dignius omnium pœnitentiũ exemplar!

Digitized by Google

In Potamii locum Patres Fructuoſum ſuffecerunt, cujus nomen in Hiſpaniis percelebre erat. Fructuoſus ex regio Gothorum ſanguine, Patre duce, formatus, ſæculo derelicto, monaſticam, & privatam vitam ſuſcepit: ad Virgidunenſem tractum, quem Vierzum dicunt, perfectionis deſiderio ſolitudinem petiit, ibique ad Complutum ex ſuomet patrimonio Monaſterium ſub nomine Sanctorum Martyrum Juſti, & Paſtoris fundavit. Ea erat id temporis Abbatis Fructuoſi fama, ut plurimi ſub ejus præceptis Monachorum inſtitutum amplecterentur, & ipſius miraculorum multitudine permoti accederent. Aſt ne plurimorum ad eum venientium cauſa ſpiritus laxaretur, aliquando in ſolitudine ſe abdebat, ut ſolus Deo vacaret. Inde propter aſſiduam confluentium diſcipulorum multitudinem, quibus Complutenſe Monaſteriū ſuſtentandis impar erat, alia nova condidit, Ruſinianenſe ad montem aſperum, & incultum prope Vierzum, Viſumenſe in Gallæciæ finibus, & aliud Noné appellatum, in quibus Sanctiſſimi viri inſtructi ſunt, quorum plurimi Hiſpaniarum Eccleſias rexerunt. Apud Nonem commorabatur, cum Hieroſolymas petere loca ſancta viſendi ſtudio meditabatur. Unus ex diſcipulis, cui meditatum iter aperuerat, quantum Hiſpaniis detrimentum Fructuoſi abſentia adferret aſpiciens Recceſvinctum Regem certiorem fecit, qui ejus itineri eſſet impedimento. Rex earum partium Gubernatori juſſit, ut quam citius, & decentius Fructuoſum ad ſe mitteret: Regis mandatis Gubernator obtemperavit. Toletum accedens Fructuoſus a Rege meritis honoribus acceptus eſt; & ut Hiſpaniarum limitibus coerceretur, in locum Rechimiri Dumienſis Epiſcopi, qui obierat, illius ſedis Epiſcopus, Recceſvincto ipſo Rege poſtulante, fuit conſecratus; hinc anno 656. ad Bracarenſem Eccleſiam Toletani Patres in Concilio ejus urbis decimo tranſtulerunt. Quo tēpore Fructuoſus è vita exceſſit, incertum maxime: alii tradunt anno 668. alii anno 672. Hiſpaniarum Rege Wamba; Herrera tandem anno 670. In Monaſterio quod prope

Digitized by Google

Bracaram conſtruxerat, ſepultus eſt. Ejus reliquiæ poſt multum temporis ad Eccleſiam S. Jacobi Compoſtellam ſuerunt translatæ.

Illuſtriſſimus Cunha Fructuoſi in Epiſcopatu ſucceſſorem Quiricium fuiſſe tradit, qui poſtea in Toletanam Eccleſiam poſt S. Ildefonſi obitum advectus eſt; ſed ipſa temporum ratio in Bracarenſi Sede Quiricium non extitiſſe commonſtrat. Equidem Ildefonſo Toletano ſucceſſit Quiricius anno 667. cujus initio in Menſe Januarii Ildefonſus univerſæ carnis viam ingreſſus fuerat. Fructuoſus Ildefonſo ſupervixit; quamobrem in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Viris Illuſtribus ab Ildefonſo elaborato nulla de Fructuoſo extat memoria. Præterea ex Jepes, & Herrera Hiſpanicarum rerum ſedulis exploratoribus Quiricius ex Abbate ad Toletanam Sedem fuit aſſumptus. Fructuoſo Leodiciſium cognomento Julianum nullus dubito ſucceſſiſſe, qui Concilium anno 675. Bracaræ convocavit & præfuit: ex ipſius Concilii actis Leodiciſii integritas, virtus, diſciplinæque Eccleſiaſticæ reparandæ amor conſpicitur.

Illuſtriſſimus Rodericus fortaſſe Juliani cognomento deceptus Leodiciſium è Bracarenſi Eccleſia ad Toletanam poſt Quiricium eſſe translatum putat. Verum quam longe alius Toletanus Præſul Julianus Quiricii ſucceſſor a Leodiciſio Juliano Bracarenſi! Felix Urbis Regiæ Antiſtes ab Hiſpalenſi Sede in Concilio Toletano decimo ſexto illuc translatus Juliani Deceſſoris ſui vitam conſcripſit, nec Bracarenſis Eccleſiæ tanto Paſtore ditatæ, & moderatæ meminit. Quid dignius Scriptori Felici de Juliano referre opus erat, quam Bracarenſis Eccleſiæ regimen? utriuſque Eccleſiæ & Bracarenſis, & Toletanæ Metropoleos jura Julianum magis commendarent. Leodiciſius igitur in Bracarenſi Eccleſia dies finiit, & poſt ſe habuit ſucceſſorem Liuvam, qui anno 681. ab Ervigio Rege convocatus Concilio Toletano duodecimo interfuit, & ipſius acta firmavit. Liuva quanvis Canoni ſexto hujuſce Concilii nec diſ-

Digitized by Google

ſentiret, quo jus Toletano Antiſtiti probandi, & ordinandi omnes Hiſpaniarum Epiſcopos collatum erat, nec idcirco Primatui ſuæ Eccleſiæ derogare cenſendus eſt; jus appellationum a Metropolitanorum judiciis illi datum non fuit, quapropter nec Primatus fuit ei conceſſus ea ſignificatione, qua poſteriori ætate uſurparunt. De Bracarenſis Eccleſiæ Primatu ſuo loco diſſeremus. Toletano quoque decimo tertio anno 683. ſedit; & ad decimum quartum anno 684. Abbates Bonibam, & Recciſundum miſit ſuo loco ſubſcripturos.

Ex quo Toletano Concilio Liuva per Vicarium ſubſcripſit, plurimos annos non floruiſſe opinor, nam in Concilio Toletano 15. anno 688. Fauſtinus Bracaræ Metropolita quarto loco inter ceteros Metropolitas illuc Egicæ Regis juſſu confluentes judicavit. Anno 692. Sisbertus Toletanus Antiſtes de Gothorum primoribus ortus, rerum novarum ſtudio elatus, in Regis, ejuſque uxoris Liubigitonæ, ac filiorum capita conſpiraverat fortaſſe aliquam ſibi conjunctam ſanguine ad regium ſolium adlaturus. Detecta conſpiratione, in perduelles quoſdam animadvertit Rex, aliis tamen parcens: ſed de Sisberto judicium prolaturus, & propter Eccleſiæ diſciplinam Toletum 6. Nonas Maii anni 693. unum & ſexaginta ſuæ ditionis Epiſcopos advocavit Egica, inter quos Bracarenſis Fauſtinus claruit, & apud Regem, ceteroſque Præſules volitabat ejus fama, ut anathemate, depoſitione, bonorum omnium multa, & in exilium perpetuum damnato Sisberto, Felix Hiſpalenſis ad Toletanam Eccleſiam fuerit translatus, & Fauſtinus in locum Felicis Hiſpalenſis, & Felix Portugalenſis in Fauſtini ſedem cum Cleri, Populique conſenſu aſcenderit; iis enim temporibus nondum ſibi transferendorum Epiſcoporum jus reſervaverat Apoſtolica Sedes, ſed translationum hujuſmodi facultatem Nationalibus, & Provincialibus Conciliis permiſerat, quæ explorarent, an Eccleſiæ bono, & utilitati forent, & non privatorum commodis. Fauſtini in Hiſpalenſem Eccleſiam translatio Hiſpanienſibus Toletani

Digitized by Google

Primatus assertoribus adversus Bracarensem suppeditavit argumentum, veluti non tam Antistite Toletano, quam Hispalensi, ad cujus sedem ascenderat Faustinus, Bracarensis haberetur inferior. Per me Toletani obstrepant, modo aera tantum verberent. An quod Bracarenses Præsules aliquando ad Olysiponem fuere translati, Olysiponensis Cathedra Primatus dignitate, & antiquitate præ Bracara ducebatur? quamplurimos adferrem Episcopos a majoribus sedibus, & Archiepiscopatibus ad minores, & Episcopatus transmissos, nisi alibi de Bracarensi Primatu contenderem.

## §. II.
## *De Episcopis Emeritensibus.*

PRima die Novembris anno 605. Mausona Emeritensis Præsul virtutibus, & sapientia clarus obiit; ab universo Clero, Populo, Regeque annuente Mausonæ locum occupavit Innocentius origine Gothus, cujus virtutes, necnon sacrarum literarum peritia dignum fecerant, qui Mausonæ esset successor. Inter Diaconos ultimus erat constitutus cum ad Episcopatum evectus est. Ecclesiam, quam ejus Decessor moribus bene instruxerat, iisdem piissimis, ac sanctissimis amplificavit. Inter ceteras Hispaniarum Metropoles sub digniſſimis suis Præsulibus emicabat Emerita. Innocentii virtus, literæ, & consilium per omnium ora spargebantur. Gundemarus Rex Toletanum Antistitem super ceteros Provinciæ Carthaginensis jure Metropolitico cupiens exornare anno 611. Innocentiū ad Regiam Urbem advocavit, decretumque edidit de Metropolitico honore Toletano Antistiti referendo, cui Innocentius ipse subscripsit. Tantæ sanctitatis, tantæque compunctionis fuisse perhibetur Innocentius, ut quoties pluvia deerat, & æstu nimio terra longa siccitate exarebat, collecti in unum cives loci illius cum eodem per basilicas Sanctorum precibus Dominum exorantes pergerent; repente vero pluvia cœlitus largiflua tribuebatur, quæ pleniſſime terram satiaret:

Digitized by Google

unde non dubium erat, quod ejus lacrymæ ex tam humili ſupplicique mente eductæ ab Omnipotenti Deo non ſolum hæc, verum & potiora iis obtinere poſſent. Ejus memoriam nobis reliquit Paulus Diaconus Emeritenſis, tempus tamen, quo in Epiſcopatu vixit, tacuit.

In Innocentii locum ſubrogatus eſt Renovatus Gothorum familiæ ſplendore conſpicuus, ſtatura decorus, obtutu gratus, venuſto vultu, decora facie, nimiumque admirabilis aſpectu; ſed quanvis extrorſus habitus ſui gloria eſſet decoratus, introrſus Spiritus Sancti gratia pulchrior erat. In ſacris literis erat exercitatus, eas non ſine magno diſcipulorum, qui accedebant, profectu docebat: Emeritenſem Eccleſiam diu rexit. Hiſpani Hiſtoriographi illius vitam protrahunt ad annum uſque 632. aut 633. falluntur tamen, & ſatis evincuntur; nam in Concilio quarto Toletano anno 633. Stephanus Emeritenſis Metropolita tertio loco ſubſcripſit, & Juſtus Toletanus Præſul, qui Helladio ſucceſſerat anno 632, quinto loco interfuit. Juſto igitur antiquior erat Stephanus; & palam fit ante annum 633. & 632. licet non multum, Renovatum obiiſſe.

Renovato ſucceſſit Stephanus Deceſſoribus ſuis ſapientiæ, & virtutibus non impar; ejus eloquium, & doctrina in Concilio quarto Toletano claruit inter ſeptuaginta circiter Præſules, qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ novis legibus adſtringendæ cauſa, præſente Siſenando Rege convenerant. Sex ferme annos in Epiſcopatu vixiſſet Stephanus: & poſt ſe habuit ſucceſſorem Oroncium Gothum genere, qui anno 638. Gundiſcum miſit inter Patres Toletum Concilii cauſa confluentes vices ſuas adimpletum. Anno vero 646. Chindaſuinto Rege, 28. Epiſcopis Toleti convocatis præfuit, Antonio Hiſpalenſi, Eugenio Toletano, Protaſio Tarraconenſi Metropolitis etiam ſedentibus ætate; & meritis anteivit, eodemque honore in Concilio Toletano octavo functus eſt. Hinc notandum eſt maxime Toletani Antiſtitis Primatum non eſſe adeo antiquum, ut oſtentant Hiſpanienſes, nec ipſum olim Pri-

ma-

Digitized by Google

matus jure ceteros Metropolitas in ſubſcribendo, & ſedendo præceſſiſſe, ſed ſecundum ordinationis tempus, & perſonarum merita Metropolitæ aliis Metropolitis anteibant: & Orontium Emeritenſem Toletano, & ceteris prælatum cernimus.

Orontio e vivis ſublato, ab univerſo Clero, & Populo ad Emeritenſem Metropolitam evectus eſt Proficuus, cujus virtutes, & integritas omnium animos poſt ſe adduxit, ut in S. Eulaliæ Eccleſia Paſtorem ſuum renuntiarent. Omnium vota geſtis ſuis Proficuus ſuperavit, nam Domini gregem ſibi commiſſum qua methodo, qua ratione, & ſtudio regere intendit. Diſciplinam Eccleſiaſticam reparaturus anno 666. Provinciæ Luſitaniæ Concilium adunavit: duodeçim Luſitaniæ Epiſcopos Emeritam advocavit, quibus præfuit, & ſanctiſſimos Canones edidit, qui ſuo loco exhibendi ſunt. Integerrimus ſacrorum Canonum cuſtos Emeritenſem Eccleſiam duodecim circiter annos rexit, donec meritis plenus ad ſuperos evolavit. Nec diu Paſtore fuit viduata Eccleſia Emeritenſis; Clerus, & Populus, penes quem erat Antiſtites ſuos deſignare, quemdam Stephanum nomine ſibi in Epiſcopum crearunt. Hic ſecundus nomine Stephanus in Emeritenſi ſede ſui deceſſoris leges, & mores ob oculos habere non deſiit; diſciplinam ab ipſo ſtabilitam, reparatamque, illæſam ſervavit. Anno Chriſti 681, cum Ervigius regnum malis artibus quæſitum firmare vellet, bonum putavit religionis ſpeciem inducere; quapropter ex univerſa ditione Epiſcopos Toletum adſcivit, inter quos acceſſit Stephanus Emeritenſis, & quartum locum poſt Julianum Hiſpalenſem, Julianum Toletanum, & Liuvam Bracarenſem occupavit: decimo tertio Toletano anno 683. etiam adfuit, aſt anno 684. cum Hiſpanienſes Epiſcopi Ervigii cura, & Leonis II. Pontificis Maximi juſſu, ac authoritate convocarentur Toletanum Concilium decimũ quartũ celebraturi, inſtantis hiemis rigor impedimẽto fuit quominus plures eo ſe non conferrent, ſed procuratoribus ſuas commiſerint vices, in quibus fuit Ste-



Digitized by Google

phanus, qui Maximum Abbatem destinavit ejus placita obiturum. Stephano e vivis exeunte, Maximus Emeritensem Ecclesiam omnium votis susceptit moderandâ; anno 688. in Concilio Toletano decimo quinto, & decimo sexto an. 693. post Faustinum Bracarensem quinto loco subscripsit. Hæc de Emeritensibus Præsulibus sæculo septimo, quorum memoria in Hispaniarum Conciliis posteris commendata est: & in Maximo Emeritensium Episcoporum catalogus desinit, cum Saraceni sæculo octavo ad annum 713. ut alibi dicam, Hispaniam armis ingressi Emeritam Lusitaniæ Metropolim impeterent, & ruinis obruerent. Morenus nescio cui manuscripto codici credens inter Stephanum, & Maximum anno 685. Zenonem Emeritæ Præsulem collocavit, Tamajus vero rejecit; & ejus nomen in literis publicis desideratur, nec non incertis ejus urbis Episcopis adscribitur. De ipso scripsit vetus Epigramatarius non exactioris metri.

*Solverit antiquas moles antiqua vetustas,*
*Et lapsum senio grande dehiscit opus:*
*Perdideratque usum via jam suspensa per amnem,*
*Sed liberum cursum, ponsque negabat iter.*
*Gothorum Ervigii potentis tempore Regis,*
*Quo debitas terras præcipit ille coli.*
*Magnanimum studuit factis extendere nomen,*
*Et veterum titulus addere* Salla *suum.*
*Nam postquam eximiis renovavit mœnibus urbem,*
*Non miracla magis ille patrare sinit.*
*Arcus construxit, penitus fundavit in undis*
*Et murum, Auctoris opera vicit opes.*
*Nec non & patriæ tantum fabricare munimen,*
*Summi Sacerdotis* Zenonis *egit amor.*
*Emerita urbs felix mansura in sæcula longa,*
*Arte novata ducis, Præsulis, & studio.*

Digitized by Google

## §. III.
## *De Episcopis Eborensibus.*

QUæ a primo Ecclesiæ sæculo sub D. Mantio floruerat Ebora, sæculo septimo in suis Episcopis non minori luce resplenduit. Sed ante Episcoporum hujus sæculi catalogum describendum propter quorumdam censorum nimis rigidam virgam meminisse illos Præsules præstat, quos ex composito prætermisi Pseudo-chronicis nullam fidem habiturus. Cui potius crederem Resendio viro insigni, qui, teste Petro Gallesino in fine nuncupationis Martyrologii sui, *perlustratis omnis Hispaniæ Basilicis Cathedralibus, compertisque antiquis tabulis Sanctorum Hispanorum Historiam inserta oratione contexuit*, an Auctori Eboræ Glorioſæ? ille plurimos omisit, iste addidit Jordanem, Brissum, Gemellum, Grimaldum, Calidium, Felicianum, Coloniondum, Micenum: sed quibus monumentis fultus? qua auctoritate munitus? cæcum cæcum ducere periculosum est, ne in foveam uterque incidamus: quæ monumentorum lux monstrat, tenere tantum, & sequi non pudeat: Conciliorum acta percurramus. Hujus sæculi initio Jozimus adhuc perstitit, qui anno 597. in Toletano Concilio subscribentem legimus, triginta prope annos Ecclesiæ Eborensis gubernaculum gessit, qua viduata, Populi, & Cleri suffragiis, Sisiselus Cathedram subiit, qui nulli rei, nullique labori pepercit, ut mores pessimos eradicaret, pietatemque diffunderet. Tribus Patrum consessibus apud Toletum adunatis anno 633. 638. & 646. ætate grandævus a Regibus Sisenando, & Chindasuintho vocatus itinerum longitudinem, & incommoda pati non timuit Ecclesiasticam regni disciplinam firmaturus. Obiit Sisiselus de Ecclesia meritus; & in ejus locum suffectus est Abjentius, qui a Recceſvincto Rege anno 553. vocatus, Toletum adiit stata die 16. Decembris, quin hiemis rigor ætate, & annis jam fessum ab itinere obeundo de-

Digitized by Google

terreret; decem circiter annos Eborensem populum pietate enutrivit; & successorem post se habuit Zozimum, secundum nomine, quem unde viginti præsules anno 556. in Toletano Concilio, Recceswincto Rege vocante, dicentem mirabantur. Zozimo successit Petrus, qui a Metropolita suo Proficuo anno 666. accersitus Emeritam sese recepit in Provinciæ Lusitaniæ Concilio judicatum: & qui coram Metropolita suo jusjurandum emiserat de vita casta sobrie, rectèque instituenda; quam piam, sanctamque operam suis ovibus instruendis, erudiendisque navaverit, sine temeritatis incusatione opinabor. Petri Cathedram anno ferme 678. vacantem ascendit legitimo ritu Tractemundus, nec diu intra solius Diœcesis Eborensis limites ejus pietatis, & doctrinæ fama percrebuit, sed ultra provinciam produxit. Conciliis Toletanis duodecimo anno 681. & decimo quinto anno 688. interfuit, & subscripsit, sexti Concilii Generalis, quod nuper Constantinopoli gestum erat, acta cum ceteris Episcopis probavit, secũque ad Eborensem Ecclesiam adtulit: duodecim circiter annos in Episcopatu vixit; nec pastore suo diu caruit Ebora; anno 690. Arcontius Tractemundi fuit successor, omnium quidem virtutum illius hæres: anno 693, Rege Egica convocante, unus & sexaginta Hispaniarum Episcopi Toletum convenerunt decimum sextum ejus urbis Concilium habituri, inter quos nec minus doctrina, & pietate emicuit Arcontius Eborensis. Absoluto Patrum consessu Eboram rediit, ejusque dies ad sæculum usque octavum protracti sunt; quo mortuo, sub Maurorum tyranide usque ad sæculum duodecimum sine Pastore, sine Patre, & sine Episcopo luxit illa antiquissima sedes: & inter nimis incertos numerari quis non sinat Mentellium, & Justinum, quos sæculo octavo ineunte ad Maurorum usque in Hispanias adventum Eborensem Ecclesiam rexisse affirmavit Jesuita Franciscus da Fonseca in Historia Eborensi?

Digitized by Google

## §. IV.
## *De Episcopis Olysiponensibus.*

OLysiponensis Ecclesia, quæ sæculo sexto vix unum Episcopum habuisse visa est, hoc sæculo tot ditata est Pastoribus; & iis omni genere insignibus excelluit, ut inter ceteras Hispaniarum Sedes emineret, & digniſſimam suæ fidei gloriam adipiscerétur. Quis inter Hispanos Præsules Olysiponensi Goma sanctior, & sapientior? Anno 611. a Gundemaro Toletum vocatus est ejus decreto de Toletano Præsule Metropolita in Carthaginensi Provincia creando subscripturus; ejus sententiam audiit Princeps, ejus placitis stetit, nec umquam renuit. Anno 614. Egaram misit Fructuosum Diaconum Olysiponensis Ecclesiæ ejus vice de disciplina Ecclesiastica Canonibus subscripturum, & ex Lusitania solus accessit, & sedit judex inter Patres hujus Concilii, quod ab Egara quo convenerant, Egarense dictum est: quousque vixerit Goma quis in monumentorum tenebris dicat? Certum profero Waricum illius sedem vacantem occupasse, Waricum scilicet Conciliorum Patrem, qui Concilio Toletano quarto anno 633. Toletano quinto anno 636. & Toletano sexto anno 638. adfuit suæ Sedis traditionem depositurus. Ea erat Warici adversus infideles zelus, ut Canonem in Toletano Concilio sexto stabilitum, ne in Gothorum regno degeret qui non esset catholicus, magnopere observaret; Olysiponem, totamque Diœcesim a Judæorum, infideliumque ritibus immunem esse curaret.

Warico successit Neufridius; anno 646. cum Chindasuinthus regni sui Episcopos Toletum Concilii causa advocaret, Neufridius Abbatem Crispinum misit, qui illius vices ageret, & subscriberet. Post Neufridium universi Cleri, & Populi suffragiis electus est Cæsarius, qui Concilio Toletano decimo anno 656. interfuit, & in Potamii Bracarensis Episcopi depositione propter incontinentiæ crimen sententiam protulit: Olysiponem Toleto reversus

Digitized by Google

Festum Annuntiationis Beatissimæ Virginis octavo Kalendas Aprilis celebrari solitum juxta Canonem primum recenter editum Concilii Toletani decimi in diem decimum octavum Decembris per totam Diœcesim tranferri fecit, necnon ceteros reparatæ disciplinæ Canones observari diligenter intendit: quatuordecim ferme annos Olysiponensis Ecclesiæ curam gessit; quem inde decessorem respexit Theodoricus Præsul non minori laudatione evehendus: tot Canones, qui Emeritensis Concilii nomine, & auctoritate divulgati sunt, Theodoricum etiam auctorem, & restauratorem suum laude dignum satis prædicant. Theodoricus successorem habuit Aram; iste sub Rege Ervigio floruit, & ab ipso vocatus Concilio Toletano decimo tertio anno 683. sedit inter ceteros Præsules, qui Pauli Episcopi conjurationis adversum Wambam Regem, & Patriam conscius veniam concessere; ejusdē Concilii acta suo nomine roboravit. Post Aram Olysiponensis Episcopus creatus est Landericus; anno 688. apud Toletum cum aliis sexaginta & quinque Episcopis Juliani Toletani Antistitis Apologeticum approbavit, & disceptavit de Sacramenti forma, & vi, quo ab Ervigio Rege successores Regni, & proceres erant obstricti, adactique, ut viduæ Reginæ, & filiorum ejus protectionem, ac incolumitatem jurarent. Anno quoque 693. apud eandem urbem ad Concilium id temporis adunatum venit, & decem Canonibus disciplinæ Ecclesiasticæ robur addidit subscribendo. En Olysiponensium Episcoporum ultimum ab Euangelio per Hispanias nuntiato usque ad earum per Arabes populationem. Illustrissimus da Cunha in catalogo hujus Sedis Antistitum inter Neufridium, & Cæsareum Vincentium quemdam collocat, qui Concilio Toletano octavo anno 553. per Servandum Vicarium interfuit, & subscripsit: ast omnes, quos adii, codices Hispaniensium Conciliorum non Olysiponensem, sed Egarensem Præsulem Vincentium nominant; quamobrem missum feci, sed huicce catalogo adhibui.

Digitized by Google

## §. V.
## *De Episcopis Pacensibus.*

PAcensem Ecclesiam sexto sæculo Palmatio tandem suo Pastore decoratam vidimus, & septimo sæculo adhuc eodem per aliquot annos fuisse gavisam conjicimus. Post Palmatium nemo alius ejus Sedis Antistes sese offert, nisi Modarius, qui in Concilio Toletano tertio cum Episcopis ceteris Canones protulit, dignus qui inter Hispaniarum Præsules propter disciplinæ Ecclesiasticæ diligentem, summamque observantiam commendaretur. In Modarii locum Populus, & Clerus Theodoredum subrogarunt, qui Ecclesiæ suæ regimini intentus optimarum legum in Concilio Toletano quarto a decessore suo subsignatarum præstantiá in usum redegit. Anno 646. a Chindasuintho Rege ad Concilium Toletanum septimũ invitatus, aut ætate, aut ægritudine præpeditus illuc nequiit accedere, duos Presbyteros Reparatum, & Constantiũ destinavit, qui per ipsum Concilio adessent, & gesta haberent rata. Anno 650. Theodoredus morte Ecclesiam omisit, & in ejus successorem datus fuit Adeodatus, quem sapientiæ, & virtutum merita Sedis illius capacem Populo, & Clero declararunt. Anno 653. ad Concilium Toletanũ octavũ accersitus est, & interfuit; inde an. 666. sub Proficuo Emeritæ Metropolita ad Emeritensem Patrum consessum venit, disciplinam collapsam reparavit. Adeodato successor fuit Joannes tot Conciliorum Judex, qui Conciliis Toletanis 12. 15. & 16. adesse vocatus est; quem omnes Hispanienses Præsules expertum audierant, & Ecclesiarum disciplina instructum in medio sui habere gloriabantur. Nescio an sine aliarum Ecclesiarum invidia proferre possem Pacensem Cathedram tot vigilantissimis, celeberrimisque Episcopis hoc sæculo fuisse subjectam, ut nulli invideret, nulli se imparem duceret. Apage furiosam Maurorum barbariem! qui nos eorum Præsulum digniori memoria defraudarunt.

Digitized by Google

## §. VI.
## *De Episcopis Ossonobensibus.*

POst Petrum Ossonobensem Antistitem qui anno 589. Concilio Toletano tertio sedit usque ad annũ 653. quo Conciliũ Toletanũ octavũ adunatum est, nullum nobis ferunt Historiæ Præsulem, qui illius Sedis Pastorẽ ageret: tot annos viduatam quis credat Ecclesiam, quæ a tertio exeunte sæculo suos Præsules coluerat, & Christianorum Sedes erat florentissima? si Episcopo id temporis frui dicenda sit, nescio cur ille vigilantissimus Pastor suæ Ecclesiæ traditionis custos ulli ex tot Conciliis, quæ tunc ex Episcopis universæ ditionis Gothorum Regis conflata erant, non interfuerit, aut Vicarium quemdam non miserit. Incerta omissa sint, certa tantum proferenda. De Saturnino nemo umquam dubitabit, cujus nomen acta Concilii Toletani octavi anno 653. exaratum ostendunt, cum Sugarellum Diaconum illius Vicarium subscribentem indicant. Post Saturninum acta Concilii Emeritensis anno 666. de Exarno certos nos faciunt, qui illuc propter Ecclesiasticam disciplinam restaurandam convenerat. Exarni Sedem viduatam in sponsam duxit Agripius, ad Toletanũ Concilium decimũ quintũ Vicarium suũ Christen nomine destinavit, ast anno 693. Egica Rege convocante, ad Toletum ipse accessit, & decem Canonibus, quibus disciplina sancita est, judex subscripsit: & usque ad sæculum octavum in Episcopatu floruit.

## §. VII.
## *De Episcopis Colimbriensibus.*

ERmulphus Abbas Monasterii Laurbanensis, relicta Abbatiali cura, a Colimbrensi Clero, & Populo suæ Ecclesiæ Antistes sæculo septimo ineunte electus est, anno 633. cum apud Toletum ejusdem urbis Concilium quartũ nationale ageretur, annis fessus, & afflictus iter arripere nequiit

Digitized by Google

quiit ſuæ Sedis Presbyterum, ſeu Archipresbyterum Renatum nomine miſit ejus locum, & ſubſcriptionem obiturum. Non defuere qui Renatum Laurbanii Abbatem dicant id fuiſſe temporis, quo Ermulphi vices in Concilio tenuit; verum inter tot veterum Conciliorum codices nullus erit, in quo Abbates ſuæ dignitatis titulo non ſubſcriberent: & omnes, quos Toletana Concilia præ ſe ferunt, Renatum Presbyterum, & non Abbatem indicant. Ermulpho ſucceſſit Renatus ejus quondam in Toletana Synodo Vicarius. Longis diſputationibus, & magno teſtimoniorum apparatu lectorem non moror Renatum Laurbanienſem fuiſſe Monachum enarrando, cum teſtimonia, ita juvet loqui, arundinea videantur, & in quibuſdam Fr. Bernardi de Brito, & Antonii Yepes aſſertionibus fundamenta nituntur; quorum monumenta ſi intus inſpiciantur floci ſunt habenda. De Monaſtica Ermulphi, & Renati profeſſione nullum eſto judicium. Itaque Renatus anno 638. inter Patres Concilii Toletani ſexti emicuit, Canones ibidem præſcriptos firmavit: Colimbriam reverſus ad annum uſque circiter 650. Epiſcopatui præſedit. Poſt Renatum Siſibertus floruit, ejuſque memoria extat in Concilio Toletano octavo anno 653. inter Præſules, qui ſubſcripſerunt; Colimbrienſem Eccleſiam rexit quatuordecim ferme annos. Siſiberti Sedem tenuit Cantaber, quem acta Concilii Emeritenſis anno 666. præſentem, & firmantem ferunt: ſexdecim ferme annos Epiſcopus vixit. Poſt Cantabrum Miro, ſeu Gomiro floruiſſe traditur, ad Concilium Toletanum decimum tertium anno 683. & decimum quintum anno 688. vocatus ſe contulit, nullumque aliud extat monumentum, quod ipſius meminerit. Mironis ſucceſſor fuit Emila, & anno 693. inventus eſt in Concilio Toletano decimo ſexto, cujus acta probavit, & rata habuit.

Joannes Vaſæus in catalogo Hiſpaniæ Epiſcopatuum ait in Concilio Toletano octavo utrumque reperiri videlicet Colimbrienſem, ſive Caliabrenſem, & Conimbricenſem Epiſcopum ad hunc modum *Celedonius Caliabrenſis Epiſ-*



Digitized by Google

*copus*, & paulo poſt: *Siſibertus Conimbricenſis Epiſcopus*: Siſibertum putat Epiſcopum Conimbriæ, quæ hodie *Condexa vetus* appellatur, & Celidonium Colibriæ, quæ nunc Colimbria dicitur: Reſendii opinione adjuvatur. Id Vaſæi opinamentum nullum exiſtimo. Colibria, ſive Caliabria illa, cujus Antiſtes Toletano octavo Concilio interfuit, celeberrima illa eſt Caliabria, quæ etiam *Montanches* ab Hiſpanis vocatur: ſeptimo ſæculo vetus Conimbria, quam Condexam appellamus, ſolo jam erat æquata; Ataces enim Alanorum Rex ipſam ædificiorum lapidibus, ut ſæculo quinto vidimus, obruit; novam ad Mundæ ripam condidit, quæ Epiſcoporum Sedes facta eſt: hanc Siſibertus regebat.

## §. VIII.
## *De Epiſcopis Lamecenſibus.*

INter Præſules Lamecenſes, quos in hoc ſæculo in antiquitatum monumentis reperire eſt, primus ſe offert Profuturus, qui anno 633. in Concilio Toletano quarto Canonum ſententiam protulit, anno 638. adhuc Lamecenſi Sedi præerat, nam ad Toletanum ſextum Patrum conventum venit. Profuturo in ſucceſſorem omnium ſuffragiis contigit Witaricus Concilii Toletani ſeptimi judex anno 646. Witarici ſucceſſorem fuiſſe Filimirum teſtantur acta Concilii Toletani octavi anno 653. ad quod accerſitus eſt. Theodiſclus poſt Filimirum floruit, & anno 666. Emeritenſi Concilio interfuit. Gondulfus, qui poſt Theodiſclum extitit, in Concilio Toletano duodecimo anno 681. & decimo tertio anno 683. piiſſimos Canones ſtabilivit. Gondulfo mortuo, Fioncius Lamecenſis Eccleſiæ aſſumptus eſt Præſul, & inter Patres, qui Concilio Toletano decimo quinto anno 688. & Toletano decimo ſexto anno 695. interfuerat, dignum locum ſuæ ſapientiæ, & virtutis aſſequutus eſt. In catalogo quodam manuſcripto Lamecenſium Antiſtitum, quem forte ex archivo ejuſdem Lamecenſis Eccleſiæ ad manus habui, Fionibus veluti alius

Digitized by Google

a Fioncio, seu Frionico anno 693. in Concilio Toletano decimo sexto subscripsisse fertur: sed quamplurimi codices, & exactissimi quidem veterum Hispaniæ Conciliorum, unum eundemque Fioncium utrique Conciliis adfuisse memorant, quem alii Frionicum, & Fionibum appellarunt.

## §. IX.
## *De Episcopis Egitanienſibus.*

Licerius, qui sexto sæculo anno 597. sub Reccaredo Rege Toletano conventui adfuerat, anno 611. Egitanienſi Ecclesiæ adhuc præerat; ad Concilium Toletanum id temporis sub Gundemaro Rege convocatum adventasse legitur. Licerium in Episcopatu excepit Montesius, & ad Concilium Toletanum quartum anno 633. & ad sextum anno 638. judex perrexit. Post Montesium Armenius Egitanienſis Præsul electus anno 646. Toletani Concilii septimi Canonibus subscripsit. Armenii Sedem viduatam occupavit Selva, cujus meminit Innocentius III. in literis ad Petrum Compostellanum Archiepiscopum. Ad Egitaniæ Sedem vix evectus erat, cum Concilium Toletanum octavum anno 653. indictum est, ad quod etiam vocatus intervenit; tredecim inde elapsis annis, ad Emeritense suæ Provinciæ Concilium se recepit Ecclesiasticam disciplinam restauratum: apud Patres Emeritæ simul sedentes fuit conquestus de Justo Salmanticenſi Episcopo ejus Episcopatus limites absque jure sibi arrogante: justam Selvæ expostulationem audierunt, & acceperunt Patres, Justoque decreverunt, ut quos injuste possederat, limites Selvæ restitutos ageret: sex, & viginti ferme annos Egitanienſi cathedra fruitus est; & post se habuit successorem Monofonsum virum pietate, & doctrina insignem, nec Selvæ imparem: anno 683. ad Patrum confessum Toleti celebrandum Ervigius Gothorum Rex Monofonsun advenire jussit, ex quo vix quatuor anteacti fuerant anni, cum ad alium Episcoporum congressum in eadem urbe factitandum convoca-

Digitized by Google

tus est, anno scilicet 688. illucque prope Maii Idus, accessit, Ervigiique electionem in Regem firmavit. Auctor Geographiæ Lusitanæ post Monosonsum in Egitanienſi Sede Agesindum, seu Arasindum collocavit, eumque Toletano Concilio decimo sexto anno 693. subscripsisse tradit: deceptus tamen fortasse fuit ipse, aut quisquis ei opinandi rationem contulerit. Arasindus, sive Agesindus prædicto quidem Concilio adfuit, sed Egarensis Episcopus. En errandi causam: Egitanienſem pro Egarensi aliquos scripsisse, & legisse credendum est.

## §. X.
## *De Episcopis Visensibus.*

GUndemarus origine Gothus Sumilæ succesſit in Visensi Ecclesia, anno 611. a Rege Gundemaro Toletum ire jussus est, ut Metropolitæ juribus in Episcopos Carthaginensis Provinciæ Toletano Antistiti noviter conceſſis assentiret, firmaretque: Viseum rediens diu Pastoris curam gessit, ad annum usque ferme 625. vitæ suæ tempus protraxit. Gundemari sedem postea occupavit Lausa, qui anno 633. Toletum peragravit Concilium quartum universæ Hispaniæ generale celebraturus. Lausæ succesſor fuit Farnus, cujus memoria in Concilio Toletano sexto, & septimo posteris commendatur. Farno succesſit Widila, & post tres sui Episcopatus annos inter Patres Concilii Toletani octavi piissimos Canones stabilivit; & ad annum usque 665. vixisse fertur. Aliquandiu post Widilæ mortem Visensis Ecclesia Pastore caruit; præsertim anno 666. quo Emeritense Lusitanæ Provinciæ Concilium actum est. Quis sibi persuadeat Visensem Ecclesiam id temporis Præsule frui, & ipsum nec ad Concilium suæ provinciæ advenisse, nec saltem alii vices comisisse suas, qui subscriberet? sane omnes, qui Lusitaniæ limitibus Episcopi tunc continebantur, Emeritam recepti sunt. Post Widilam Reparatum elegerunt Clerus, & Populus, nec semel tantum in vene-

Digitized by Google

rabilium Præſulum cœtu ejus doctrina enituit: ex Conciliorum Toletani duodecimi, & decimi tertii actis, quibus ſubſcripſit, quænam foret Reparati integritas, ſatis conſpicitur: duodecim ferme annos in Epiſcopatu vixit; cui ſucceſſit Wilefonſus, quem Concilii Toletani decimi quinti geſta poſterorum memoriæ tradiderunt. Poſt Wilefonſum floruit Theodofredus, cujus notitiam Concilium Toletanum decimum ſextum anno 693. nobis ſine temporum jactura in ſubſcriptionibus dereliquit.

## §. XI.
## *De Epiſcopis Portugalenſibus.*

PORtugalenſis Eccleſiæ cathedram ſeptimo ineunte ſæculo tenuit Argebertus, cujus fama permotus Gundemarus Rex Toletum eum adire juſſit, ut Toletani Antiſtitis Metropoliticam poteſtatem in Carthaginenſi Provincia ſuffragio ſuo probaret. Poſt Argebertum in ejus Sedem aſſumptus eſt Anſiulphus, qui anno 633. Concilio Toletano quarto interfuit; idemque Concilio Toletano ſexto anno 638. ſubſcripſit. Rodericus da Cunha in catalogo, quem ſcripſit de Portugalenſibus Epiſcopis, non Anſiulphum, ſed Uſibeſum Toletano ſexto ſubſcribentem memorat, deceptus quidem quod aliqui codices exſcriptoris vitio Uſibeſum pro Anſiulpho referant. Anſiulpho ſucceſſit Flavius, & anno 656. Toletum ſeſe recepit Concilio ejus urbis decimo adfuturus. Poſt Flavium Portugalenſem Sedem occupavit Froaricus plurium Conciliorum judex, & Pater: inter ceteros, qui Hiſpaniarum Eccleſiis præerant Præſules, Froaricus & doctrina & virtute emicabat: ab illius ore tot prodierunt leges, & Canones, quos in Conciliis Bracarenſi quarto, & Toletanis duodecimo, decimo tertio, & decimo quinto, quibus interfuit, non ſine Portugalenſis Eccleſiæ gloria maxima ob oculos habemus. Froarico ſucceſſit Felix, qui in Concilio Toletano decimo ſexto anno 693. omnium Patrum conſenſu in locum Fauſtini ad Bracarenſem Sedem translatus eſt.

Digitized by Google

## §. XII.
## *De Episcopis Dumiensibus.*

IN Dumiensi Monasterio Abbatem simul, & Episcopum anno 611. fuisse Benjaminum Concilium Toletanum sub Gundemaro Rege nobis reliquit traditum: usque ad annum fere vigesimum quintum, & Monasterium, & Ecclesiam Dumiensem rexit. Mortuo Benjamino, in successorem meritis conspicuus factus est Germanus, qui Toletano Patrum Cœtui Hispaniarum generali interfuit, & disciplinæ Ecclesiasticæ Canones subscribens firmavit. Post Germanum Dumiensis Præsul extitit Pimenius, & anno 638. Toletum permeavit cum ceteris Hispaniarum Patribus de Ecclesiasticis rebus sententiam prolatum. Pimenii successor fuit Rechimirus, sive alio nomine Anviachimirus, & anno 646. ad urbem regiam se contulit in Concilium id temporis congregandum; absoluto Concilio, Dumium reversus Ecclesiam suam piissimis moribus eformabat: anno 653. a Recceſvincto Rege Toletum vocatus, ut novo Concilio adesset, senio gravis, & ægritudine pressus parere non potuit, Vicarium suum instituit Osdulphum qui ejus nomine Concilii acta firmavit: anno 654. fatis cessit Rechimirus: & Recceſvinthus, ut Fructosum Hispanias deserere intendentem a meditato itinere suspenderet, curavit, ut in Dumiensem vacantem Sedem illum eligerent Patres; hanc Fructuosus tenuit usque ad annum 556. quo Patres Toletani ad Bracarensem Sedem in Potamii depositi locum eum evexerunt. In Bracarensem Ecclesiam translato Fructuoso, Vincentius Dumiensem cathedram ascendit, & ad Concilium Toletanum decimum quintum vocatus D. Juliani Toletani Antistitis Apologeticum probavit, & subscripsit.

Digitized by Google

### §. XIII.
### *De Episcopis Britonensibus.*

BRitonensium Antistitum primus in hoc sæculo reperitur Mitopes, qui Concilio Toletano quarto interfuit: post Mitopen Sona, sive Sonasus quem præsentem, ac subscribentem Concilii septimi Toletani acta posterorum temporibus commendarunt, a Concilio septimo Toletano septem fere elapsis annis, a Recceſvincto Rege vocatus, ut Toletano octavo adforet, Vicarios suos designavit Viaricum, & Matericum Presbyteros, qui ejus auctoritate subscripserunt. Sonæ succeſſit Bela qui a suo Metropolita Leodicisio adscitus Bracaram adiit Concilio ejusdem urbis quarto adfuturus.

## CAPUT II.
## *De Primatu Romani Pontificis per Lusitaniam.*

### §. I.
### *De Leonis II. Epistola ad Hispaniarum Episcopos.*

LEo II. Romanus Pontifex sextæ Synodi acta confirmaverat, inde ea ad Episcopos per universas Hispanias constitutos misit eorum auctoritate, & subscriptionibus roboranda; legatum etiam suum instituit Petrum Defensorem, quem nostri Regionarium nuncuparunt, quod per omnium Hispaniarum regiones Romani Pontificis vicibus fungeretur. Absoluto Concilio Toletano decimo tertio, reversisque ad suas Ecclesias Episcopis Lusitanis, & aliis Hispanensibus adlatæ sunt Leonis literæ, unaque sextæ Synodi acta: cum tempus importunum esset, sæviente hieme, eos iterum convocandi, visum est in venturum annum hujusce rei differre tractationem. Ne tamen mora istæc aliquam inobedientiæ suspicionem erga Romanum

Digitized by Google

Pontificem posset adferre, consultum jure fuit, ut per universas Hispaniarum Ecclesias ad Episcopos mitterentur. Has literas edidit Garsias Loaysa ex cod. Mss. pervetusto Cœnobii S. Joannis Regii Toletani ex Familia Minorum; recudi etiam fecit Binius ex cod. Ms. Bibliothecæ Toletanæ. Cardinalis de Aguirre in lucem prodidit ex antiquissimo Ms. Gothico Conciliorum Ecclesiæ Lucensis, translato postea in Bibliothecam Regiam S. Laurentii. Earum meminit Concilium Toletanum decimum quartum cap. 2.

Eminentissimus Annalium Parens Cardinalis Baronius, & Binius spuriam hanc Epistolam rejiciunt, quod Leo condemnatione multet Theodorum, Cyrum, & Sergium cum Honorio Romano Pontifice: quod Concilium Œcumenicum nona indictione absolutum dicat, cum acta novissimarum actionum testentur illud indictione decima absolutum fuisse: tandem quod Leo ipse dicat de diversis Conciliis S. Apostolicæ Sedi, cujus ministerio fungebatur, subjacentibus Archiepiscopos ad Concilium sextum Œcumenicum fuisse destinatos: cum Archiepiscopus nullus Romanæ Sedis nomine interfuerit. At viri quidem doctissimi operam suam perdiderunt. A sexta Synodo damnatum scripsit Leo Honorium, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit: ast quid inde cum Epistolæ authentia? an Adriani II. Epistola, quæ lecta est actione septima Concilii octavi Œcumenici, quaque Adrianus Photium perstringit, est spuria, & supposita, quod Honorium ipsum super Hæresi accusatum ab Orientalibus anathemate fuisse perculsum pronuntiet? Omnes ad Baronium usque, ait Carolus Witasse, Honorii damnationem asseruere, & omnium mortalium primus Baronius Honorium in sexta Synodo fuisse confixum negavit: adeo omnium mentibus id insederat, ut per plura sæcula Romani Pontifices in die suæ inaugurationis solemnem fidei professionem ederent, quam in diurno Romanorum Pontificum posuit Garnerius: in eaque inter ceteros hæreticos, quibus ana-

*Tom. 3. de Honorii damnatione.*

Digitized by Google

anathema proferebant, Honorius legitur a ſexta Synodo, & Eccleſia proſcriptus.

Ex indictione nona, qua ſexta Synodus abſoluta dicitur, nullum Epiſtolæ falſitatis oritur argumentum. Triplicem diſtingui indictionem opus eſt Conſtantinopolitanam, Cæſaream, & Romanam, ſive Pontificiam. Conſtantinopolitana incipit a Kalendis Septembris, Cæſarea ab octavo Kalendas Octobris, Pontificia a Kalendis Januarii. Tempore ſextæ Synodi Roma, & totus Occidens Cæſarea indictione in ſcripturis utebatur: hac etiam uſus eſt Leo in Epiſtola ad Hiſpanos Epiſcopos: cum actiones ultimæ ſexti Concilii, ſcilicet decima ſeptima, & decima octava diebus undecima, & decima ſexta Septembris celebrarentur, antequam Romæ, & in reliquo Occidente indictio decima Cæſarea a vigeſima quarta die Septembris incipere, recte Concilium indictione nona abſolutum Leo deſcripſit. Circa Archiepiſcopos a Romana Sede deſtinatos a Combefiſio Baronius impugnatur; nam Metropolitæ tres Roma deſignati ſubſcripſiſſe leguntur: Stephanus ſcilicet Corinthi, Baſilius Gortynæ Civitatis Cretæ, & Joannes Rhegienſis Calabriæ.

## §. II.

## *De Benedicti II. Epiſtola ad Petrum Regionarium, & ad Hiſpaniarum Epiſcopos.*

LEone II. fatis cedente, Benedictus II. creatus eſt Pontifex, & ad Petrum Notarium Regionarium, qui a Leone ad Epiſcopos noſtros miſſus fuerat, literas ſuas dedit, ut ſuſceptum munus proficiſcendi in Hiſpanias ad acta ſextæ Synodi recipienda proſequeretur: nondum Romæ ſuſcriptiones ab Epiſcopis diſperſis factæ venerant; nec Concilium Toletanum decimum quartum celebratum fuerat. Ex Concilio Toletano decimo quinto fit notum Benedictum ad omnium Hiſpaniarum Epiſcopos, qui Concilio Toletano decimo quarto interfuerant, literas ſcripſiſſe circa Apologiam ab iiſdem Epiſcopis ad Apoſtoli-



Digitized by Google

cam Sedem missam. Igitur Monothelitæ in hac Synodo damnati fuere secundum Synodum sextam, & ad Romanum Pontificem Apologiam dederunt Patres, in qua Catholicæ fidei summa continebatur a Juliano Toletano Præsule laborata. Benedictus cum opus legeret, nonnulla improbavit, quod differens dixisset Sapientiam ex Sapientia, Voluntatem ex Voluntate procedere; & quod Christum Dominum ex tribus substantiis conflatum affirmasset. Lusitani Episcopi, aliique Hispaniarum venerabundi susceperunt; ad illa contuenda capitula illico conversi sunt, sanxeruntque nihil adversus Christianam pietatem continere.

# CAPUT III.
## *De Conciliis.*

### §. I.
### *De Concilio Toletano quarto Lusitaniæ, Hispaniarum omnium Generali.*

ANno Christi 633. Era Hispanienſi 671. Rex Sisenandus universos suæ ditionis 70. circiter Episcopos convocavit Toletum quartum ejusdem urbis Concilium celebraturos: Lusitani Episcopi duodecim accesserunt: Stephanus Emeritensis, Waricus Olysiponensis, Montesis Egitanienſis, Lausa Visensis, Sisiſclus Eborensis, Profuturus Lamecensis, Modarius Pacensis, Ermulphus Colimbrienſis, Julianus Bracarensis, Mitopes Britonienſis, Ansiulphus Portugalensis, & Germanus Dumiensis: omnibus præfuit S. Isidorus Hispalensis, & Sisenandus Rex adfuit, qui coram Venerabilibus Præsulibus flexis genibus orationes pro se, ut Divinum faveret Numen, fieri precatus est, omnesque exhortatus, ut Ecclesiasticam disciplinam firmarent. Digna Principe vota, & preces! Fidei professionem de more præmiserunt Patres, inde 70. Canones protulerunt, quos Lusitana Ecclesia cum Hispaniarum reliquis ob-

Digitized by Google

ſervavit. Canone 1. decretum eſt, ut idem pſallendi, & Miſſas celebrandi ritus per Hiſpanias, & Galliam Gothicam ſervaretur. 2. ut ſingulis annis Concilium ageretur, aut generalis totius Hiſpaniæ, & Galliæ Gothicæ, ſi id fidei cauſa, vel communis Eccleſiarum utilitas exigeret, aut unius cujuſque provinciæ propria: congregationis tempus in decimam quintam diem Kalendas Junii deſtinatum eſt: etiam ſtatutum fuit, ut Regius Vir a Rege peteretur, qui ſæculares judices, optimates, aut quoſvis alios, contra quos ad Concilium deferebantur accuſationes, Patribus ſe præſentare impelleret, & ipſius Concilii decreta exequi faceret. Can. 3. celebrandi Concilii forma præſcripta eſt: ut juxta conſecrationis tempus Epiſcopi ſederent, ſententiaſque ſuas dicerent: & Presbyteri, quos adeſſe oportebat, & jam de more conveniebant, ab Epiſcoporum tergo reſiderent, Diaconi vero coram ipſis ſtarent: ut regni optimates, qui etiam confluerent, ad conventum admitterentur: ut primo mane Eccleſiæ, in qua conſeſſus agendus erat, fores clauderentur, ea excepta qua ingrederentur Patres: ad idque vigiles cuſtodes, & janitores adhibebant. Ut ſoli Metropolitæ jus eſſet ea proponendi, de quibus Patres ſtatuerent, ac decernerent; & nullus congreſſum ſolveret, niſi omnia, quorum cauſa in unum convenerant, eſſent finita. Can. 4. ſtabilitum eſt, ut tribus ante Epiphaniam menſibus, quo die Paſcha factitandum eſſet, Metropolitæ inter ſe deſignarent, & poſtea comprovinciales ſuos Epiſcopos redderent certiores. 5. propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum ſimpla, & unica ſtatuta eſt baptiſmi immerſio: ex trina enim merſione Ariani argumentum ſumebant ad oppugnandam Sanctiſſimæ Trinitatis conſubſtantialitatem. Magni Gregorii reſponſum ad Hiſpalenſem Leandrum ob oculos noſtri habuerunt Patres: *De trina merſione baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quam quod ipſi ſenſiſtis; quia in una fide nihil officit Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus: ut,*

*dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur: quod siquis forte etiam pro Summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque istud aliquid obsistit baptisandos semel in aquis mergere, quia dum in tribus Personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter, vel semel immergere: quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari.*

Alcuinus Ep. 69. ad Lugdunenses in nostrarum Ecclesiarum Episcopos insurgit, & scribit consuetudinem in una tantum mersione baptisandi universali Ecclesiæ Dei consuetudini adversari; adversari etiam Apostolo dicenti nos consepultos esse in Christo per baptisma, cum Christus triduo in sepulchro esset. S. Gregorii Epistolam citatam negat, quod eam non viderit in Epistolarum libro Roma ad se missо, ut observarunt PP. Benedictini S. Mauri in notis ad Gregorium. Alcuini rationes nullius sunt momenti: quocumque modo quis baptisetur, si materia, & forma serventur, validus erit baptismus nec opus est, ut mersione, aut infusione simpla, vel trina significetur Sanctissimæ Trinitatis mysterium, & Christi passio: in sola forma illud incomprehensibile mysterium demonstratur: scilicet unitas vocabulo singularis numeri *in Nomine*, Trinitas in distincta Divinarum Personarum enumeratione. Mors quoque Christi in una mersione, quia semel sepultus est: nec emersio, & immersio significant dies, quibus Dominus in sepulcro permansit, sed potius resurrectionem, & sepulturam, licet trina mersione id quoque aliquatenus ostendatur. Igitur male Alcuinus ex Mysterii significatione Toletanos Patres incusat: male etiam ex traditione aliarum Ecclesiarum depromit argumentum, nam quamvis trina immersio prævaluerit, alii quoque ritus viguerunt; traditiones ad solam disciplinam concernentes ab Ecclesia pro temporum opportunitate immutari quis neget? Gregorii Epistolam esse satis indicat stilus ipse Gregorianus; invenitur in optimæ notæ codicibus; retulerunt S. Isido-

Digitized by Google

rus de Scriptorib. Eccleſiaſt. S. Lucinianus Epiſcopus ad ipſum Gregorium, & Joannes Diaconus in vita Gregorii cap. 53. Iſidorus ne Toletani Concilii quarti Præſes Gregorianas literas ad Fratrem ſuum Leandrum ignoraret, ut ſi ficta eſſet, non improbaret?

Cum in quibuſdam provinciis in die Sancta Paraſceves Eccleſiarum ſeræ clauſæ eſſent, nec officium peragereretur, nec paſſio Salvatoris ad populum haberetur, Patres Luſitani, & Hiſpanienſes reliqui pravam hanc conſuetudinem Canone ſexto ſuſtulerunt. Canone 7. ad Paſchalem communionem accedere prohibuerunt eos, qui integra Paraſceves die non jejunarent, ſed ad horam nonam jejunium remitterent, exceptis infirmis, languidis, parvulis, & ſenibus. Can. 8. decretum eſt propter unitatem pacis, ut in Eccleſiis Gallæciæ ſcilicet, ſicut & in reliquis Hiſpaniis mos erat, in Paſchæ vigilia Paſchalis cereus benediceretur. Cerei hujus benedictionem a Zozimo Papa in Romana Eccleſia inſtitutam in præconium ſanctæ Reſurrectionis Chriſti, & in univerſi mundi lætitiam competenti claritate ſerenantis nondum omnes Hiſpaniarum Antiſtites obſervarant. Propter quorumdam Sacerdotum ignorantiam, qui orationem Dominicam Dominico tantum die recitabant, Canonem nonum ediderunt Patres, ut quotidie prædicta oratio tum in publico, tum in privato officio diceretur. Id ceteris Eccleſiis commune orationis ipſe contextus eam quotidie eſſe recitandam commonſtrat; quapropter Mag. P. Auguſtinus eam quotidianam appellat, & quaſi quotidianum baptiſmum, quo levia delicta remittuntur: Auguſtinumque ipſum ob oculos habuerunt Toletani Patres.

*Rupertus Ab. de Divinis Officiis cap. 28.*

*Sermon. 213. alias de Temp. 119.*

Can. 10. prohibuerunt ne per quadrageſimam, & Kalendas Januarias *Alleluia* caneretur, quod erat ſignum gaudii, & lætitiæ tempori huic non adaptandum; quadrageſima quippe luctui, & pœnitentiæ deſignatur: nondum etiam id temporis in Hiſpaniarum Eccleſiis conſuetum erat, ut a Septuageſima *Alleluia* cantari deſineret: ſicut nec per

Digitized by Google

quadrageſimam, ultima excepta hebdomada: in diebus pariter jejunio, & pœnitentiæ conſecratis, quales erant Januarii Kalendæ, idem ſtatutum fuit. Cum vox illa jubilationis, & laudis *Alleluia* canebatur, id erat cum modulatione muſica, repetitis ſæpius variis ſub ultima ſyllaba tonis, quam notarum repetitionem ſine verbis veteres *Numa*, ſeu jubilum nuncuparunt. Can. 11. decretum eſt ut in Miſſa Epiſtolam ſtatim ſequeretur Euangelium; Laudes vero poſt Euangelium dicerentur propter Chriſti
*Cap. 2.* gloriam, quæ in illo prædicatur. Beno Augienſis ait id temporis introductum fuiſſe Graduale poſt Epiſtolam, Patres vero Hiſpanos reſtitiſſe: ad ritum quidem, qui poſtea, ut videbimus, Mozarabicus dictus eſt, adtinet hic Canon: diſciplinam illam aliis in Eccleſiis introductam Sacerdotes quidam Hiſpaniarum noſtrarum amplectebantur, ordinem officii, quo univerſa utebatur Hiſpania violabant; quapropter Antiſtites noſtri in eos violatores excommunicationis pœna animadverterunt. Unuſquiſque enim ſuæ Eccleſiæ ritum debet religioſe ſequi: quamobrem dicebat Mag. P. Auguſtinus Januario: *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & propter eorum inter quos vivitur ſocietatem ſervandum eſt.* Garcias Loayſa laudum nomine poſt Euangelium intellexit hymnum trium puerorum; ſed perperam; nam verſiculus erat cum *Alleluia* ei ſimilis, quem Romani poſt reſponſorium ſolent decantare.

*Ep. 54. alias 118.*

Can. 12. ſtatutum eſt adverſus eos, qui hymnos in Dei laudem compoſitos, & ab Eccleſia acceptos reſpuebant: en decretum iſtud oppoſitum Can. 12. Concilii Bracarenſis ſecundi, quo præceptum fuerat, ut Pſalmi tantum, & canonicæ Scripturæ veteris ac novi teſtamenti, & nihil poetice compoſitum in Gallæciis canerentur: Chriſti, & Apoſtolorum, & Patrum auctoritate, & exemplo circa hymnos decantandos confirmatum eſt; qui & ipſos panxerunt. Hic porro fit palam hujus Synodi Pa-

Digitized by Google

tres eo intendiſſe, ut Concilii Bracarenſis decretum abolerent, quod regnantibus Suevis editum fuerat, & ſub Gothis Regibus, qui totam Suevorum dominationem ſubegerant, per Eccleſiarum conſonantiam ipſius etiam regni molem jam latiſſime fuſam conſtabilirent potius, & confirmarent. Can. 13. ut hymnus trium puerorum diebus Dominicis, & in ſolemnitatibus Martyrum, in Miſſa ſolemni e pulpito caneretur. Can. 14. ut in fine Pſalmorum diceretur non ſimpliciter *Gloria Patri*, ſed *Gloria, & honor Patri*: ſicut ait David: *Afferte Domino gloriam, & honorem.* Can. 15. ut ad finem reſponſoriorum ſubjiceretur *Gloria* in lætis, & in triſtioribus principium repeteretur. Sex hujuſmodi Canones pertinent ad officium Mozarabicum, aut antea Gothicum appellatum, quod in Gothorum ditione agebatur: quo tempore id inceperit, & quo Auctore, Leandro ne, an Iſidoro, aut alio antiquiore, inter Liturgicos agitatur: nec facile dirimenda lis eſt: ſed hanc viam cum Eminentiſſimo Bona ingredior: licet e primo ejus Auctore non conſtet, ab ipſo tamen Leandro illuſtratum fuit, ab Iſidoro auctum, ab aliis tempore decurrente amplificatum, nominatim ab Ildefonſo, & poſtea etiam a Juliano Toletanis Præſulibus: & cum Arabes Hiſpanias pene omnes occupaſſent, Chriſtiani cum Arabibus mixti, Mixtarabes, & corrupto vocabulo, Mozarabes dicti ſunt, indeque officio, quo utebantur, nomen inditum eſt Mozarabicum. *Lib. de reb. Liturg. c.* 11.

Can. 16. Apocalypſim S. Joannis Euangeliſtæ inter Canonicos libros receperunt Patres Toletani, & a Paſcha uſque ad Pentecoſten Miſſarum tempore ex ea Dei verbum prædicari juſſerunt ſub excommunicationis pœna. De hujus libri auctoritate olim dubitarunt quidam, inter quos Cajus Scriptor antiquus Apocalypſim ſub Joannis Apoſtoli nomine a Cerintho editam exiſtimavit apud Euſebium: aſt ceteri Patres inter Canonicos conſcripſerunt: ſic Mag. P. Auguſtinus, Eccleſia Africana in Concilio Carthaginenſi tertio, & Innocentius I. in Ep. ad Exuperium, nec non Ge- *Lib. 3. Hiſt. Ec. cap.* 18. *Lib. 2. de doctrina chriſt. c.* 8. *& lib.* 20. *de Civ. Dei c.* 7.

Digitized by Google

lasius Papa in Synodo Romana cum aliis usque ad Synodum Tridentinam. Can. 17. Sacerdotem in Missa communicare statim post orationem Dominicam vetitum est, sed post orationem prædictam, & hostiæ calicisque communionem danda esset populo benedictio; & tunc Sacra Eucharistia susciperetur. Ad Mozarabicum ritum id adtinet: nam post orationem Dominicam Sacerdos accipit particulam, cui nomen *Regnum*, & in calicem mittit submissa voce dicens: *Sancta Sanctis, & conjunctio Corporis Domini nostri Jesus Christi sit sumentibus, & potantibus nobis ad veniam, & defunctis præstetur ad requiem.* Tum alta voce prosequitur: *Humiliate vos ad benedictionem. Dominus sit semper vobiscum*: & tribus distinctis petitionibus benedicit, quibus singulis respondetur *Amen*: qua elargita iterum ait: *Dominus sit semper vobiscum*: & canitur responsorium, quod appellatur *ad accedentes*, quo invitantur ad communicandum, & ut diligenter attendant, quem cibum sint sumpturi. Postea suscipiens aliam particulam cui nomen *Gloria*, illam habet super calicem, & facit *Memento pro defunctis*, eorumque facta commemoratione, ac brevi oratione, particulam sumit illam, quæ in manu est, inde ceteras per ordinem, & calicem. Eodem Canone statutus est communionis ordo, scilicet ut Sacerdos, & Diaconus ante altare communicarent, Clerus in choro, sive limine Sanctuarii, extra chorum populus.

18. Ad Ordines irregularitates constitutæ sunt; irregularesque declarantur criminis alicujus rei, publicæ pœnitentiæ ob scelus aliquod addicti, in hæresim lapsi, ab hæreticis baptisati, aut rebaptisati; qui se absciderant, vel aliquo membro mutilati, bigami, & viduarum mariti, servi, & ignoti, illiterati, & curiales. Episcopatu indigni judicati sunt Neophyti, triginta minores annis; Simoniaci, & qui a Decessoribus sunt electi: eodem decretum est ut Episcopi a Clero, & Populo, Metropolitæ auctoritate, & Comprovincialibus annuentibus eligerentur, & die Dominica a tribus saltem Episcopis ordinarentur ubi Metropolita vellet;

Digitized by Google

vellet ; Metropolita vero in Metropoli conſecraretur, illuc confluentibus omnibus Epiſcopis qui ipſi parebant. Can. 19. fatentur PP. ſe divinæ legis , & præcepti immemores infantes, & pueros Levitas ordinaſſe, cum lex divina a vigeſimo quinto ætatis anno Domini ſervitio manciparet; quapropter ſtatuerunt , ne Presbyteri ante trigeſimum ætatis annum, & Diaconi ante vigeſimum quintum initiarentur. Can. 20. caſtitas , & irreprehenſibilis Sacerdotum vita commendatur, ut mundi corpore, & ſpiritu ſacrificio Domini fiant digni, & Deum pro delictis populi valeant exorare. Can. 21. Epiſcopis conſultum eſt , ut in conclavi ſuo probabiles vitæ , & converſationis haberent teſtes : idem Can. 22. decretum eſt de Presbyteris, & Diaconis, qui ex infirmitate, aut gravi ætate cum Epiſcopo in conclavi commorari non poterant. En Clericorum communi vita degentium inſtitutum, quod per Hiſpanias erat in uſu, ſicut & in aliis Occidentis regionibus, ac Orientis. Ex hoc Canone neſcio quis ſibi perſuadeat Monachos , & non Clericos ſub Epiſcopo in Cathedralibus vixiſſe, & deſerviſſe : perſuaſit ſibi quidam , ſed quam a Monachorum hiſtoria id ſit alienum videant , qui hiſtoriam callent.

Can. 23. Juniores Clerici in uno Seminario inſtrui jubentur a ſeniore optimis moribus prædito; pupilli ſub Sacerdotum tutela; petulantes Monaſteriis adſcribi, & ſeveriori regula tenerentur. Can. 24. propter ignorantiam, quæ cunctorum errorum eſt mater , & in Sacerdotibus præſertim vitanda, iis impoſitum eſt, ut Scripturas ſacras, & Canones ſcirent in omnium exemplum , quos doctrina, & prædicatione, necnon operum diſciplina debent ædificare. Digna quidem Patrum ſententia : aiebat olim Deus per Oſeen cap. 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti , repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi* : quot malorum ſegetem Clericorum parit ignorantia ! hinc fit ut cæci cæcis ducatum præſtent, & ambo lapſu communi in foveam cadant. Can. 25. Presbyteris, qui Parœciis præſunt, latum eſt, ut rituale traderetur , ne ignorantes in Sacramentorum admi-



Digitized by Google

niſtratione quidquam offenderent. Can. 26. ut iidem coram ſuo Epiſcopo ſe caſte, & probe victuros profiterentur.

Can. 27. præſcripta eſt forma reſtituendi in priſtinum gradum eos, qui injuſte dejecti fuerant. Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, & Subdiaconus ſi a gradu ſuo injuſte dejectus in ſecunda Synodo innocens repertus eſſet, non poſſet eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos reciperet ante altare de manu Epiſcoporum: ſi eſſet Epiſcopus, orarium, annulum, & baculum; ſi Presbyter orarium, & planetam; ſi Diaconus orarium, & albam; ſi Subdiaconus, patenam, & calicem: ſic & reliqui gradus ea in reparatione ſui reciperent, quæ cum ordinarentur perceperunt. Ad hunc Canonem notavit Hallerius nondum noſtrarum Eccleſiarum fuiſſe conſuetudinem tradendi aliqua inſtrumenta in Presbyteri, & Diaconi ordinatione: nam ſi aliqua fuiſſent tradita, ſicut in eorum depoſitione fuiſſent ablata, ita in ipſorum reſtitutione ab Epiſcopis redderentur: neque baculi Paſtoris, & annuli ideo meminit Canon, quod hæc inſtrumenta eſſent materia, ut dicunt, eſſentialis Epiſcopatus, ſicut nec planeta, & orarium Presbyteratus; ſed quod per illa ſymbola externa videbantur reſtitui, & recuperari ſuorum ordinum functiones iis, qui ſine legitima cauſa fuerant ejecti.

Can. 28. Clericos ſortilegos, aut ſuperſtitioſarum artium profeſſores adeuntes deponendos fore ſtatutum eſt, & in Monaſterium ad pœnitentiam perpetuam detrudendos. Can. 29. regni incolumitati conſultum eſt, ne Sacerdotes hoſtium nationibus finitimi, ab exteris mandatum aliquod ſecreto ſuſciperent, aut dirigerent: de crimine iſto poſtulatus Regi denuntiaretur, & a Synodo condigna pœna puniretur. Can. 30. edictum fuit propter lenitatem ſacerdotalis officii dignam, ne Sacerdotes de reorum Majeſtatis cauſis agnoſcerent etiam a Principe deſtinati, niſi ille juramento obſtrictus ſupplicii veniam promitteret: & Sacerdotes Canonem hunc violantes proprii gradus pericu-

Digitized by Google

lum ſubibant. Can. 31. Epiſcopis cum a Deo data eſſet cura tuendi populi ideo ipſis incubuiſſe latum eſt, ut judices, & Dynaſtas, qui pauperes, & viduas opprimebant, prius monitos redderent, ac redarguerent: ſi non corrigerentur, de eorum injuſtitia, & ſævitia regem admonerent, ut qui ſacerdotali admonitione ad juſtitiam non inclinarentur, regia potentia a malo terrerentur.

Can. 32. avari Sacerdotes damnantur, qui oblationes Eccleſiis factas in uſus ſuos deputaverant; ipſis tertia tantum oblationum pars, frugum, & tributorum deſignatur. Baſilicarum fundatoribus jus in earum dotem prohibetur, ſed adminiſtratio Epiſcopis ſolis concreditur: id in Concilio Toletano tertio Can. 19. jam fuerat præſcriptum. Can. 33. ut quicumque Epiſcopus alterius Epiſcopi Diœceſim per triginta annos ſine aliqua interpellatione poſſederit, quamvis ſecundum jus legis ejus non videatur eſſe Diœceſis, admittenda tamen non eſt contra eum actio repoſcendi; ſed hoc intra unam provinciam, extra vero nullo modo, ne, dum Diœceſis defenditur, provinciarum termini confundantur. Can. 34. ut poſſeſſio territorii conventum non adimeret; ideoque Baſilicæ, quæ novæ in territorio conditæ forent, ad eum pertinerent Epiſcopum, cujus eſſet conventus: ſicut Diœceſim alienam tricennalis poſſeſſio tollit, ita territorii conventum non adimit: hujuſmodi Canones editi ſunt ad litium ſemina præfocanda, quæ de Eccleſiarum poſſeſſione inter Epiſcopos oriri poſſent. Can. 35. ut ſingulis annis cujuſvis Diœceſis paroeciæ per Epiſcopos ſuos luſtrarentur; quod ſi per Epiſcopos ipſos expleri non poſſet, aut ægritudine, aut aliis negotiis impeditos, Presbyteri, aut Diaconi probatiſſimi mitterentur, qui in Eccleſiarum redditus, & miniſtrantium mores inquirerent, & reparare ſedulo curarent. Can 36. quibus aliquid ab Epiſcopo promiſſum fuerat, ob Eccleſiæ adquiſitam utilitatem, ab eo ſolvendum erat ex rebus Eccleſiæ: & quicumque fidelium devotione propria de facultatibus ſuis Eccleſiæ aliquid contulerant, ſi forte ipſi, aut

Digitized by Google

eorum filii ad inopiam redacti essent, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu perciperent.

Can. 37. in Diaconorum ambitionem invectum est, qui Presbyteros antecellere conabantur in primo choro stantes, Presbyteris in secundo constitutis: nondum superbiam Diaconi ejecerant, quæ a tempore Martini Bracarensis repressa fuerat, & in aliis regionibus Occidentis, Orientisque a venerabilium PP. consessibus damnata. Can. 38. ut Diaconi uno tantum orario a siniſtro humero infra dejecto uterentur, quod esset purum, nullis coloribus, aut auro intermixtum; & ut dexter humerus ad prædicationem, & sacrum aliud ministerium nullo ornatu irretiretur. Can. 39: cum in Gallæciæ partibus lectores prolixis, ut laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tonderent, ritum quasi sequentes Priscillianistarum, Patribus visum est ut omnes Clerici tam Lectores, quam Levitæ, & Sacerdotes, toto superius capite detonso, inferius solam circuli coronam relinquerent; & pro amputando Ecclesiæ scandalo, dedecoris signum auferretur, & una esset tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ erat usus; & qui hoc non custodiret, Fdei Catholicæ reus esset. An incusandi sunt PP. quod Fdei Catholicæ reum hujus disciplinæ violatorem declararent? minime gentium: saltem Priscillianæ hæresis suspicionem ferrent, qui hunc Priscillianistarum ritum amplexi essent, & præsertim post factam a Patribus damnationem.

Can. 40. veteres Canones firmavit de quibusvis fœminis præter matrem, sororem, filiam, vel amitam, a Clericorum domibus arcendis. Can. 41. Clerici qui mulieribus extraneis, aut ancillis suis ad libidinem abutebantur, pœnitentiæ addicuntur: mulieres vero ab Episcopo venundari statutum est. Can. 42. Clericis inferioribus, qui uxores ducere possunt, vetitum est, ne viduis, aut repudiatis, aut malæ famæ mulieribus conjugio copularentur. Can. 43. Clerici in quavis seditione arma sumentes in Monasteriis clauduntur ad pœnitentiam. Can. 44. ob oculos

Digitized by Google

habuerunt PP. veteres leges, quæ in ſepulcrorum violatores indictæ fuerant; facinus hoc quicumque de Clericis commiſiſſent, clericatu exuitur, & per triennium pœnitentiam ſubit. Delictum quidem iſtud ſanguine expiandum leges ſanxerunt: Juriſconſultus Paulus lib. 5. ſententiarum in leg. 11. de ſepulcro violato ait: *Rei ſepulcrorum violatorum, ſi corpora ipſa extraxerint, vel oſſa eruerint, humiliores quidem fortunæ ſummo ſupplicio adficiuntur; honeſtiores in inſulam deportantur; alias autem relegantur, aut in metallum damnantur.* Aliæ quoque extant in Cod. de ſepulcro violato. Can. 45. Clericis immunitas ab omni publica indictione, & labore conceſſa eſt, ut liberi Deo ſervirent, & ne ab Eccleſiaſticis officiis alienarentur: idque accurate obſervari præcepit Siſenandus Rex.

Ex hoc Canone conjicitur ante id temporis Clericos a tributorum collationibus ne quidem fuiſſe immunes; primumque Siſenandum privilegium iſtud conceſſiſſe: quod aliquibus argumento fuit, ut hanc Clericorum immunitatem ex jure humano, Eccleſiaſtico, ac Regio, non ex Divino emanaſſe contenderint: præſertim cum multæ etiam extent Juſtiniani leges, ex Codice, & Authenticis, quæ immunes his oneribus Clericos non agnoſcant, ſed iis ſubjiciant. Litem componerent, ſi juris Divini naturam, & originem attenderent. Nullum quidem de hacce immunitate præceptum proprie dictum expreſſe legitur in Scripturis; in quo ſenſu de jure Divino eam non eſſe optime clamant alii: per ſimilitudinem tamen deducitur ab ſacræ Scripturæ exemplis, & teſtimoniis Deum voluiſſe, ut Clerici, & eorum bona a laicorum poteſtate, & juriſdictione eſſent libera. Patriarcha enim Joſeph Geneſ. 47. emit omnem terram Egypti, ſubjecitque eam Pharaoni præterquam terram Sacerdotum; & Anaxerxes lib. 1. Eſdræ cap. 7. ab omni vectigali, tributo, & annona Sacerdotes, & Levitas exemit: quæ exempla aſpiciens Alexander III. in Concilio Lateranenſi tertio Clericos immunes decidit: quæ etiam antea Toletani PP. ſub Siſenando Rege

Digitized by Google

ſequentes Canonem ſuum protulerunt.

Can. 46. Epiſcopis demandatum eſt ut ex proprio Clero Œconomos ſeligerent, qui res Eccleſiaſticas adminiſtrarent. Chalcedonenſis Concilii Canonem 26. reſtaurarunt, qui latus eſt, ne adverſus Epiſcopum oriri poſſet avaritiæ ſuſpicio. Chalcedonenſis Synodus omnium prima eligendi Œconomi neceſſitatem Epiſcopis adjunxit: licet Theophilus Alexandrinus in commonitorio ſignificet Alexandrinæ Eccleſiæ res jam ante Chalcedonenſe Concilium per Œconomos fuiſſe miniſtratas ex univerſo Clero aſſumptos, id erat ex conſuetudine, non ex lege, aut Canone: Canoni huic primum præſcribendo fuit cauſa pax inter Ibam Edeſſenum Epiſcopum, & Clericos illius accuſatores facta in Berytenſi Concilio per Photium Tyriorum, & Euſtathium Berytenſium Epiſcopos. Ibas, & Daniel Carrhorum Epiſcopus ejus nepos, de mala adminiſtratione, & Eccleſiæ bonorum diſſipatione poſtulabantur. Compoſita lis eſt eo modo, quem Ibas ſponte tulit, ut Eccleſiæ facultates in poſterum Œconomorum eſſent curæ. *Cap. 9.*

De Monachis plurima quoque ſtatuta ſunt; & in Can. 47. Monachis aditus ad ſæculum intercluditur, ſive a Parentibus eſſent oblati, ſive propria profeſſione religionem amplecterentur. Can. 48. nullus Clericus Monachorum inſtitutum poterat amplecti, niſi Epiſcopus veniam præberet: facile tamen, cum ad meliorem vitam tranſirent. Aſt ex Gregorio Magno non licebat eis ad eandem, vel aliam Eccleſiam, quarum pridem milites fuerant, ſua voluntate denuo remeare, niſi ejus vitæ eſſent, ut Epiſcopus, cui ante militaverant, ſacerdotio dignos judicaverit, ut ab eo deberent eligi, & in loco, quo exiſtimaverit, ordinari. Can. 49. quo jure in Monachos Epiſcopi gaudeant expreſſum eſt: ipſorum fuiſſe illos ad optimam frugem promovere, Abbates, & alia officia creare, atque extra regulam facta corrigere; & ſi aliquid in Monachos canonibus interdictum præſumpſiſſent, aut *Ep. 40. lib. 1. Regeſt.*

Digitized by Google

quidquam de Monaſterii rebus uſurpaſſent, aut Monachos illuſtrem gregis Chriſti portionem ad ignominiam, ſervitutemque redegiſſent, excommunicationis ſubirent pœnam. Hæc circa Monachos diſciplina pro Abbatum electione ab Epiſcopis facienda Hiſpaniarum erat ſingularis, & alibi regionum minime jam obſervata. Magnus Gregorius in Ep. ad Marinianum Epiſcopum data, ad Virgilium Arelatenſem, necnon ad Caſtorium Ariminenſem Monaſteria plurima donavit privilegiis; ut Epiſcopis non ſubeſſent, ſed ut Abbatem ex propria Congregatione eligerent, & in rebus temporalibus Monaſteriorum diſponendis nullam Epiſcopus haberet poteſtatem, ſed viſitandi tantum, exhortandique gratia ad Monaſterium quoties placeret, Antiſtes civitatis accederet, & charitatis officium impleret, ut gravamen aliquod Monaſterium non incurreret.

Can. 50. ut Monachi Apoſtatæ, & falſi nominis conjugium ineuntes ad Monaſteria revocarentur, & ſubderentur pœnitentiæ. Can. 51. Religioſorum genus quoddam perculſum eſt, qui nec inter Clericos, nec inter Monachos habebantur, eoſque vel Clericis adſcribi, vel Monaſteriis deſtinari juſſum fuit. Quodnam eſſet iſtud per Hiſpanias Religioſorum genus non diſſimile fuiſſe conjicio iis, quos Maximus Hieronymus *Remoboth* apud Egyptios appellabat, omnium tepidiſſimos, qui bini ſcilicet, ternique, vel paulo plures ſecedebant, nulli regulæ, nullique ſuperiori ſubditi, ſuo arbitratu, ac ditione viventes; & de eo, quod laborabant, in medio partes conferebant, ut haberent communia alimenta, ac inter eos ſæpe erant jurgia; ita in Ep. ad Euſtochium de virginitate ſervanda. In eos Totetanos Patres fuiſſe invectos videor. Can. 52. publice pœnitentes, qui peccatum aliquod lethale confeſſi fuerant, Clero, vel Eccleſiaſticis dignitatibus adſcribi prohibentur; ii vero, qui mortis periculo laborantes, pœnitentiæ ſponte ſe addixerant, & nulla manifeſta crimina confeſſi erant, ab honoribus non repelluntur: ut inde pœnitentia publica ad Eccleſiaſticos gradus impedimento ſue-

Digitized by Google

rat propter peccata, quæ in Ecclesiastico viro improbanda, & maxime detestanda sunt. Can. 53. & 54. in Apostatas a vita monastica, aut a pœnitentia solemniter habita, nec non in virgines, ac viduas virginitatis, aut continentiæ votum transgressas anathemate animadversum est; si ad pœnitentiam revocari nequirent.

Circa Monachos, & Clerum jam stabilita disciplina, de Judæis decem prolati sunt Canones 1. ut ad Religionem Christianam amplectendam non cogerentur; qui tamen a Principe Sisebuto minis, & suppliciis coacti fuerant, in data fide permanerent. Equidem Sisebuti factum Antistitibus nostris improbatum fuerat: nec sine causa, cum credere voluntatis sit; quamobrem Josephus Flavius in vita sua narrat: cum Judæi per vim Trachonitas quosdam vellent circumcidere, id se noluisse: *quod hominem quemque oportet ex animi sui voluntate Deum colere*: idque etiam apertum est ex Scripturis, ubi reperimus Christum Dominum non aliam viam Apostolis ad fidem persuadendam declarasse, quam prædicationem verbi, & doctrinam, & discipulos suos sicut agnos inter lupos misisse, nullam adhibentes vim adversus pervicaces, sed patientes. 2. ne Judæis adversus re-Religionem Christianam Sacerdotes patrocinium ferant, sub excommunicationis periculo. 3. ut Judæi, qui a Fide, quam amplexi fuerant Christianam, deflexerant, & ad suos ritus accesserant, filiosque suos, aut servos Judaicam legem observare fecerant, coercentur pœnis, & ad Ecclesiæ sinum traherentur: filii autem circumcisi ab parentum potestate separarentur, & servi libertatem acciperent. 4. ut Judæorum liberi parentes suos derelinquerent, & in Monasteriis, aut sub virorum, aut mulierum Deum timentium cura, & disciplina instituerentur, nutrirenturque; & ut filii parentum bonis non fraudarentur, si parentes ipsi ab Ecclesia deficientes secundum leges damnarentur. 5. ut Judæi ad Christum conversi, eorum caveant, & fugiant societatem, qui in veteri lege perseverant. 6. ut Judæi, quibus Christianæ uxores nuptæ sunt, ab iis disjungantur, nisi & ipsi Christum

*Tom. 2. n. 23.*

Digitized by Google

ſtum velint profiteri. Filii vero ex illis nati, aut ex patre Chriſtiano, & matre infideli Chriſtiani patris conditionem ſequantur. 7. ne Judæi a Chriſto Apoſtatæ, & deficientes ad proferendum teſtimonium admitterentur: *cum non poſſit erga homines eſſe fidelis, qui Deo fuerit infidelis.* 8. ne Judæis officia publica committerentur, nec Chriſtianos ſervos poſſiderent.

Hujuſmodi leges in Judæos latas in Codice veteri Gothicarum legum cernimus, quas per univerſam Hiſpaniam maiores noſtri in ſtricta habuerunt obſervantia. Hinc inter antiquitatum celeberrimos Scriptores quæſitum eſt, an ex Concilio Toletano ſub Iſidoro Hiſpalenſi Præſide ortum duxerint, an poſtea inceperint; cum plurimæ in eodem legantur Codice, quæ Gothorum Reges huic Toletano Concilio poſteriores Auctores ſuos indicant. Aſt exactiſſimos, veterrimoſque Codices ſi verſemus, initio Iſidorum primum Auctorem quis non legat? & inde in volumen jam auctum aliorum Regum plurimas acceſſiſſe ſanctiones credendum eſt.

Inde de Eccleſiarum ſervis Patres ſua decreta ediderunt. Can. 66. ſtatutum, ut ſiquis Epiſcopus, qui nihil ex ſuis facultatibus Eccleſiæ tribuerat, Eccleſiæ ſervum libertate donaret, ab ipſius ſucceſſore ad Eccleſiam ſervus revocaretur. Can. 67. præſcriptus eſt modus, quo Epiſcopi Eccleſiæ ſervum manumitterent; & huic etiam, cum liber foret, accuſandi, & dicendi teſtimonii licentia contra Eccleſiam adempta eſt: & Can. 68. liberti quicumque Eccleſiarum patrocinio commendati a Sacerdotibus defenderentur, ſive pro libertate, ſive pro peculio. Can. 69. ut quicumque libertatem a dominis ſuis ita perciperent, ut nullum ſibi in eis obſequium patronus retineret, ſi ſine crimine eſſent, ad Clerum liberi ſuſciperentur, quod abſoluta, & directa manumiſſione donati noſcerentur: qui autem retento obſequio manumiſſi eſſent, cum adhuc patroni ſervitute tenerentur obnoxii, nullatenus ad Eccleſiaſticum ordinem promoverentur, ne quando vellent do-



Digitized by Google

mini, fierent ex Clericis ſervi. Ex Gelaſio Romano Pontifice exſcripſerunt Patres decretum iſtud ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos: quod aliis Canonibus introductum, & ſuſceptum legimus apud Gratianum diſt. 54. Can. 70. ut Eccleſiarum liberti (quia numquam moritur eorum patrona) a patrocinio ejuſdem numquam diſcederent, nec poſteritas eorum: ac ne forte eorum libertas in futura prole eſſet, ipſaque proles naturali ingenuitate obnitens, ſeſe ab Eccleſiæ patrocinio non ſubtraheret, neceſſe fuit ut tam liberti, quam ab eis geniti profeſſionem Epiſcopo ſuo facerent, per quam ex familia Eccleſiæ libertos effectos ſe eſſe faterentur, ejuſque patrocinium non relinquerent, ſed juxta virtutem ſuam obſequium ei, vel obedientiam præberent. Can. 71. ut liberti Eccleſiæ, qui ab ejus patrocinio diſcedentes quibuslibet perſonis adhæſerunt, ſi admoniti redire contemnerent, eorum manumiſſio irrita foret, quia per inobedientiæ contemptum ingrati actione tenebantur.

Canone ultimo iterum, & tertio a Patribus conclamatum eſt anathema, & a Clero, Populoque reſponſum fuit *Anathema*, *Maranatha* id eſt, perditio in adventu Domini adverſus eos ex Hiſpaniarum gentibus, qui qualibet conjuratione, vel ſtudio Sacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ, gentiſque Gothorum ſtatu, vel conſervatione regiæ ſalutis polliciti erant, temerarent, aut Regem nece attrectarent, aut Regni poteſtate exuerent, aut præſumptione tyrannica Regni faſtigium uſurparent; ſed & defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum Sacerdotibus ſucceſſorem Regni communi Concilio conſtituerent. Poſthæc ad Regem, ejuſque ſucceſſores alloquuti ſunt Patres, admonueruntque, ne poteſtate ſibi conceſſa ad populorum protectionem, & ſalutem repudiata, tyranni efficerentur, ſed bonarum actionum cupidi, & humiles corde regnarent: ne in capitis cauſa, aut civili ſoli judicarent, ſed publico ſuffragio ſibi gratiæ tribuendæ potentia reſervata: denique ut *& Reges in populis, & populi in*

Digitized by Google

*Regibus, & Deus in utriſque lætarentur.* En ad hujus Concilii calcem Gothorum Regnum non ſucceſſionis jure, ſed optimatum, & Epiſcoporum ſuffragiis collatum.

## §. II.
### *De Concilio Toletano quinto Luſitaniæ, & univerſæ Hiſpaniæ Generali.*

ANno Chriſti 636. & primo Cinthilæ Gothorum Regis duo & viginti Epiſcopi Toletum confluxerunt, Synodumque habuerunt; nullus tamen ex Luſitania niſi Waricus Olyſiponenſis: aſt cum ſub noſtro Rege eſſet convocatum, ejuſque Canones per univerſam, qua longe, lateque erat Luſitania, etiam cuſtodirentur, Luſitanæ Hiſtoriæ partem ingrediatur neceſſe eſt. Primo loco ſedit Eugenius Toletanus, adfuit Rex cum optimatibus, & ſui Palatii ſenioribus. Octo Canones editi ſunt, quorum primus ad Eccleſiaſticum ritum adtinebat, ceteri ad Regni felicitatem. 1. Canone ſanctum eſt, ut quotannis Litaniæ, aut ſupplicationes publicæ Idibus Decembribus triduo celebrarentur. Can. 2. Regis Cinthilæ electio confirmatur, ejus filii in patrocinium ſuſcipiuntur, & poſt obitum patris ab omni injuria fore vindicandos, ac tuendos indicitur. Can. 3. ut nullus, præſertim qui veteri Gothorum nobilitate non clareret, regium thronum occuparet, niſi libere eligeretur, & ipſi faverent ſuffragia. Can. 4. anathema decretum eſt in eos, qui ante Regis obitum de eligendo ſucceſſore agebant, cum inſidiarum, turbationumque in Regno eſſent origini. Can. 5. eadem pœna in eos, qui maledicta in Regem proferrent, indicta eſt. Can. 6. ne Regni ſucceſſores exuant Miniſtros rebus iis, quas Regum deceſſorum munificentia conceſſerat; & Can. 7. juſſum fuit ut in ſingulis Hiſpaniarum Conciliis Toletani quarti decretum legeretur, quo ſaluti Regum conſultum fuerat. Tandem 8. Can. ſoli Regi reſervata eſt parcendi licentia iis, qui hujuſmodi leges tranſgreſſi forent: gloriam, & laudem

Digitized by Google

Omnipotenti Deo Patres tribuerunt, Principi grates impenderunt, eique felicitatem adprecati sunt.

Nec novum erat quod Patres erga Reges ea uterentur benevolentia, iis fideles exstarent fausta omnia desiderantes, incolumitatique prospicientes: hanc fidelitatem a primis Christianæ Religionis crepundiis Patres ipsi, qui sæculis illis aureis floruerunt, nobis commendarunt. Justinus Apolog. 2. ita Imperatorem Marcum Antoninum Verum, & Lucium Aurelium Commodum alloquebatur: *Imperatores, ac Principes hominum esse profitentes, & simul precantes, ut cum imperiali potestate, sanam quoque mentem obtinere comperiamini.* Athenagoras in Apologia pro Christianis ad supradictos Imperatores ait neminem iis addictiorem esse, quam Christiani: *Ecqui enim consequentur æquius ea, quæ petunt, quam nos adeo vobis devoti, addictique?* Quid memorem Tertullianum in lib. 7. ad Scapul. cap. 2. *Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum... & solo Deo minorem ... itaque sacrificamus pro salute Imperatoris.* Si ita erga infideles Principes veteres Patres, quod regiam potestatem a Deo acceptam agnoscerent, quanta laude, & honore Christiani Reges prosequendi sunt, quos Canonum custodes, & religionis vindices veneramur? nec adulationis vitio Justino, & Athenagoræ, & aliis sanctissimis Viris, quos omitto, id vertendum est.

## §. III.

### *De Concilio Toletano sexto Lusitaniæ, & universæ Hispaniæ Generali.*

ANno Domini 638. quinto Idus Januarii quadraginta septem Episcopi, & quinque Episcoporum Vicarii ex universis provinciis, quæ sub Gothica erant potestate, Toletum advenerunt, Synodumque celebrarunt: ex nostris, provinciis accesserunt Orontius Emeritensis, Waricus Olysiponensis, Farnus Visensis, Montesius Egitaniensis, Sisis-

Digitized by Google

clus Eborenſis, Renatus Colimbrienſis, Profuturus Lamecenſis, Julianus Bracarenſis, Oſibeſus, aut Anſiulphus Portucalenſis, Pimenius Dumienſis. Poſt fidei præmiſſam profeſſionem ſeptemdecim Canones prolati ſunt. In Canonibus 1. 14. 15. 16. 17. & 18. præcedentis Synodi decreta de Litaniis, & de incolumitate, ac veneratione erga Reges confirmata ſunt; ratumque habitum quidquid Synodus Toletana quarta de Judæis ſanxerat, additumque fuit, ut Rex legitimis ſuffragiis ad ſolium vocatus, illud non aprehenderet niſi prius ſacramento ſe obſtringeret, minime ſe conſenſurum Catholicam Fidem violari, nec in regno ſuo accolam exſtare, qui non eſſet catholicus: Religioſiſſimi Principis placitum, ac legem gratulati ſunt Patres, ſucceſſoreſque ad ipſius legis obſervationem teneri voluerunt. Hinc tituli originem putant aliqui, quo Hiſpaniarum Reges Catholici inter ceteros Chriſtianos Principes appellantur. Can. 4. ſimoniaci ab ordinibus, & ſacris miniſteriis removentur: ſane juxta Canonum ſanctiones, & Sanctorum Patrum decreta omnino fuere damnati, ac deponebantur. Can. 5. cum ſæpe fieret, ut proprietati originis obſiſteret longinquitas temporis, decretum eſt, ut ſiquis Clericorum ſtipendium de rebus Eccleſiæ cujuſquam Epiſcopi percipere largitate ſub precariæ nomine deberet profeſſionem ſcribere: ut nec per detentionem diuturnam præjudicium afferret Eccleſiæ; & quæcumque in uſum percepiſſet deberet utiliter laborare: ut nec res divini juris videretur aliqua occaſſione negligi, & ſubſidium ab Eccleſia, cui deſerviebant, perciperent Clerici. Quod ſiquis eorum contempſiſſet facere, ipſe ſe ſtipendio ſuo videretur privare.

Can. 6. Monachos, & Sanctimoniales religioſam vitam deſerentes ſub excommunicationis pœna ad officium compelluntur, & in Monaſteria redire coguntur. Can. 7. qui pœnitentiam dereliquerant, ſi ab Epiſcopis comprehenderentur, iterum ejus legibus etiam inviti in Monaſteriis ſubjiciebantur. Can. 8. ut pœnitentes, qui in ætatis adoleſcentia poſiti erant, ob incontinentiæ periculum conjugio

Digitized by Google

antea inito posſent uti. Leonis magni ſententiam ſequuti ſunt, qui in Ep. ad Ruſticum dixerat: *In adoleſcentia conſtitutus, ſi urgente, aut metu mortis, aut captivitatis periculo pœnitentiam geſſit, & poſtea timens lapſum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur feciſſe venialem, ſi præter conjugem, nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus.* Can. 9. & 10. ſtatuta in aliis Conciliis de Eccleſiarum libertis confirmantur. Can. 11. neminem quocumque accuſatum crimine damnandum eſſe ſtatuitur, niſi prius quæſitum ſit an legitimo ab accuſatore eſſet delatus, crimine Majeſtatis excepto. Can. 12. ad hoſtes confugientes patriæ damnum illaturi excommunicatione, & diuturna pœnitentia plectuntur; aſt ſi ad Eccleſias confugiſſent, & Sacerdotum interceſſio, & loci reverentia apud Regem valeret, ut pietate juſtitia commutaretur. Crimen illud licet non tam in Hiſpaniis, verum & in Romano imperio graviſſimis pœnis inhiberetur, ſola aſyli ſacri immunitas proderat. Hæc nec ſemper, nec pro omnibus criminibus erat auxilio. Theodoſius Magnus anno 392. ad Romulum Comitem legem ſcripſit, quæ in Cod. Theodoſiano de his, qui ad Eccleſias confugiunt eſt prima, in qua juſſit, ut publici debitores ab Eccleſia, quo confugerant, abducerentur, aut Clerici, & Epiſcopi, qui eos occultarent, exigerentur.

Lex iſtæc in Juſtinianeo Codice deſideratur; aſt eam quoque reſpexiſſe videtur Magnus P. Auguſtinus Ep. 268. ad Plebem Hiponenſem: *Cum Faſcius*, ait S. P., *debito decem & ſeptem ſolidorum ab oppigneratoribus urgeretur ut redderet, quod ad præſens unde explicaret ſe non inveniebat, ne corporalem pateretur injuriam, ad auxilium S. Eccleſiæ convolavit; exactores cum proficiſci cogerentur, & ideo dilationem dare non poſſent, graviſſimis me querelis oneraverunt, ita ut eis illum traderem, aut quod ſibi deberi oſtendebant, unde acciperent, providerem.* Eutropius quoque, qui Imperatoris cubiculariis præpoſitus erat, teſte

Digitized by Google

Sosomeno lib. 8. Hist. Eccl. cap. 7. Comitis, ac Patricii honorem adeptus legem ferri curavit, qua vetabatur ne quisquam ad Ecclesiam confugeret; & qui jam confugissent, expelli jubebantur. Sed nec multo postea calumnia appetitus, quasi Imperatoris conjugem contumelia afficerit, primus ipse legem transgressus est: & ex palatio sese proripiens, supplex ad Ecclesiam confugit. Eutropius impii conatus sui meritas pœnas persolvit capite truncatus, & lex, quæ promulgata fuerat, ex monumentis publicis penitus sublata est: & alia lex postea anno 414. edita est ab Honorio, & Theodosio juniore, ut nemini liceret ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere, & si quisquam contra illam venire tentasset, sciret se Majestatis crimine esse retinendum. Enim vero anno 431. Theodosius ipse, & Valentinianus præceperunt, ut paterent Summi Dei templa timentibus, nec sola altaria, & oratorium templi circumjectum ad tuitionem confugientium essent proposita, sed usque ad extremas fores Ecclesiæ, quas oratum populus primas ingreditur, confugientibus aram esse salutis; iis exceptis, qui templa cum armis ingredi auderent; qui si Ecclesiæ voce moniti, post tot, tantorumque denuntiationes arma noluissent relinquere, armatis, si ita res exigeret, intromissis, abstraherentur, & omnibus casibus subderentur. Idem nostris Regibus Gothicis placuit, qui per universas Hispanias decreverunt, ut legitur in Cod. legum Gothorum lib. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt leg. 1. *Nullus de Ecclesia ausus sit aliquem violenter abstrahere nisi ad Ecclesiam confugiens armis se defensare voluerit.* Can. 13. junioribus, & inferioribus jussum fuit ut proceribus honorem impenderent, & senioribus, ut morem, & patrocinium erga illos ostenderent.

Digitized by Google

## §. IV.

### *De Concilio Toletano ſeptimo Luſitaniæ, & univerſæ Hiſpaniæ Generali.*

REge Chindaſuintho, anno Domini 646. viginti & octo Epiſcopi, necnon undecim Vicarii Toletum convenerunt de iis, quæ Religionem, Rempublicam concernebant deliberaturi: ex Luſitania, & ea Gallæciæ parte, quæ ætate noſtra Portugalliæ finibus coercetur, interfuerunt Orontius Emeritenſis, Neufridius Olyſiponenſis per Vicarium Criſpinum Abbatem, Farnus Viſenſis, Armenius Egitanienſis, Siſiſclus Eborenſis, Theodoredus Pacenſis per Vicarios Reparatum, & Conſtantium Presbyteros, Vitaricus Lamecenſis, Rechimirus Dumienſis, & Sona Britonienſis. Ea fuit Patrum erga Regem reverentia, & obſequium, ut initio Canone 1. anathema perpetuum indicerent in eos, qui in Regis ipſius perniciem, ac patriæ conjurarent, quo ſolo in extremo vitæ periculo ſolverentur: illud tamen Regis arbitrio reliquerunt, aut temperandum, aut contrahendum. Id genus calamitatibus erant obnoxii Gothici Reges, quandiu regnum electivum erat, ac proinde pro eorum incolumitate leges ferre oportuit, quas videris in aliis quoque Conciliis. Can. 2. ut ſi Sacerdos ſacrum celebrans infirmitate corripiatur, alter inceptum ſacrificium compleret. Can. 3. Valentini Concilii Canonẽ ſecundum obſervari ſtatutum eſt, ne Clerici defunctorum Epiſcoporum ſpolia diriperent; ut ad Epiſcopum agentem animam, vicinior proficiſceretur Antiſtes, qui exequiis peractis, fideliſſimam rerum omnium, quæ in Epiſcopali domo inveniebantur, deſcriptionem faceret: qui vocatus Epiſcopus ire neglexiſſet, ſub anathemate anni ſpatio e gradu, atque dignitate ejiceretur: Presbyteri vero, aut Clerici, quibus maior erat locus in Eccleſia, ſi tardi invenirentur ad commonendum Epiſcopum vicinum defuncti funus curaturum, anni quoque ſpatio intra Monaſterium agerent

pœ-

Digitized by Google

pœnitentiam. Can. 4. propter quoſdam Gallæciæ Parochos de ſuis conqueſtos Epiſcopis, qui Diœceſim viſitantes importunius ab iis expenſas extorquebant, decretum eſt ſecundum Synodum Bracarenſem, ne amplius quam duos ſolidos ideſt a ſingulis ſuæ Diœceſis Parœciis annuatim exigerent, & ne in viſitationibus quinque equorum numerum excederent, ne cuiquam eſſent oneri, nec ultra diem in viſitanda Eccleſia commorarentur.

Propter hujuſmodi Canonem non defuerunt, qui exiſtimarent errorem exſcriptorum manu irrepſiſſe in Canone quarto Concilii Lateranenſis tertii, qui legitur in cap. 6. lib. 3. Decretalium de Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus. Famoſus iſte Canon ait: *Grave nimis eſſe dignoſcitur, quod quidam Prælatorum ita in procurationibus graves exiſtant, ut interdum Eccleſiaſtica ornamenta ſubditi exponere compellantur, & longi temporis victum brevis hora conſumat; quo circa ſtatuimus quod Archiepiſcopi Parœcias viſitantes pro diverſitate provinciarum, & facultatibus Eccleſiarum* 40. *vel* 50. *evectionum numerum, Epiſcopi autem* 20. *vel* 30. *Cardinales* 25. *numquam excedant. Archidiaconi vero* 5. *vel* 7. *Decani conſtituti ſub Epiſcopis duobus equis contenti exiſtant.* Quænam hîc moderatio, inquiunt, ſi verbis, & numeris hujuſce Canonis nullus inſidiatus eſt error? Aſt pro temporum varietate non una eſt Eccleſiarum diſciplina: ſtupenda erat Concilii Lateranenſis tertii ævi modeſtia, & ſobrietas, quæ nobis intemperantiæ cujuſdam, & prodigalitatis ſpeciem præ ſe ferre viſa eſt. Certe tunc ditiores erant Eccleſiæ, Antiſiteſque ſuppellectili, & pompa opulentiori utebantur; id conſtat ex ejuſdem Canonis verbis: *pro diverſitate provinciarum, & Eccleſiarum facultatibus.* Etiam cum Archiepiſcopi, & Epiſcopi Ducum, Comitum, & Baronum dignitate, & inſignibus fulgerent, creberrimæ illis, ait Thomaſinus, incedebant ſimultates, minæque hoſtiles: hinc mos erat, ut longius non proficiſcerentur, niſi numeroſum ſatellitium eos comitaretur. Quæ omnia *Part. 3. veter. Eccl diſcipl. lib. 2. c. 33.*

hujus Concilii Toletani ætatem nimis latebant.

Can. 5. ut Monachi vagi, aut etiam recluſi, qui ſola ignavia Monaſticum inſtitutum amplexi erant, ac pravis moribus ſuis Eccleſiæ dedecus, & ſcandalum gignebant, Monaſteriis deputarentur, ubi ſancti inſtituti meditantes doctrinam, primum diſcerent, quæ Patres tradiderant, ut poſtea alios docerent, quæ meditatione ſancta perciperent. Nihil veteribus Patribus erat correctionis dignius argumentum, quam hypocritæ Monachi circumeuntes provincias, nuſquam miſſi, nuſquam fixi, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes: eorum erat tanta hypocriſis, ne dicam audaciam, ut, Mag. P. Auguſtino teſte, membra Martyrum, ſi tamen Martyrum, venditarent; alii fimbrias, & phylacteria ſua magnificarent; alii parentes, vel conſanguineos ſuos in illa, vel in illa regione ſe audiſſe vivere, & ad eos pergere mentirentur; & omnes peterent, omnes exigerent, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis: cum interea ubicumque in factis ſuis malis deprehenſi fuerint, vel quoquomodo innotuerint, ſub generali nomine Monachorum iſtorum propoſitum blaſphemaretur.

*Lib. de opere Monac. cap. 28.*

Can. 7. ut pro reverentia Principis, regiæ civitatis honore, ac Metropolitæ conſolatione, Epiſcopi Toleto viciniores ab Archiepiſcopo Toletano admoniti, ad eam urbem accederent, & ſingulis quique menſibus ibi eſſent, præter meſſium, & vindemiarum tempora. Epiſcoporum in Eccleſiis ſuis reſidentiæ non obeſt canon iſte; a reſidendi ſacratiſſima lege cenſebantur legitime diſpenſati Epiſcopi, qui a Regibus vocabantur, & retinebantur in aula, ut ipſis conſilia, & miniſterium in reipublicæ regimine præſtarent; quamobrem Hiſpanienſes Præſules Toletum ad aulam regiam accedebant. Synodus Antiochena licet ab Arianis adunata anno Chriſti 341. Can. 11. ſtatuit, & Epiſcopis, ac Clericis prohibuit ſub excommunicationis pœna, & ex auctorationis ne ad aulam, & Principem ſe conferrent, & adirent, niſi conſilio, & literis Metropolitæ

Digitized by Google

præsertim, aut Episcoporum provinciæ. Sardicensis Can. 8. Episcopos ad Imperatoris aulam proficisci vetat, nisi Imperatoris literis vel invitati, vel evocati sint. Plures etiam sunt Justiniani Imperatoris Novellæ idipsum proferentes, scilicet Novella 6. cap. 2. & Novella 123. cap. 26. Notandum est Episcoporum Vicarios Concilio huic definientes quoque subscripsisse: quod argumento est eo tempore Episcoporum absentium agentes vicem in Hispaniarum Conciliis habuisse definiendi potestatem perinde ac illam haberent Episcopi ipsi si adessent.

## §. V.

### *De Concilio Toletano octavo Lusitaniæ, & universæ Hispaniæ Generali.*

Anno Christi 653. Era Hispanica 691. jussu Recceswinthi Regis 52. Episcopi ex Gothica ditione, 10. aliorum Episcoporum Vicarii, decem Abbates, Archipresbyter unus Toletanus, & alius Primicerius, cum Plurimis optimatibus officii Palatini Toletanò in Concilio adunati sunt. Lusitani Episcopi interfuerunt Orontius Emeritensis, qui præfuit, Widila Visensis, Selva Egitanensis, Abiencius Eborensis, Adeodatus Pacensis, Sisibertus Colimbriensis, Saturninus Ossonobensis per Sagarellum Diaconum, Filimirus Lamecensis, Potamius Bracarensis, Rechimirus Dumiensis, Sona Britonensis per Presbyterum Matericum Vicarium. Post Episcopos subscripserunt Abbates, Archipresbyter, & Primicerius, deinde Episcoporum Vicarii. Post Vicarios Gothorum optimates Palatini. Hinc apparet septimo sæculo jam vergente in Hispaniis Abbates omnes Presbyteratu ornatos fuisse, cum supra Presbyteros Episcoporum Vicarios sederent, & suo nomine subscriberent; ubi etiam ne pigeat observasse inter gradus Ecclesiasticos Abbates constitui. Jam in Galliis sæculo 6. in Synodo Altisiodorensi sub Aunachario Altisiodori Episcopo septem Abbates ante Presbyteros triginta tres in sub-

Digitized by Google

ſcribendo primas habuerunt: nec in Hiſpaniis novum id erat inſtitutum. Apparet etiam in Hiſpanienſibus Eccleſiis & extitiſſe Archipresbyteros, & Primicerios, quorum officia ante Canones deſcribendos adducam. Archipresbyter, quem Græci ſplendoris nominum nimis ſtudioſi *Protopresbyteron* appellarunt, e Presbyteris erat, qui ordinationis tempore ceteris anteibat.

Quamquam in Orientali Eccleſia id non erat adeo obſervatum, cum Gregorius Nazianzenus Baſilium nuper in Epiſcopatum electum viſitatum adiens volenti ei primum ſibi inter Presbyteros locum aſſignare non adquieſ-
*Orat.* 20. ceret, utpote ordinationis tempore, & ætate junior: in Occidente tamen certius erat neminem ad Archipresbyteratum fuiſſe aſſumptum, niſi tempore ordinis, & ætatis conſideratione: quamobrem Leo Magnus Papa cum ſciret a Doro Beneventano Epiſcopo primum præ aliis honoris locum in Eccleſia donatum fuiſſe Presbytero recens ordinato, eique annuiſſe duos Presbyterorum antiquiſſimos, exprobravit, quod canonicum Cleri inſtitutum tranſgrederetur, ac his dictis in Dorum graviter invectus eſt: *Cognovimus apud te novo ambitu, fœdoque colluvio Presbyteri ordinem fuiſſe turbatum, ita ut unius feſtina, & immatura provectio, quædam eorum dijectio facta ſit, quos ætas commendabat, & nulla culpa minuebat.* In Concilio Provinciæ Luſitanæ Emeritenſi, ut infra videbimus, Can. 9. ſtatutum fuerat, ut omnes Epiſcopi intra noſtram Luſitaniam conſtituti in Cathedralibus Eccleſiis, ſinguli Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primiclerium haberent. Archipresbyterorum horumce officium deſcripſit Iſidorus Hiſpalenſis in Epiſtola ad Laudefridum Epiſcopum Cordubenſem: *Quod ſpecialiter ad ejus* (Archipresbyteri) *miniſterium pertinet, ſuper omnes Presbyteros in ordine poſitos curam agere, & aſſidue in Eccleſia ſtare: & quando Epiſcopi ſui abſentia contigerit, ipſe ejus Miſſarum ſolemnia celebret, & collectas dicat, vel cui ipſe injunxerit.* Ex eodem tamen Iſidoro erant ſub Archidiacono, ejuſque præ-

Digitized by Google

ceptis ſicut Epiſcopi ſui obediebant. Archidiaconi enim erant Epiſcoporum Miniſtri generales, & Vicarii in depromenda eorum juriſdictione omni, ſive voluntaria, ſive contentioſa: ait ipſe Hiſpalenſis Præſul ad eundem Laudefridum: *Solitudo quoque Paræciarum, & ordinatio, & jurgia ad ejuſdem* (Archidiaconi) *pertinent curam. Pro reparandis Diœceſanis Baſilicis ipſe ſuggerit Sacerdoti; ipſe inquirit Paræcias cum juſſione Epiſcopi, & ornamenta, vel res Baſilicarum, & Paræciarum geſta, & libertatum Eccleſiaſticarum Epiſcopo idem refert.*

Nunc de Primiceriis, quorum nominis vim ſi perpendamus, erat is in quibuſvis officiis, aut dignitatibus, quæ multis conferebatur, qui primus erat, & is Primerius appellabatur, quod in catalogo cujuſvis dignitatis eo tempore cereis tabulis deſcripto primum obtinuerat locum; in Hiſpaniis vero non Primicerius, ſed Primiclerius nominabatur; quapropter Garcias Loayſa in ſubſcriptionibus hujus Concilii legit *Siculus Primiclerius, non Primicerius* poſt Archipresbyterum Toletanum. Ejus munus erat inferiori præeſſe Clero, ipſiſque Subdiaconis, ex quibus aſſumebatur ad Primicerium. Ait D. Iſidorus in jam citata Epiſtola: *Ad Primicerios pertinent Acolyti, & Exorciſtæ, Pſalmiſtæ, atque Lectores: ſignum quoque dandi pro officio Clericorum, pro vitæ honeſtate, & officium meditandi, & peragendi ſolicitudo, lectiones, benedictiones, pſalmum, laudes, offertorium, & reſponſoria quis Clericorum dicere habeat. Ordo quoque, & modus pſalendi in choro pro ſolemnitate, & tempore: ordinatio pro luminariis deportandis. Siquid etiam neceſſarium pro reparatione Baſilicarum, quæ ſunt in urbe, ipſe denuntiat Sacerdoti: Epiſtolas Epiſcopi pro diebus jejuniorum parochianis per Oſtiarios iſte dirigit. Clericos, quos delinquere cognoſcit, ille diſtringit; quos vero condemnare non vult, eorum exceſſus ad agnitionem Epiſcopi defert. Baſilicarios ipſe conſtituit, & matriculas ipſe diſponit.* Ejuſdem officii meminit Concilium Lusitanum Emeritenſe de quo infra.

Digitized by Google

Hic circa ſubſcribentium officia pertractatis, ad reliqua Concilii acta deveniam: Receſvinthus Rex ad Patres ingreſſus eſt, eos veneratione acclinis proſequutus libellum obtulit, in quo Fidei Catholicæ profeſſio ſcripta erat, quam in Synodis Œcumenicis Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, & Chalcedonenſi Sancti Patres ediderant: Præſules enixe rogavit piiſſimus Rex, ut non tantum de Eccleſiaſticis rebus agerent, verum, & regni ſtatum temperarent: quapropter undecim Canones protulerunt. 1. juramenta, & vota de re illicita irrita fore ſancitum eſt: adductis ſcripturarum ſacrarum, & Patrum ſententiis, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii Magni, ac Hiſpalenſis Iſidori: exemplum voti Jephte in medium cum Ambroſio adduxerunt, necnon Herodis juramentum ad Herodiadem factum pro Joannis Baptiſtæ capite amputando: quid ſane incautius, indigniuſve, quam illicitam rem Deo vovere, & promittere! Ambroſius ait: *Neque unquam adducar, ut credam non incaute Principem promiſſiſſe Jephte, ut immolaret Deo quidquid ſibi revertenti intra limen domus ſuæ occurreret, cum & ipſum voti pœnituerit ſui, poſtquam filia occurrit ſibi.*

*Lib. 3. de officiis c. 12.*

2. Dolentes Patres, quod quamplurimi mercari vellent gratiam Spiritus Sancti, dum vile donabant præmium ut Pontificalis ordinis ſublime culmen acciperent, ſtatuerunt: quod ſi aliquis exiſteret, qui accuſaret; ille qui hunc ordinem munerum acceptatione fuerat lucratus, anathematis opprobrio damnaretur, a perceptione corporis Chriſti, & ſanguinis eſſet alienus, & ſuſcepti honoris gradu privatus in Monaſterio ſub pœnitentia religaretur. Qui vero pro hac cauſa munera acciperent, ſi Clerici eſſent, honorem amitterent; ſi laici anathema ſubirent. Can. 3. & 4. Epiſcopos, & Sacerdotes, qui detecti fuerant execrabilibus flagitiis cum fœminis pollui, loci, & ordinis dignitate privari ſtatutum eſt, & uſque ad exitum vitæ ſuæ Monaſteriis deputatos pœnitentiæ manere omnino ſubjectos. Can. 5. Subdiaconi quidam, qui poſtquam ad ſacri hujus

Digitized by Google

ordinis gradum pervenerant, non ſolum carnis immunditia fuerant ſordidati, ſed novis uxoribus copulati, omni penitus ab illis ſorde mulierum, ac familiaritate remota, ſub pœnitentiæ oneribus uſque ad extremum vitæ Monaſteriis deſtinabantur. Ex hujus Canonis verbis : *ad ſacri hujus ordinis gradum* notum fit in noſtris Hiſpaniarum provinciis Subdiaconatum inter ſacros ordines jam ſæculo ſeptimo numerari ; nec antea aliquod ſimile monumentum apparet : nam licet Innotentius III. cap. *Miramur* 7. de ſervis non ordinandis dicat Subdiaconatum a conſtitutione Gregorii Magni ſacrum fuiſſe ordinem ; non ita intelligendus eſt quaſi revera jam a tempore Gregorii Magni ſacer haberetur, ſed quod veluti tunc primus fuerit gradus dignitatis ad quam poſtea evectus eſt, & Subdiaconis continentiæ, ac cælibatus lex ab ipſomet Gregorio injungeretur.

Can. 6. propter quoſdam, qui neceſſitatum eventu, & periculorum metu officia, & Eccleſiaſticas dignitates in Clero adepti fuerant, & poſtea cum illis hæc imponerentur, id ſibi fieri nolluiſſe teſtabantur, ſpernebant, atque ad priſtina conjugia, & mores redire pertentabant, ſtatutum eſt, ut licet invite perceperint, quod non merebantur habere, libenter tamen ob cæleſte retinerent præmium, quod nolendo per terrenæ conſecuti fuerant neceſſitatis eventum: & ſiquis ex iis ad conjugia, moreſque ſæculi relabi attentaret, mox omni Eccleſiaſtici ordinis dignitate privatus, vere ut Apoſtata a Sanctæ Eccleſiæ liminibus, & fidelium ſocietate excluderetur, Monaſterii clauſtris, quandiu viveret, ſub pœnitenttia retrudendus. Sacri Baptiſmi comparationem adduxerunt Patres, quod non ſolum nolentibus, verum & neſcientibus impertitur. Horum Patrum ſententiam ſectatus eſt Innocentius IV. ad Archiepiſcopum Arelatenſem ſcribens : *Propter quod inter invitum, & invitum, coactum, & coactum alii non abſurde diſtinguunt, quod is qui terroribus violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, baptiſmi, (aut ordi-*

Digitized by Google

*nis) ſuſcipit Sacramentum, talis characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tamquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam Fidei Chriſtianæ.*

Can. 7. ordinari prohibentur, niſi qui morum innocentia, & literarum ſplendore eſſent illuſtres. Can. 8. qui in Quadrageſima abſtinentiam non ſervabant, a Paſchali communione, quæ a Dominica Palmarum uſque ad Domicam in albis erat, removebantur, & anno integro ab eſu carnium in pœnam abſtinebant; ii vero, qui aut ætate, aut languore, aut neceſſitate arctati erant, cibis prohibitis non utebantur, niſi prius a Sacerdote licentiam acciperent. Can. 9. editum eſt Regis electionem aut in urbe regia, aut in loco, ubi Princeps obierat, peragendam a Pontificibus, & maioribus Palatii, non paucorum conſpiratione, aut ruſticarum plebium ſeditioſo tumultu. Electos juramento promittere Catholicæ Fidei defenſionem ab omni Judæorum, ac hæreticorum injuria; exactiones, aut nova vectigalia ſubditis non impoſituros. Hujus Canonis tranſgreſſores, ſive Clerici, ſive laici, & communione, & ordinis dignitate privabantur. 10. decretum fuit, ut Synodorum decreta executioni traderentur, eorumque violatores a communione, & honoris ſui gradu deponerentur: in Synodis vero ſi pauciores vel per ignorantiam, vel contentionem diſſentirent, aut commoniti maiori ſuffragantium parti cederent, aut per annum anathematis gladio ferirentur. 11. Concilii Toletani quarti ſtatuta circa Judæos obſervari mandantur: & tandem Patres Deo impenderunt grates, Regi gratulati ſunt, & legem, quam ille pro coercenda Principum ambitione tulerat, approbarunt: videlicet ut bona ab ipſis adquiſita, ex quo ad regnum aſcenderant, manerent in ipſorum poteſtate non habenda parentali ſucceſſione, ſed poſſidenda regali congreſſione; ita ut juſte ſibi debita quiſque perciperet, & de reliquis ad remedia ſubjectorum, quæcumque eligeret, Principis voluntas exerceret. Anno 655. Concilium Toletanum ab eodem Recceſvin-

Digitized by Google

ceſvintho Rege habitum eſt; aſt cum nullus Luſitaniæ noſtræ Epiſcopus interfuerit, nec Hiſpaniarum eſſet generale ad Luſitanæ Eccleſiæ Hiſtoriam adtinere quis dicat?

## §. VI.

### *De Concilio Toletano decimo Luſitaniæ, & univerſæ Hiſpaniæ Generali.*

ANno 656. Epiſcopi viginti ex univerſa Hiſpania Recceſvintho Rege advocante, Toletum acceſſerunt Synodum celebratum. Ex Luſitania adierunt Cæſarius Olyſiponenſis, Zozimus Eborenſis; ex Gallæciæ parte, quam Inter-Duriominiam appellamus, Potamius Bracarenſis, a ſua tamen Sede ejectus, Fructuoſus Dumienſis ad Bracarenſem Eccleſiam electus, & Flavius Portugalenſis. Septem prolati ſunt Canones. 1. Feſtum Annuntiationis Beatiſſimæ Virginis, quod ſingulis annis octavo Kalendas Aprilis celebrari ſolitum erat, in diem octavam Decembris transferri decretum eſt, quippe vigeſima quinta dies Martii Quadrageſimæ ſolemnitate, & nonnumquam Chriſti morte commemoranda eſſet impedita. Hoc Toletanæ Synodi conſtitutum Hiſpaniæ fines non eſt prætergreſſum; regiones ceteræ morem gerebant Romanæ Eccleſiæ, quæ traditione Eccleſiaſtica fulta Verbi Divini conceptioni diem vigeſimam quintam Martii conſtituerat: conſequutis vero temporibus Hiſpanienſes Eccleſiæ ad Romanæ morem ſe conformarunt, Annuntiationis feſtum vigeſima quinta die Martii peragere cœperunt, & ad diem decimam octavam Decembris celebritatem de Expectatione partus ſubſtituerunt; quod hæc ſolemnitas ab ipſa Toletana Eccleſia inſtituta fuerit; tum etiam quod eadem die Sanctiſſima Virgo Toletanum templum ſua præſentia conſecraverit, & famulum ſuum Ildephonſum ſacris muneribus exornaverit. Apud noſtros, teſte Loayſa in notis ad Concilium iſtud, appellata eſt B. Mariæ de *O*; origine nominis ducta ab Antiphonis, quæ per adverbium *O* incipiunt, quarum prima



Digitized by Google

in vigiliæ veſperis hujus feſtivitatis dicitur.

Can. 2. cum ſanctionibus Decretorum, & legalibus inſtitutionibus jam eſſet cautum, ne contra ſalutem Principum, gentiſque, aut patriæ quiſquam meditari conaretur adverſum; id ſpecialiter depromptum eſt obſervandum, ut ſiquis Religioſorum ab Epiſcopo uſque ad extremi ordinis Clericum, ſive Monachum generalia juramenta in ſalutem regiam, gentiſque, aut patriæ data reperiretur violaſſe voluntate propria, mox propria dignitate privatus, & loco, & honore haberetur excluſus, & miſerationis obtentu tantumodo reſervato, ut an locum, an honorem, an utraque poſſideat, concedendi jus, licentiamque poteſtas principalis obtineret. 3. vetitum eſt Epiſcopis ne conſanguineis ſuis, aut aliquo favore ſibi obſtrictis, ſi laici forent, Parochiarum, vel Monaſteriorum Præfecturas committerent; alioqui irrita fieret collatio; & qui conferret, annua excommunicatione percuteretur. Can. 4. decretum eſt viduis, ut profeſſionem ſuam coram Sacerdote emitterent, & ſubſcriptione propria roborarent, pallio quoque, ſeu velamine rubri, vel nigri coloris capita ſua contegerent. Veterum Patrum ſtatuta de viduis tenuerunt Antiſtites Hiſpaniarum.

Viduis antiquiſſimus erat uſus, ut conjugibus defunctis, ſtatim ad velum induendum propenderent; tacita hæc erat profeſſio, quæ fiebat, ſumpto velo, habituque modeſtiore: aſt cum a propriis ædibus non diſcederent, nec familiæ curam relinquerent, nonnullæ doloris primum, & luctus impatientiſſimæ velum arripiebant, parique levitate abjiciendi occaſiones meditabantur: aliæ ſenſim alliciebantur mollibus illis deliciis, quæ non facile caveri queunt, cum rerum copiæ affluunt, & ſæculi voluptates oculos, aureſque circundant; viſum eſt Epiſcopis, ut eæ profeſſionem ſuam firmarent, ne ſæculum repeterent: & quod non mulieri cuiquam velum aut ſponte, aut coacte ſemel ſuſceptum quacumque ratione rejicere liceret. Eadem profeſſionis lege Can. 5. fuere obſtrictæ ſacræ Virgi-

Digitized by Google

nes ; adeo ut istæ, simul ac viduæ voti prævaricatrices excommunicatione, & ardua pœnitentia plecterentur.

Can. 6. parentibus decretum est, ut filios suos ad decimum usque tantum ætatis annum religioni possent devovere, & pueri a parentibus suis ita per tonsuram, & vestem Monasticam oblati, observantiæ addicti semper manere cogerentur. 7. tandem vetitum est, ne Christiani Judæis venderentur, nec sub eorum essent potestate. Canonibus editis, ad Potamii Bracarensis causam accesserunt Patres: in ejus locum Fructuosum Dumiensem suffecerunt, ut jam supra dictum est, cum de Potamio egi: in ejus depositione decretum Valentinæ Synodi sequuti sunt, & veteres Canones, inter quos insignis erat, qui Apostolorum nomine 42. ferebatur: *Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto, aut homicidio captus est, deponatur.* Hæsitarunt quidam ex Potamii facto an propter crimen carnis occultum publica pœnitentia subiretur? ast voluntaria, ac libera Potamii confessio, ac satisfactio nulli erit argumento: quamvis etiam ab ipso Apostolorum tempore, aut circiter moris fuerit in Ecclesia neminem sacris Ordinibus initiari, qui post susceptum baptisma, sive clam, sive palam lapsus esset in aliquod delictum, præsertim ex tribus illis, quæ gravissima censebantur, idolatria scilicet, homicidium, & fornicatio, seu mœchia. Si omne crimen præsertim impudicitiæ in hominibus jam baptisatis erat impedimento ad sacrorum Ordinum susceptionem, quanto magis ad innoxiam ipsorum administrationem.

Potamio depositio, de S. Martini Dumiensis testamento exorta est quæstio: nam Bracarensis iste Metropolita testamentum fecerat, cujus executionem Suevorum Regibus commiserat: cum Suevorum regnum ad Gothorum Reges transiret, Recceswinthus Rex dubius an suarum esset partium ultimam Martini exequi voluntatem, per illustrem Wambam Patres consuluit, qui in unum consensu Recceswinthum Suevorum Regum successorem ad exequendum teneri judicarunt. Deinde iisdem illatum est Patribus testa-

Digitized by Google

mentum Rechimiri Dumienſis Epiſcopi, quod de rebus ſuis in Eccleſia ipſa decreverat veridica examinatione dirimendum. Dumienſis Clerus conqueſtus eſt de largitionibus immodicis Rechimiri, nam ultra modum omnia in pauperes ejus teſtamento effuſa fuerant. Præter plurimos ſervos, quos ille vel ſervituti exemerat, vel aliis dederat, juſſit præterea in pauperes erogari quidquid erat in penuariis Eccleſiæ, pecuniam omnem, & mercedem laboris opificum, qui in ergaſtulis erant Eccleſiæ, utriuſque ſexus; denique quidquid a ſe ipſo adquiſitum fuerat, tam vili pretio ſingularum rerum defixo vendidit, ut non tam vendi, quam perdi viderentur. Patribus conſultiſſime placuit in pauperes inconſideratis moderari largitionibus, quod pauperum ipſorum maxime intereſſet, ni earum brevi fontes exareſcerent. Igitur cum Rechimirus nihil de patrimonio proprio deliberaret, quod Eccleſiæ adjiceret, ideo nihil poterat de rebus ejus deterere, vel donare: poteſtatem fecerunt Patres novo Epiſcopo confirmandi, vel revocandi manumiſſiones illas omnes ſervorum, vel donationes; erogationes autem in egenos peragendas diſtulerunt, donec damna Eccleſiæ illata ſarcita forent.

## §. VII.
## *De Emeritenſi Concilio Luſitaniæ Provinciali.*

ERa 704. anno Chriſti 666. omnes Provinciæ Luſitaniæ Epiſcopi in Eccleſia Jeruſalem urbis Emeritenſis, quæ hujus Provinciæ caput erat, Proficius Emeritæ Metropolita, Selva Egiditanus, Adeodatus Pacenſis, Aſphalius Abelenſis, Theodoricus Olyſiponenſis, Theodiſclus Lamecenſis, Juſtus Salmaticenſis, Cantaber Colimbrienſis, Donatus Caurienſis, Exarnus Oſſonobenſis, Petrus Elborenſis, Alvarius Caliabrenſis juxta Canones fuere adunati. Debitis laudibus Omnipotenti Deo de more perſolutis, Sereniſſimo, atque Clementiſſimo Regi Receſvintho grates impenderunt, felicitatem, pacem, ab hoſtibus victo-

Digitized by Google

riam, & quietem ipſi a Deo deprecati ſunt. 1. Canone de fidei inſtitutione, ejuſque ordine juxta Patrum priorum regulam traditum eſt. 2. Canone de officio divino decretum eſt, ut ſicut in fide Luſitanarum Eccleſiarum erat unanimitas, ita pro Dei officio ſumma eſſet intentio, & ſicut in aliis Hiſpaniarum Eccleſiis veſpertino tempore poſt lumen oblatum prius dicebatur Veſpertinum, quam ſonus in diebus feſtis, ita & in Luſitaniis cuſtodiretur; & ſiquis hunc ordinem non cuſtodiret, & ſuos non inſtrueret, & id ageret, Metropolita, ad cujus aures culpa hæc perveniret, excommunicationis ſententia reos percelleret. Quid ſit ſonus poſt Veſpertinum ex officio Mozarabico, quod noſtris erat in uſu, petendum eſt.

Dicebatur veſpertinum officium poſt lumen oblatum, unde conſtat antiquitus Veſperas poſt Solis occaſum ad finem diei decantari ſolitas. De veſpertino officio ſic dicitur in Breviario Mozarabum: *Dies ſive ſit feſtivalis, ſive privata, ſemper horæ incipiunt a Veſpertinis ante diem, & principium ſit per invocationem Jeſus Chriſti oratione Dominica præcedente, ſubmiſſa voce dicendo: Kirie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kirie eleyſon, Pater noſter: & alta voce; in nomine Domini noſtri Jeſus Chriſti, lumen cum pace, hoc eſt lumen oblatum: reſpondetur a circuiſtantibus: Deo gratias; & Presbyter dicit: Dominus ſit ſemper vobiſcum:* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Et ordo Veſperorum, ſive ſit feſtum, ſive non, ſequitur per hunc modum. Primo dicitur Pſalmus, ſive Veſpertinum, quod idem eſt; quo finito, Presbyter dicit: Dominus ſit ſemper vobiſcum:* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Statim dicitur ſonus, ſi ſit feſtum, eo quod dies ferialis caret ſono, niſi in tempore Reſurrectionis propter ſolemnitatem dicitur. Hæc regula ſonus eſt, venite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro:* ℣. *Præoccupemus faciem Dei in confeſſione, & in Pſalmis jubilemus Deo*: forte dictus, quia ſonora voce decantabatur: ſoni etiam erant, & dicebantur Laudes, & Antiphonæ, & Hymni.

Digitized by Google

Can. 3. ſtatutum eſt, ut quandocumque Rex contra hoſtes procederet, unuſquiſque Epiſcoporum curaret, ut omnibus diebus ſacrificium Deo offerretur pro ejus, ſuorumque fidelium, atque exercitus ſui ſalute, & divinæ virtutis auxilium impetraretur, ut victoria illi ab Omnipotenti Deo concederetur. Can. 4. ut Metropolitanus Epiſcopus ordinatus, placitum in nomine ſuorum Comprovincialium faceret, & recte, ſobrie, caſteque vivendo; & ſimiliter confinitimi Epiſcopi ordinati in nomine ſui Metropolitæ: verum ſi Metropolitani ſui conſenſu, aut regia juſſione ab alio Metropolita erant ordinati, cum poſt ordinationem Metropolitam ſuum adirent, placitum agere ſub anathemate non different. 5. ut Epiſcopi a ſuo Metropolita ad Concilium vocati accedant, niſi ex infirmitate impediantur, aut per regiam juſſionem aliud munus ſit injunctum, per quod Concilio nequeant intereſſe; quidquid tale acciderit Metropolitæ ſuo fideliter intiment in Epiſtola manu ſua ſubſcripta. Aſt ad ſuam perſonam, aut Archipresbyterum ſuum dirigant, aut ſi Archipresbyter adeſſe non poſſit, Presbyterum utilem, & dignum, qui a tergo Epiſcoporum ſedeat, & quæque in Concilio fuerint acta, ſciat, & ſubſcribat: injuſtum enim eſſe ut Epiſcopus Diaconum ad ſuam perſonam dirigeret, quia cum Preſbyteris junior ſit, ſedere cum Epiſcopis in Concilio non permittitur. Quemcumque ergo ex Presbyteris dirigere eligeret Epiſcopus, inſtructum per informationem mitteret, atque cum eo mandatarium ſuum juxta legis ordinem munitum, ut ſi quodlibet contra eundem Epiſcopum in Concilio eſſet ſuggeſtum, ab eo, quem dixerit, qui petit, acciperet reſponſum.

6. ut Epiſcopus, quem Metropolita vocaret Nativitatis Domini, aut Paſchatis feſta cum eo celebraturum, venire nollens excommunicatione feriretur, niſi infirmitas, aut nimia aeris intemperies impediret. Hæc ſingularis Luſitanorum Epiſcoporum fuit diſciplina, & uſus, cum per ceteras regiones Epiſcopis eſſet injunctum, ut Nati-

Digitized by Google

vitatis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes Feſtis Cathedralibus ſuis Eccleſiis adeſſent cum populo feſtivitatem acturi. Concilium Lugdunenſe tertium Can. 5. anno 583. ediderat, ut nullus Epiſcoporum Natale Domini, aut Paſcha alibi, niſi ad Eccleſiam ſuam, præter infirmitatis incurſum, aut ordinem regium celebrare præſumat; nulla Metropolitæ convocationis mentione facta. Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum fertur a Recimero, & univerſa Liguriæ nobilitate periculoſiſſimam obire legationem compulſum ad Imperatorem Anthemium Romæ ſedentem, a quo & pacem inſperatam elicuit, feſtinaſſe ut Paſchæ diem ſolemnem in Eccleſia ſua celebraret. In Concilio quoque Epaonenſi præceptum fuerat ut principaliores quique cives in Natali, & Paſcha ad Epiſcopum ſuum confluerent: ea erat in iis feſtivitatibus Epiſcoporum reſidentia, a qua tamen Luſitani Antiſtites propter Metropolitæ juſſionem immunes facti ſunt. 7. ut Concilia ſingulis annis fierent in locis, quæ Rex ipſe deſignaret, Epiſcopi vero, qui ad Synodum non accederent, ad proximam uſque Synodum ſuſpenderentur, in loco a Metropolitano, aliiſque Epiſcopis deſignato pœnitentiam agerent, eorumque Eccleſias, ac bona ad eam pertinentia, alteri interea adminiſtranda committerentur.

Can. 8. propter Juſtum Salmantinum Epiſcopum limites territorii Selvæ Egitanienſis ſine jure poſſidentem Parochiarum, & Epiſcopatuum termini fuere deſcripti, & decretum eſt ut in his etiam tricennalis poſſeſſio præſcriberet. 9. Concilii Bracarenſis ſtatutum firmatum fuit, ne pro chriſmate, aut baptiſmatis adminiſtratione quidquam exigeretur. 10. ſancitum eſt ut ſinguli Epiſcopi in Eccleſia ſua Cathedrali haberet Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primiclerium. Can. 11. cum perveniret ad Patrum conſeſſum Presbyteros, Abbates, & Diaconos ſuo Epiſcopo eſſe inobedientes, atque id fuiſſe intromiſſum, ut dum quilibet ex Presbyteris, aut Abbatibus Eccleſiarum ſuarum ab Epiſcopis decedentibus haberent immunitatē, Epiſcopo

Digitized by Google

ſuo dignam, juſtamque obedientiam, ac reverentiam non præberent, & quibus conceſſum eſt juxta Canones jus viſitandi Parochias, his inferretur injuria; placuit ut tam a Presbyteris, quam ab Abbatibus, ac Diaconis Epiſcopo debitus honor impenderetur; & quandocumque contingeret eum ſuam Parochiam viſitare, digne ipſum ſuſciperent, eique neceſſaria præpararent. Per omnia quoque ſervandum inſtituerunt Patres, ut nulli Presbytero, vel Diacono ſine voluntate Epiſcopi ſui, licentia ſit ſæculares cauſas peragere, aut publicas expedire injunctiones: & in hujus Canonis tranſgreſſores excommunicationis ſententia lata eſt.

12. ſtatutum eſt ut Epiſcopus, ſi indigentiam haberet, ab alio Epiſcopo clericum ad ordinandum peteret, & acciperet: licentia quoque fuit ut omnes Luſitaniæ Epiſcopi, ſi ipſis placeret, de Presbyteris Parochianis, atque Diaconis Cathedralem ſibi in principali Eccleſia facerent. Hi tamen qui fuerant traducti, humilitatem dignam Epiſcopo ſuo tenerent, & eo honore haberentur in Cathedrali Eccleſia, ac ſi in eadem eſſent ordinati; & licet ab Epiſcopo ſuo ſtipendii cauſſa quidquam acciperent, ab Eccleſiis, in quibus fuerant prius ordinati, vel ab earum rebus extranei non manerent; ſed Epiſcopi electione, Preſbyteri ipſius ordinatione, Presbyter alius inſtitueretur, qui ſanctum officium perageret, & diſcretione prioris Preſbyteri victum, & veſtitum rationabiliter miniſtraretur, ut non egeret; aut ſi quæſierit ſtipendium, a ſuo Presbytero acciperet, quantum officii dignitas eum habere expeteret. Clericis vero, vel quos ad ſerviendum ei dederat, per diſcretionis modum neceſſaria ſub excommunicationis pœna miniſtraret.

Ad hunc Canonem notatu eſt ex Parochianis Presbyteris ruralibus quoſdam in urbem fuiſſe advocatos; ex quibus, cum non ſufficerent urbici Parochi, cathedralis ſenatus fiebat numeroſior: eiſque facultatem fuiſſe ex relicta Eccleſia penſionem ſibi reſervandi, aut in ea inſtituendi Vicari-

Digitized by Google

carium Presbyterum, cui congruam portionem ſubminiſtrarent. Quamvis Canone 10. Chalcedonenſi titulorum, ſeu beneficiorum pluralitas interdiceretur, quod cum hujuſmodi Canone conciliare videtur difficile; verum cum inſtituendi eſſent Cathedrales Canonici nec alii eſſent in Eccleſia proventus, quam qui ſingulis Parochiis fuerant attributi, vix alio modo eorum inſtitutioni conſuli potuit: hinc primitivorum curatorum videtur origo.

13. permiſſum eſt Epiſcopis, quod pro facientibus in ſacro miniſterio Clericis aliquid de Eccleſiæ rebus largiretur. 14. ut oblationes in tres partes dividerentur, quarum una ad Epiſcopum pertineret, altera ad Presbyteros, & Diaconos, tertia ad Subdiaconos, & inferiores Clericos, Primiclerio diſtribuente. 15. propter Eccleſiaſticorum lenitatem vetitum eſt ne Epiſcopi, aut Presbyteri ſervos criminum accuſatos, quæ ex legibus publicis puniri ſolent, membrorum mutilatione multarent, ſed in aliquo hujuſmodi crimine deprehenſi ſæculari judici traderentur; aſt Epiſcopi pœnam moderandi haberent poteſtatem. 16. tertiam oblationum partem, quam ex veteri conſuetudine de ſingulis Parœciis Epiſcopi percipiebant, in tẽpla reſtauranda Patres impendi juſſerunt. 17. pœnitentia, ac excommunicatio in eos torta eſt, qui cujuſcumque ordinis eſſent, defunctis Epiſcopis detraherent: Presbyteri detrahentes tribus menſibus pœnitentia religabantur, Diaconi quinque, Subdiaconi, aut Clerici, aut quilibet Religioſus de majori gradu novem, ſi minimi eſſent, minimæque adhuc perſonæ quinquagenis flagellis Epiſcopi juſſu feriebantur. Dignum enim erat, ut cui in vita honor fuit impenſus, poſt mortem detractionis auferretur ſtimulus.

Can. 18. cum nonnulli Luſitaniæ Presbyteri Parochiani Eccleſiarum ſuarum res haberent ad plenitudinem, & nulla ipſis eſſet ſolicitudo habendi Clericos quibuſcum Deo laudum debita officia perſolverent, Synodus hæc ſtatuit ut omnes Parochiani Presbyteri juxta facultates a Deo ſibi creditas, de Eccleſiæ ſuæ familia Clericos ſibi facerent,



Digitized by Google

quos ita enutrirent, ut officium ſanctum digne peragerent, & ad ſervitium ſuum aptos eos haberent: & ſi inutiles illi apparerent, ut culpa patuerit, diſciplinæ correptione ferirentur. Can. 19. propter multas Eccleſias in Parochiis conſtitutas, quæ a fidelibus conditæ, aut parum, aut nihil de rebus habere videbantur, & Presbytero uni plures erant commiſſæ, ne occurrente paupertate, ordo ibidem Miſſæ non impleretur, ſalubri deliberatione decretum eſt, ut pro ſingulis quibuſque Eccleſiis, quibus Presbyter Epiſcopi ſui ordinatione præeſſet, pro ſingulis diebus Dominicis ſacrificium Deo offerret, & eorum nomina, a quibus Eccleſiæ erant conſtructæ, vel qui aliquid iis viſi ſunt contuliſſe, ſi adhuc viverent, ante altare diceret; ſi jam deceſſiſſent, nomina eorum cum defunctis fidelibus ſuo in ordine recitaret: in negligentes excõmunicationis pœna ab Epiſcopo ferebatur.

Dominici dies in Luſitania Polyliturgici erant, in quibus juxta hunc Canonem ab uno Sacerdote in diverſis Eccleſiis plures Miſſæ dicebantur. Quamvis Leo Magnus in Epiſtola ad Dioſcorum Alexandrinum eodem die Miſſam iterari prohibuerit, niſi ob anguſtiam Eccleſiæ omnis populus intereſſe non poſſet; id tamen vel ita intelligi opus eſt, ut id paſſim non liceret, & quandocumque Sacerdoti liberet, ſed certis tantum diebus, & ex aliqua cauſa, quam Luſitani Epiſcopi aſpexerunt, vel non uſu, aut contraria ſanctione ab aliis Summis Pontificibus erat abrogatum. Ex
*Cap. 21.* Walfrido Strabone Leo III. ſeptem quandoque, imo & novem Miſſas eodem die celebraſſe fertur. Berno Augienſis ſcribit S. Udalricum Epiſcopum Auguſtanum duas, & tres
*Tom. 2. Alaman. antiq.* Miſſas uno die dixiſſe. In libello de Alamanicæ Eccleſiæ fraternitatibus, quem Goldaſtus edidit, occurrit fraternitas amore priſcorum Monachorum inita inter Monaſterium Augienſe, & S. Galli ſub Carolo Magno, in qua pactum utrimque fuit, ut quandocumque aliquis frater obiret, eo die Presbyteri tres Miſſas dicerent. Anglicana Eccleſia circa annum 960. decrevit: *ut nullus Sacerdos Miſ-*

Digitized by Google

*ſam ſæpius una die celebret, quam ter ſummum.*

Plures etiam erant in veteri Eccleſia dies Polyliturgici: dies Kalendarum Januarii ex veteri Frontonis Kalendario, in quo dicebatur una Miſſa de Nativitatis octava, altera de S. Maria: in die Cœnæ Domini, teſte Menardo, Epiſcopus tres Miſſas celebrabat, primam pro pœnitentium reconciliatione, ſecundam pro chriſmate agendo, tertiam ſerotinam de ipſius diei ſolemnitate. Amalarius Fortunatus, qui circa annum 820. floruit, ſcribit tres etiam Miſſas in B. Joannis Baptiſtæ feſtivitate celebrari. Verum Alexander II. anno 1065. cap. *ſufficit* diſt. 1. de Conſecrat. unam tantum Miſſam in die una Sacerdoti ſufficere celebrare ſtatuit, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit; & non modicam rem eſſe unam Miſſam facere, valdeque eſſe felicem, qui unam digne poteſt celebrare; attamen ſi neceſſitas exigeret, pro defunctis unam diceret Sacerdos, & alteram de die. Idem reſcripſit Innocentius III. anno 1212. Vigorienſi Epiſcopo in cap. *Conſuluiſti* 3. de Celebratione Miſſarum, niſi neceſſitatis etiam cauſa aliud ſuaderet; ac inter neceſſitatis cauſas quinque aſſignat inſignis Petrus Colletus. 1. ſi Paſtor duas habeat Parochias, quæ ob diſtantiam in unum convenire non poſſint. 2. ſi talis ſit concurſus populi, ut eum non capiat Eccleſia. 3. ſi Sacerdos poſt communionem, ſed ante ablutionem moneatur imminere dandi infirmo Viatici neceſſitatem, deſitque hoſtia, & alius qui poſſit conſecrare Sacerdos. 4. ſi feſto die veniant perſonæ adeo graves, puta Rex, aut Princeps. 5. quam etiam aſſignat Alexander II.

*Lib. 3. de Eccleſiaſtic. offic. cap. 38.*

*Tract. de Euchar. P. 2. cap. 9. ſect. 2.*

Can. 20. de Eccleſiæ libertis peractum eſt; aliquando enim contigerat, ut ex ſervitute liberti facti, temporum lapſu, nec renovata identidem datæ libertatis ab Epiſcopo charta, negarent ſe antea fuiſſe ſervos, ſicque debita libertatis obſequia juxta Canones perſolvere; quaquopter eſt declaratum eos in Eccleſiæ ſervitutem inde recidere, temporis diuturnitatem non valere, nec ea contra jus Eccleſiæ præſcribi: neque ullos libertatem rite

Digitized by Google

consequutos, nisi constiterit Episcopos libertatem dantes damnum inde emergens quoquomodo de bonis suis resarcivisse; & servos eosdem quantacumque libertate donatos ab Ecclesiæ suæ patronæ obsequiis numquam potuisse liberari. Justum quis dubitet decretum istud propter libertorum audaciam? nota præcipue erat id temporis Elisei cujusdam pervicacia ex familia Agabrensis Ecclesiæ, qui ab Episcopo suo traditus libertati, de libertate confestim ad contumaciam transiliit, & per superbiam non solum Episcopi ejusdem salutem veneficis artibus lædere voluit, sed etiam patronam Ecclesiam libertatis immemor prædamnavit; in eum tamen invecti sunt septem Episcopi, S. Isidoro Præside in Concilio Hispalensi cap. 8. Era 657. anno Christi 619.

Can. 21. placuit, ut si Episcopus, Ecclesiæ suæ, in qua præsidet, de rebus suis inventus fuerit plurima contulisse, quidquid amicis suis, servis, aut libertis, vel quibuslibet personis de Ecclesiæ suæ rebus donasset, si triplum, aut multo plus constiterit esse quod conscripsit in nomine Ecclesiæ suæ, firmum maneret. Can. 21. & 22. in Canonum istorum violatores pœnæ illatæ sunt, Deo impenderunt grates, Regi Recceſvintho felicem vitam, & feliciora in futuro sæculo deprecati sunt. Emeritense istud Concilium laudavit Innocentius III. in Epistola ad Petrum Compostellanum Archiepiscopum in causa cum Bracarensi Antistite circa eorum Metropoleon limites; nec modicum robur ipsius Synodi confirmat laudatus Papa, quamvis Bracarensis Præsul objiceret Concilium Emeritense neque constructionem, neque sensum, neque latinitatem habere: ast de lite ista suo sæculo agendum erit. Ex Episcoporum subscriptionibus duodecim constat Episcopales Sedes fuisse in Lusitania, quarum una Caliabria dicebatur; verum ubinam situm suum habuerit quis certo monstrabit? Qui putant Conimbriam id temporis fuisse *veterem Condeixam*, Caliabriam vero, quæ hodie Colimbria dicitur, Historiæ sunt alieni. In Emeritensi Synodo uterque Epis-

Digitized by Google

copi ſubſcripſerunt Cantaber Colimbrienſis,& Alvarius Caliabrienſis ; quo tempore e *veteri Condexa* jam circiter ſæculum tranſactum ad novam Colimbriam Epiſcopatus fuerat translatus ſub Elipando ejus Sedis Antiſtite.

## §. VIII.
## *De Concilio Toletano undecimo.*

ANno 4. Wambæ Regis, ſeptimo Idus Novembris coactum eſt Concilium undecimum Toletanum, non ex univerſa Hiſpaniarum natione, ſed Provinciæ Eccleſiaſticæ Toletanæ, quapropter ad Eccleſiæ Luſitanæ Hiſtoriam parum adtinet pertractandum. Omnes pene Hiſpanienſes Hiſtorici tradunt in hocce Concilio legitimam Sedium Epiſcopalium diviſionem eſſe factam : aſt Baronius ad annum 675. ex Lucæ Tudenſis auctoritate ait Sedium diviſionem, non in hoc decimo ſeptimo Epiſcoporum conventu, ſed in alio quodam Toletano, cui omnes Hiſpaniarum Præſules interfuerant, peractam eſſe. Equidem Lucas Tudenſis id aſſerit : *Hæc omnia* ( de diviſionibus loquitur ) *ſupra ſcripta legit glorioſus Rex Wamba in Concilio Toletano, ubi omnes Archiepiſcopi Hiſpaniarum convenerunt.* Enim vero ſub Wamba nullum præcedens Concilium de diviſionibus fuiſſe in Hiſpania ex Synodi iſtius undecimi prologo palam fit : *Cum tandem divina nos clementia ex alto reſpiciens, & tempori ætatis noſtræ ſe occurſam præbuit, & ſaluti ; præparans noſtris ſæculis Religioſi Principis mentem, devotam pariter & inſtructam, cujus fervidæ ſolicitudinis voto, & lux Conciliorum revocata reſplenduit, & alterna charitas ſe mutuo in corrigendis, vel inſtruendis moribus excitavit ; dum & aggregandi nobis, hortatu Principis Religioſi, facultas eſt data, & opportuna corrigendi præparata eſt diſciplina, ut qui decurſis longe ante temporibus, poſt decem & octo ſcilicet labentium annorum excurſum, in unum meruimus aggregari conventũ, mederi poſſemus ſpiritali gratia ſanitatum.*

*Lib. 3. chronici mundi.*

Digitized by Google

Dolebant Patres octodecim annos ſine ullo Concilio ex univerſa Hiſpaniarum natione fuiſſe tranſactos uſque ad annum 675. indeque uſque ad 681. ſub Ervigio Rege nullius Patrum conſeſſus ex omni Hiſpanica ditione habitus eſt. Quapropter conjectandum eſt cum erudito viro Herrera propter diſſidia, quæ circa ſuarum Sedium limites erant Epiſcopis, Wambam per Hiſpaniarum provincias miſiſſe viros, qui componerent, limiteſque juxta veteres Hiſpanienſium Patrum decreta deſignarent.

## §. IX.

## *De Concilio Bracarenſi quarto Provinciali.*

ERa 713. anno Domini 675. Wamba in Hiſpaniis regnante, octo Gallæciæ Epiſcopi ſub Metropolita Bracarenſi Bracaræ Auguſtæ convenerunt Synodum illius Provinciæ celebraturi. Leodiciſius id temporis Metropolita præfuit, ſederuntque Genetivus Tudenſis, Froaricus Portugalenſis, Bela Britonenſis, Iſidorus Aſturicenſis, Marius Aureſinus, Rectogenis Lucenſis, Ildulphus cognomine Felix Irienſis. Circa errores, qui in diſciplina plurimi erant per univerſam provinciam, convocati ſunt. Primum de Fidei Sacramento cœperunt habere ſermonem, ſuæ fidei regulam juxta Nicænum Concilium retexuerunt, Symbolumque ediderunt iiſdem pene conceptum verbis, quibus nunc inter Miſſarum ſolemnia utimur, & recitamus. Poſt Fidei Sacramentum editum, in concione errores apparuere omnium votis retundendi. De quibuſdam latum eſt, qui in ſacrificiis lacte pro vino, & pro vino botro uterentur, ac offerrent; Euchariſtiam quoque vino madidam pro complenda communione populis porrigerent, & quod damnandum nimis erat, Sacerdotes quidam in Domini vaſis epulas ſibi apponerent, & in eis manducare præſumerent. De Sacerdotibus quoque interpoſitum eſt, quod Eccleſiaſticæ conſuetudinis ordinem prætermitterent, Miſſam ſine orariis dicentes, in ſolemnitatibus Martyrum re-

Digitized by Google

liquias suo collo imponerent, & tunc in sellulis ab albatis Diaconis tantum debere asportari crederent. Illud etiam adjunctum est quod plerique Sacerdotes sine testimonio cum fœminis cohonorarentur, & illorum quidam honoratos fratres suos verberibus indiscretis subjicerent, & quod alii simoniæ cupiditate arrepti, quos erant ordinaturi, sub cautione dimitterent, qualiter postquam fuissent ordinati, pecuniam ab ipsis promissam acciperent. Tandem quod Ecclesiæ familiam in propriis laboribus quasarent, damnum rebus Dominicis inferentes. Quæ omnia ne confuse viderentur esse prolata, discretis titulis, sive Canonibus damnarunt.

Can. 1. declararunt Euangelicæ, atque Apostolicæ doctrinæ esse contrarium, nec non consuetudini Ecclesiasticæ adversum lac in sacrificando offerri; cum veritas Euangelica dicat: *Accepit Jesus panem, & calicem, & benedixit, deditque discipulis suis*: unde evidens erat exemplum Euangelii, quod præter panem, & vinum aliud offerri Dominus non sineret; ideoque nulli deinceps licitum fore aliud in Divinis Sacrificiis offerre, nisi juxta antiquorum sententias Conciliorum panem tantum, & calicem vino, & aqua permixtum, in qua permixtione Christo populus adunatur, credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & jungitur, & si vinum tantum quis offerret, sanguis Christi inciperet esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Veteres enim Patres id vel in suis scriptis tradiderant. Cyprianus in Ep. 63. ad Cæcilium totus est in dicendo vinum aqua permixtum esse debere; cujus Epistolæ meminit Mag. P. Augustinus lib. 4. de Doctrina Christiana cap. 21. Concilium Carthaginense 3. cap. 24. cui Mag. Augustinus interfuit, habet: *Ut in Sacramentis corporis, & sanguinis nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum.* Quapropter Irenæus calicem vocavit temperatum, & Hieronymus: *calicem vino, & aqua mixtum, ut alio purgemur a culpis, alio redimamur a pœnis: sanguine namque agni servantur domus a percussione Angeli, & aqua maris rubri*

*Lib. 4. c. 7. In Marcum c. 14*

Digitized by Google

*extinguuntur inimici, quæ sunt mysteria Christi.*

De Eucharistia vino intincta pro communione danda populis eodem Canone protulerunt, nullum recipi testimonium ex Euangelio, ubi Apostolis corpus suum, & sanguinem Christus commendavit; seorsum enim panis, & calicis commendatio memoratur; nam intinctum panem illis Christum præbuisse non legi dicebant, excepto illi discipulo, quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet, non quæ Sacramenti hujus institutionem signaret. En cum M. P. Augustino censuerunt Bracarenses Patres buccellam intinctam, quam Dominus Judæ tradidit, non fuisse ipsius Domini corpus, sed impii discipuli significare fictionem; ante buccellam jam Dominicum corpus Judas acceperat: *Non autem, ut putant quidam negligenter legentes*, ait M. Parens, *tunc Judas Christi corpus accepit. Intelligendum est enim, quod jam omnibus eis distribuerat Sacramentum corporis, & sanguinis sui, ubi & ipse Judas erat, sicut S. Lucas evidentissime narrat: ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis apertissime Dominus per buccellam tinctam, atque porrectam suum exprimit traditorem fortassis per panis tinctionem.*

*Tract. 62. in Joan.*

2. Canone omni cura, omnique studio provisum est ne Sacerdotes contumeliam Sacramentis inferrent vasa Domini in proprios usus adsumentes, epulas sibi in eis comedendas apponentes. Malum illud defleverunt Patres, & deflentes obstupuerunt, ut humana temeritas sibi epulum præpararet, ubi sanctus Spiritus advocabatur; & in quibus tantæ rei Sacramentum pro expiatione delictorum perciperet, in his ludibrii sui voluntatem expleret: in hujus criminis reos, simulque in eos, qui Ecclesiastica ornamenta, vela, vel quælibet alia indumenta, atque etiam utensilia, sciendo in suos usus transtulissent, vel aliis vendenda vel donanda credidissent, gradus proprii, vel officii depositio illata est; in sæculares vero perpetua excommunicatio fuit imposita. Can. 3. cum antiqua Ecclesiæ institutione præfixum esset, ut omnis Sacerdos, cum ordinare-

Digitized by Google

naretur, orario utroque humero ambiretur, proinde modis omnibus convenit, ut quodquisque perceperat in consecratione, id & retineret in oblatione, aut perceptione suæ salutis, ut Sacerdos ad Missarum solemnia non accederet, nisi orario utroque humero circumseptus, sicut & pro tempore suæ ordinationis fuerat consecratus, ita ut de uno, eodemque orario cervicem pariter, & utrumque humerum prometet, signum in suo pectore proferens crucis; & siquis autem aliter egisset excomunicationi debitæ subjaceret.

Can. 4. Quamquam antiqua Canonum institutione, quæ in Nicæno Concilio, Carthaginensi, & aliis Patrum decretis edita erat, Sacerdotibus liceret secum domi habere matrem, sororem, amitam, & eas etiam personas, quæ suspicionem omnem effugerent; visum tamen fuit Bracarensi huic Synodo, ut Sacerdotes, sive quicumque ex Clero, excepta sola matre, cum fœmina aliqua etiam sorore non comorarentur; ne licentia sororum, vel propinquarum mulierum quisquis ille solutus familiarior haberetur ad perpetrandum scelus. Can. 5. suppressa est detestanda Episcoporum vanitas: quapropter antiqua servata est consuetudo, ut in festis quibusque Arcâ Dei cum reliquiis non gestarent Episcopi, sed Levitæ in humeris, quibus & in veteri lege onus id impositum erat, & præceptum: & si Episcopus reliquias per se deportare eligeret, non ipse a Diaconibus in sellulis vectaretur, sed potius pedissequa eo, una cum populis processione ad conventicula sanctarum Ecclesiarum sanctæ reliquiæ per eundem Episcopum portarentur: & qui institutum id non adimpleret, quandiu in vitio esset, a sacrificando cessaret. Notandum hic est per reliquias non tam Martyrum ossa intelligi, quam ipsum Corpus Christi; vox enim illa *Arca Dei*, qua utitur Canon, ciborium significat Christi Corpus includens: quod adnotavit Josephus Catalanus ad istud Concilium.

Can. 6. cum Prælati in Ecclesiæ suæ Clericos eam auctoritatem sibi adrogarent, ut cædibus inhonoratos subditos haberent, decretum est, ut qui gradus Ecclesiasticos merue-



Digitized by Google

rant Presbyteri, Abbates, sive Levitæ, exceptis gravioribus, & mortalibus culpis, nullis deberent verberibus subjacere; dignum non erat, ut passim unusquisque Prælatus honorabilia membra sua, prout complacuerat, verberibus subjiceret, & dolori, ne dum incaute subdita percutiebat membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reverentiam subtraheret: & Pauli Juris-Consulti sententiam lib. 22. ad edictum ob oculos habuerunt Patres, quod Præceptoris nimia sævitia culpæ adsignaretur. Can. 7. juxta sententiam Chalcedonensis Concilii statutum est, ut quicumque pro conferendo cuiquam Sacerdoti gradu, aut munus quodcumque, aut promissionem muneris, ante ordinationem, vel postea acciperet, sive ille qui dederat, sive is qui acceperat, sui gradus periculum sustineret.

Can. 8. propter quosdam Episcopos, qui Ecclesiarum familias in suis laboribus quassabant, rei propriæ profectum augentes, Dominicis vero dispendium nutrientes, decretum est, ut si de rebus, seu augmentis Ecclesiarum quæstum, vel labores rei propriæ Sacerdotes augerent, & Ecclesiasticis rebus minorationem, aut perditionem inducerent, quidquid in rebus Ecclesiæ minorationis exhibuerunt, tantum de rebus propriis Ecclesiæ illi restituerent; & si aliquid pro utilitatibus Ecclesiæ, aut substantiæ expenderent, si hoc comprobarent, totum iis a rebus Ecclesiæ reformaretur, pro cujus utilitatibus id expendisse comprobabatur. Prolatis hujusmodi decretis, pacem, salutem, & diuturnitatem Wambæ Regi, cujus consensu convocati fuerant, deprecati sunt omnes.

## §. X.

### *De Concilio Toletano duodecimo Lusitaniæ, & universæ Hispaniæ Generali.*

ANno 1. regni Ervigii, Christi 681. era 719. Agathone Romano Pontifice, ex universa Hispaniarum ditione triginta quinque Episcopi quinto Idus Januarii Toletum convenerunt: ex Lusitania veteri interfuerunt septem cum

Digitized by Google

ſuo Metropolita Emeritenſi; ex Gallæciæ parte, quæ nunc Portugalia eſt, adfuit Portugalenſis Præſul cum Bracarenſi. Coram omnibus ſedit Ervigius, & regnum quæſitum ſtabilituras religionis ſpeciem obtendit; ad Patres orationem de Conciliorum utilitate, imo & de neceſſitate habuit, qua habita, fidei profeſſio juxta quatuor generales Synodos Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, & Chalcedonenſem lata eſt. 1. oſtenſa prius ſcripturarum evidentia, quibus Rex Wamba inevitabili vitæ periculo correptus poſt ſe elegerat regnaturum, & ſacerdotali benedictione ungendum, huic regnum Patres firmarunt, & populum ab omni vinculo juramenti, quo prædicto Wambæ, dum regnum teneret, illigabatur, liberarunt. 2. decretum ut qui in extremis poſiti, etiam ſui impotes, pœnitentiam ſuſceperant, quam antea nec poſtularent, ſed adſtantes amici jam in morbo iiſdem procuraverant, ſi ſani fierent, eam implerent, ad idque cogerentur. Nitebantur Patres quod ſicut Baptiſmus in parentum fide acceptus parvulos neſcientes ad fidē, & legis Euangelicæ obſervantiam adſtringit, ita æquum erat, ut qui ritu ſolemni, quamvis neſcientes, pœnitentiam ſuſciperent, eam agere tenerentur. Decretum ne iſtud eſſet juſtum, ac ejus ratio accurata, nec ne, in præſentiarum decidere ſatis vereor. Si juſtum, cur iidemmet Patres excomunicatione plectendos exiſtimarunt, ſanxeruntque eos, qui non petentibus, & ſenſu carentibus pœnitentiam deferrent? Sane in Ervigii gratiam, ut ſuo loco dicam, facta eſt lex pœnitentiam a Wamba Rege interituro acceptam, ſi convaluiſſet, firmatura.

3. in Eccleſiaſticam comunionem ſuſcipi jubentur, qui ob crimen adverſus Regem, aut patriam erant excomunicati, modo Rex in ſuam gratiam eos reciperet. Can. 4. Epiſcopatus, quos Rex Wamba pio quidem, ſed imprudenti conſilio in oppido, ubi S. Pimenii Dumienſis corpus quieſcebat, in aliis pagis, & vicis, ac in æde Prætorienſi Petri, & Pauli prope Toletum inſtituerat, ſublati ſunt, utpote qui veteribus Conciliorum Canonibus adverſabantur. 5. lege cautum eſt ne Sacerdotes eodem die plures Miſſas peragentes in ultima tan-

Digitized by Google

tum comunicarent, sed in singulis corpus, & sanguinem Dominicum susciperent; & qui legem hancce non adimplerent, excommunicatione per annum plecterentur. Can. 6. placuit omnibus Episcopis, ut salvo privilegio uniuscujusque provinciæ, licitum maneret Toletano Episcopo, quoscumque Regalis potestas eligeret, & jam dicti Toletani Episcopi judicium dignos esse probaverat, in quibuslibet provinciis, & in præcedentium sedibus præficere Præsules, & decedentibus Episcopis successores eligere: sic tamen ut quisque ille foret ordinatus, post ordinationis suæ tempus intra trium mensium spatium proprii Metropolitani præsentiam visurus accederet. Hinc non prætereundum jam per Hispanias Reges Episcoporum nominandorum jure fuisse fruitos: Episcopi enim qui in Regum Gothorum electione primas habuerant, eos quoque nominandi parem Principibus fecerunt potestatem.

Primatus Toletani assertores Canone hocce gloriantur, quasi Bracarensem Hispaniarum primum Antistitem negaturi. Verum quamvis hujusce Concilii Patres in Ervigii gratiam Episcoporum inaugurationem Toletano Præsuli consensu unanimi comitterent, diu Toletani non usi sunt hoc privilegio: Lusitaniæ, Tarraconensis, Gallæciæ, ceterarumque provinciarum Episcoporũ murmur & dissidium causa fuit cur, scriptore Luca Tudensi, Ervigius ipse faceret, ut nulli Primati Hispaniarum Episcopi subderentur, nisi Romano Pontifici: hujus enim erat id temporis privilegia hujusmodi concedere, vel auferre.

Can. 7. durior lex a Wamba condita de iis, qui tempore belli patriæ non auxiliabantur, & aufugiebant, ut testimonii dignitate privarentur, ad servitutemque redigerentur, Regis Ervigii consensu temperata est. 8. vetitum est uxorem dimittere, quoad thorum scilicet, excepta fornicationis causa; & in hujus Canonis trangressores illata est excomunicatio, nec non amittendæ dignitatis Palatinæ periculum. 9. leges in Judæos non tam proferuntur novæ, quam & confirmantur, quæ ab Ervigio, & aliis Regibus latæ fuerant. 10. Ervigii pietas maxime emicuit circa sacrorum asylorum securitatem; sancitumque fuit, ut qui ad Ecclesias confugerent,

Digitized by Google

ad triginta paſſus in toto Eccleſiæ circuitu impune progredi poſſent; & qui iis moleſti forent, excomunicationis, & ſevera Regis ſententia ferirentur. Can. 11. ſuperſtitionum reliquiæ eradicantur; in idolorum cultores, lapidum veneratores, ſacularum accenſores, & fontium ſacra excolentes pœna indicitur. Servi qui ad hujuſmodi errores concurrerent, verberibus coercebantur, & onuſti ferro dominis ſuis tradebantur: domini tamen eorum, qui enuntiatos ſibi talium ſervorum errores ulciſci differrent, excomunicabantur, & jura illius ſervi, quem coercere noluerant, amittebant. Perſonæ vero ingenuæ ita errantes perpetuam excommunicationem perferebant, & arctiori exilio puniebantur. 12. veteres Canones fuere confirmati, ut ſingularum provinciarum Epiſcopi ſingulis annis in unaquaque provincia Kalendis Novembris Concilium celebraturi convenirent: eodem die, quo Synodus conſumata eſt, octavo ſcilicet Kalendas Februarii Ervigius legem edidit eam firmaturus: in illius contemptores pœnam indixit, ut decimam partem rei ſuæ Fiſci partibus ſociandam amitterent; ſi tamen nihil haberent facultatis, unde prædictam compoſitionem perſolverent, quinquaginta ictibus verberarentur.

## §. XI.

### *De Concilio Toletano decimo tertio Luſitaniæ, & univerſæ Hiſpaniæ Generali.*

ANno 4. Ervigii Regis era 721. ſub Leone Papa Toleti In Eccleſia Prætorienſi Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli pridie Nonas Novembris quadraginta & octo Epiſcopi in unum convenerunt; ex veteri, & quæ adhuc ætate iſta dicitur Luſitania quatuordecim acceſſerunt Præſules Liuva ſcilicet Bracarenſis, Stephanus Emeritenſis, Monoſonſus Egitanienſis, Froaricus Portucalenſis, Miro Colimbrienſis, Reparatus Viſenſis, Gundulphus Lamecenſis, Atula Caurienſis, Bellitus Oſſonobenſis, Joannes Pacenſis, Tructemundus Eborenſis, Unigirus Abulenſis, Holemundus Salmaticenſis, Ara Olyſiponenſis. Adfuit quoque Sereniſſimus Princeps Ervigius,

Digitized by Google

qui pleno fidei ardore ſubnixus coram Patrum reverentia humilis, devotuſque proſtratus Synodico cætui commendavit, ut pro ſe Deum inſtantiſſime deprecarentur, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ quæ congruerent, & corrigendis moribus quæ convenirent, ſancirentur; & poſtquam votorum ſuorum inſinuationem peregit, a conventu Concilii gratioſus exivit. Deinde edita fidei profeſſione juxta Apoſtolicas ſanctiones, & Nicænum Concilium, nec non Conſtantinopolitanum, Epheſinum, ac Chalcedonenſe tredecim Canones protulere.

1. ut omnes, quos ſcelerata quondam contra gentem, & patriam conjuratio Ducis Pauli in perfidiam adverſus Wambam traxerat, & titulo teſtimonii honeſtioris abjecerat, ad ſtatum priſtinæ dignitatis redirent, & nulla deinceps illis ob hoc catena judicialis obſiſteret. 2. leges quædam latæ, & promulgatæ ſunt in Palatinorum, & Sacerdotum judicio ſervandæ. 3. vectigalia regia, quorum gravitate provinciales premebantur, ſunt imminuta, & quæ fiſco debebantur, Principis liberalitas condonavit; quapropter in ſacrorum mandatorum violatores a Patribus excomunicatio lata eſt. 4. propter Regem elaboratus eſt Canon, ut ſiquid Erv'gio humanitus contigiſſet, Reginæ, & filiis ejus conſuleretur, in præſidioque, ac tutamine permanerent: metuebatur enim, ne populus invidia flagrans quidquam adverſus Regis poſteros moliretur; quapropter qui vim inferrent, anathemate perculſi ſunt. 5. mortui Regis conjugem, ac liberos ab omni, aut futuri Regis, aut Gothicæ nobilitatis injuria defenderunt Patres, execrabile facinus, & adſuetæ admodum iniquitatis opus judicarunt, ut, defunctis Regibus, ſuperſtitis ejus conjugis regalis torus appeteretur, & horrendis maculis fordidaretur; & qui id tentarent, diris omnibus chriſtiano ritu devoventur. Creditu eſt hoc repagulo voluiſſe Patres hujuſmodi matrimonia ſubmovere, ne homines ambitionis æſtu abrepti, eo nuptiarum Reginæ prætextu abuterentur res novas acturi, regnumque uſurpaturi; Regeſque ipſos non abnuiſſe hoc decreto ſe contineri, ut privati omnes in ejus obſervantiam eſſent promptiores.

Digitized by Google

6. cum multi ex ſervis, vel libertis plurimum ex regio juſſu ad Palatinorum pertraherentur officium, & affectare cupientes ſublimitatem honoris, quam illis ſubtrahebat natio obfuſcatæ originis, dum æquales dominis per ſuſceptum Palatinum officium facti erant, in necem dominorum ſuorum vehementius graſſarent, prædicto Ervigio Rege jubente, inſtitutum eſt, ut exceptis ſervis, vel libertis fiſcalibus, nullus ſervorum, atque etiam libertorum quorumlibet ad Palatinum quandoque tranſiret officium, nec etiam locorum fiſcalium, atque etiam proprietatis regiæ adminiculatores, vel actores fieri quolibet tempore admitterentur.

7. cum Sacerdotes quidam accepta injuria, ut ad ejus ſatisfactionem Parochianos cõmoverent, interdicti pœnam eos ſubire cogerent altaria nudantes, luminaria extinguentes, ſacraque officia intermittentes, in eos depoſitionis pœna illata eſt. 8. Epiſcopi, qui a Rege, vel Metropolitano acciti, vel præcipua feſta Paſchæ, Pentecoſtes, & Nativitatis Dominicæ ſimul cum iis celebraturi, aut alios conſecraturi, aut aliam ob cauſam, ſi deeſſent, excõmunicatione feriuntur. 9. Decreta Concilii Toletani duodecimi confirmantur. 10. Gaudentius Valerienſis Epiſcopus, cum in ægritudine conſtitutus ſolemni ritu pœnitentiam ſubiret, nec ullum mortale delictum confiteretur, permiſerunt Patres, ut juxta ſacros Canones ſacra miniſteria perageret: decretumque ediderunt, ut Epiſcopi, ac Sacerdotes quilibet pœnitentiam ſuſcipientes, nullum tamen peccatum confitentes, a Metropolitano facta reconciliatione, ad officia ſua, & dignitates admitterentur. 11. qui Clericos aliarum Eccleſiarum, aut Monachos fugitivos ſuſciperent, aut cõmunione privabantur, aut annua pœnitentia puniebantur. 12. quicumque ex Clericis, vel Monachis cauſam contra proprium Epiſcopum habens ad Metropolitanum ſuum cauſaturus accederet, non ante deberet a proprio Epiſcopo excõmunicationis ſententia prædamnari, quam per judicium Metropolitani ſui, utrum dignus excõmunicatione haberetur, poſſet agnoſci. Quod ſi ante judicium quis Epiſcoporum in talium perſonas excommunicationis ſententiam

Digitized by Google

præmitteret, illis penitus, quos ligarent, absolutis, in se illam noscceret retorqueri sententiam. 13. Synodicis institutis subscriptionis robur apposuerunt Patres, Immortali Deo grates retulerunt, invictissimo quoque Principi Ervigio multiplicem gratiarum exhibitionem persolverunt, cujus clementissimo jussu in unum convenerant.

## §. XII.

### *De Concilio Toletano decimo quarto, & decimo quinto, Lusitaniæ, & universæ Hispaniæ Generalibus.*

CONcilium istud licet in personis partim provinciale sit, attamen in auctoritate nationale est, ad Lusitanamque Ecclesiam vere spectat; Stephanus Emeritensis Lusitaniæ Metropolita Maximum Abbatem misit, qui ejus loco subscriberet, & Boniba Abbas pro Liuva Bracarensi Antistite interfuit, & subsignavit. Causa hujus Concilii celebrandi ad omnes Hispaniarum Ecclesias tam Bæticæ, quam Tarraconensis, atque Lusitaniæ adtinebat; Romanus enim Pontifex Leo II. ad Flavium Ervigium Regem, & ad omnes Hispaniarum Episcopos per Epistolam miserat una cum Legato acta Concilii sexti Œcumenici tertii Constantinopolitani, quod ante aliquot annos a Domno Romano Pontifice convocatum erat, sub Agathone cœptum, & sub Leone II. absolutum, ut infringeretur error Sergii Patriarchæ Constantinopolitani, Macharii Antiocheni, & Cyri Alexandrini, qui cum Pyrrho Monacho, & Presbytero Chrysopolitano, & ipsius Sergii in Patriarchatu successore, cum Theodoro Pharanita, & Paulo magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Œconomo, indeque post Pyrrhum ejusdē Ecclesiæ Antistitē Apollinaris hæresim renovantes, duas in Christo Domino voluntates, operationesque pertinaciter negabant. Leo II. eo intenderat ut universale Hispaniarum Concilium adunaretur, quo Constantinopolitanæ Synodi instituta manerent suffulta, & firmata: Hispanienses Episcopi, utpote qui magna pars universalis Ecclesiæ, nec sextæ Synodo interfuerant, nec consensuri fuere vocati. Ast varia

varia temporis adverſitatum incurſio non ſivit, ut generale Concilium Hiſpaniarum fieret, ſed Carthaginenſis Provinciæ Præſules in Urbe Regia convenerunt, primarum Sedium Vicariis præſentibus, qui comperiſſent, & eorum geſta Hiſpaniarum omnium communia redderent.

Duodecim Canones ediderunt Patres, in quibus duas in Chriſto voluntates, & operationes profeſſi ſunt, Synodum ſextam receperunt, in quantum a Conciliis Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi non diſcederet; & debito honore, & loco poſt Chalcedonenſe collocarunt; nondum enim quintam Synodum Conſtantinopoli imperante Juſtiniano convocatam ut Œcumenicam admittebant. Adverſus Monothelitas ſecundum ſextæ Synodi judicium damnatos ad Leonem II. Apologiam miſerunt Hiſpanenſes Patres, quæ Catholicæ religionis ſumma capita continebat, Juliani Toletani ſapientiſſimi Antiſtitis digniſſimum opus. Id non Leo, ſed Benedictus ejus ſucceſſor accepit; & cum in Apologia legeret de SS. Trinitate: *Sapientiam ex Sapientia, Voluntatem ex Voluntate procedere*: & quod *Chriſtum Dominum ex tribus ſubſtantiis conflatum* affirmaſſet, improbavit. Enim vero in Concilio decimo quinto aggregatis ſexaginta univerſæ Hiſpaniæ, & Galliæ Epiſcopis apud Toletum, Julianus veridicis Patrum teſtimoniis verum eſſe affirmavit, quod jam Romam tranſmiſerat, & Apologeticum fecit, quod Romam, ait Rodericus Toletanus, miſit per legatos ſuos Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum viros doctiſſimos, & ſacris ſcripturis apprime inſtructos. Auguſtinum præſertim adduxerat Julianus ex lib. 15. de Trinit. cap. 20. *Melius quantum exiſtimo, dicitur Conſilium de Conſilio, & Voluntas de Voluntate, ſicut Subſtantia de Subſtantia, Sapientia de Sapientia*: & lib. 13. de Trinit. cap. 17: *Quandoquidem ſic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus ſubſtantiis fieret una Perſona, ac per hoc jam ex tribus, Deo, anima, carne.* *Lib. 3. de reb. Hiſpan. cap. 13.*

Cardinalis Baronius ad annum 688. ait Julianum Epiſcopum Toletanum paulo licentius tunc inſultaſſe in Roma-



Digitized by Google

num Pontificem, ac Jesuitæ Marianæ sententia probat: *Nobis aliquando*, ait Mariana, *liberior visa est, quam ut Juliani modestiam erga Romanum Pontificem, summum Ecclesiæ doctorem deceret.* Baronii quoque fuit judicio Juliani responsio: *Jam vero si post hæc & ab ipsis dogmatibus Patrum, quibus hæc prolata sunt, in quocumque dissentiant, non est jam cum illis amplius contendendum, sed maiorum, directo calle, inhærentes vestigiis, erit per divinum judicium amatoribus veritatis responsio nostra sublimis, etiam si ab ignorantibus æmulis censeatur indocilis.* Ast hæc a Juliano prolata potius fuerant ex spiritu veritatis, non erroris; nec Romanum Pontificem omnium Scriptorum Ecclesiasticorum doctorum arbitrum esse pernegaverat: cum etiam ea, quæ clariora fuerant de objectionibus factis a Benicto Pontifice, innotuissent Sergio Papæ ejus successori, ab eodem magnis sunt laudibus celebrata; quod non fieret si Julianus in Romanum Pontificem liberior insultasset.

*Lib. 6. de reb. Hispan cap. 18.*

Non tantum Juliani Apologeticum in hoc Concilio approbatum est; verum & Rex Egica rogavit: adhuc ne obstringeret juramentum, quo Ervigius ejus decessor ipsum, & regni illustres proceres adegerat Reginæ viduæ, & filiorum ejus præsidium jurare; cum ii comprovincialium injuria multa occuparent quasi jure adquisita: quærebatur an jurejurando tenerentur, tum ii qui damna patiebantur, res suas judicio non repetere, tum Rex ipse secundum eorum jura non pronuntiare; præsertim cum Rex ipse ad regnum evectus jurasset se populi jura servaturum. Patrum consensu sancitum est juramenti religionem nequaquam sceleri favere, proindeque jusjurandum non prohibere privatos, quorum bona ab Ervigii filiis erant occupata, ipsa repetere, aut Egicam querentibus jus dicere, & pari affectu populos, & cognatos tractare debere, quasi unius Patris, germinisque filios.

Digitized by Google

## §. XIII.

### *De Concicio Toletano decimo ſexto Luſitaniæ, & univerſæ Hiſpaniæ Generali.*

ERa 731. anno Chriſti 693. ſexto Nonas Maii Egica Rex Toletum ex univerſa ditione ſexaginta & unum Epiſcopos convocavit Concilio interfuturos. Luſitani adfuere Felix Bracarenſis, ac Portucalenſis Epiſcopus, Maximus Emeritenſis, Arcontius Eborenſis, Emilla Colimbrienſis, Fioncius Lamecenſis, Landericus Olyſiponenſis, Joannes Pacenſis, Theudofredus Viſenſis, Joannes Abulenſis, & Agrippius Oſſonobenſis per Vicarium ſuum Chriſten Presbyterum. Facta fidei profeſſione ſuos Canones ediderunt. 1. legem a Rege latam confirmarunt, Judæos ſcilicet, qui corde ſincero Chriſtianam Religionem amplexi fuerant, a vectigalibus eſſe immunes, Regis gratiam habere, & nobiles fieri. 2. Idololatriæ reliquiæ, & ſacrilegæ ſuperſtitiones extirpantur: Magiſtratus, qui hac in re operam Eccleſiæ non comodarent, ab officio deponebantur, & annua pœnitentia indicebatur. Nobiles, qui Magiſtratibus, & Sacerdotibus circa id adverſarentur, tres auri libras Fiſco in multam referrent; Plebeii ad ignominiam decalvarentur, centenis verberibus flagellarentur, & medietate ſuorum bonorum Fiſco referenda carerent. 3. in peccatum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque civitates igne conſumpſit, invecti ſunt Patres: Clericos maiores hujus criminis reos exauctoratione, & perpetuo exilio fore puniendos decreverunt; Clericos vero minores, & laicos excomunicatione perpetua in morte tantum remittenda, & centum verberibus percutiendos, nec non ignominioſe decalvandos, & in perpetuum relegandos. Advertendum inter Gothos, & Francos ignominiæ maximam fuiſſe pœnam decalvationem: nec minus quam fuerat Hebræorum, ac Perſarum: plus valuiſſe ad probrum videbatur, quam ad ſupplicium, nihilo tamen ſecius probrum aggravabat dolor; neque etiam rade-

Digitized by Google

re comam erat satis, sed & avellere crines, quemadmodum vivis avibus plumam. Ignominiosum istud supplicium passim in Wisigothorum legum codice reperitur.

4. qui sibi ipsis violentas manus desperabundi inferrent, bimestri excomunicatione plectebantur. 5. vetitum, ne unus Presbyter plures Ecclesias curaret, & ne Episcopi amplius quam tertiam oblationum partem a Parochianis Ecclesiis peterent, restaurandarum tamen Ecclesiarum onus subirent. 6. cum sacerdotes ex pane usitato crustulam quamlibet in orbem decerptam in sacrificio consecrarent, decretum est ut panis integer, nitidus, & studio præparatus, nec grandis, sed modica tantum oblata. Clarissimus Honoratus Tournely ex hoc Canone probabilem conjicit Azymorum usum in Hispanienſi Ecclesia: ait enim Concilium perstrinxisse nonnullorum Hispanienſium Presbyterorum morem, qui ad consecrandam Enchariſtiam ex quolibet pane sibi obvio crustulam præcisam offerrent. Ast Eminentissimus Cardinalis Bona hoc Canone fermentum describi existimat, etsi panem azymum nolit excluſum, sed utrumque indifferenter tunc usurpatum; si enim, inquit, debuissent illi Sacerdotes azymum panem consecrare, ipsos ante omnia redarguisset Synodus, quod non azymum secundum morem Hispaniæ, sed panem usitatum, & comunem, adeoque fermentatum consecrarent: & hac de re ne verbum quidem Synodus habet: sed eos tantum corripit, quod nitidos panes, & peculiari studio, ut par erat, ad sacrificium præparatos non offerrent, sed fortuito, & indecenter de communi mensa acceptos, frustulo ex pane communi decerpto.

*Articulo 5. concl. 3. de Euchar. Sacram.*

*Lib. 1. Rer. Liturg. c. 23. n. 14.*

7. statutum est ut Synodorum Provincialium decreta intra sex menses ab eorum exitu Clero, Populoque promulgarentur. 8. filiorum, generorum, nepotumque Regis post ejus obitum incolumitati, & præsidio consultum est: decretumque est ut singulis diebus in omnibus templis pro Rege, ejus filiis, omnique stirpe regia, inter sacrum peragendum preces fierent. 9. Sisbertum Toletanum Episcopum, qui novitate audax in Regis caput conspiravit, anathemate depo-

Digitized by Google

ſuerunt Patres, in omnibus bonis multarunt, & perpetuo exilio damnarunt, in ejus locum Felicem Hiſpalenſem tranſtulerunt, & Fauſtinum a Bracarenſi in Sedem Hiſpalenſem. 9. Sisberti occaſione juſtiſſimam legem ediderunt adverſus eos, qui in Regis, aut patriæ perniciem conſpirarent; iis dira omnia ter imprecati ſunt, ſanxeruntque ut conjuratorum filii omni Palatii dignitate, & officio, omnibus nobilium inſignibus carerent, Fiſcoque in perpetuam ſervitutem traderentur. Hanc ſententiam ſe protuliſſe ſacri teſtantur Antiſtites, ut ex filiorum amore parentes cum Republica fortius vincirentur, & nullum ſcelus cogitarent: *ut qui ſuum*, dicunt, *non formidat exitum, ſaltem filiorum, cunctæque ſuæ poſteritatis pertimeſcat interitum.* Hujuſmodi decretis editis, Deo impenderunt grates, & Egicæ Regi fauſta precati ſunt omnia.

Scitu quidem eſt hujuſmodi Hiſpaniarum Concilia Diœceſana quandoque vocitari: præſertim ſi veterem Diœceſim ſignificationem attendamus. Diœceſis enim multarum provinciarum eſt tractus; ita Can. 9. Concilii Chalcedonenſis: *Siquis vero contra ipſius provinciæ Metropolitanum Epiſcopum Epiſcopus, ſive Clericus habeat controverſiam pergat ad ipſius Diœceſis Primatum.* Abuſive tamen nunc temporis Epiſcoporum diſtrictus, qui proprio vocabulo parochiæ dicebantur: & ignorata vocis ſignificatione, Diœceſanæ Synodi vocitantur, cum ab ipſo Diœceſani, ſeu proprii diſtrictus Presbyteri convocantur. Ex tot Conciliis, quibus Luſitaniæ Præſules adfuerunt, & quorum Canones per univerſam Luſitaniam obſervabantur, quam ſancta, & pura eſſet Luſitanæ Eccleſiæ diſciplina, quis non annuet, non fatebitur, non demirabitur? Hinc celeberrimus ille codex ſacrorum Canonum, & Conciliorum, quibus ab ineunte ſexto ſæculo uſque ad initium octavi Eccleſiæ Hiſpanienſes regebantur. Licet eſſet ampliſſimus, utpote in quo extabant omnia Concilia eouſque celebrata, tum Generalia, tum Nationalia, & Provincialia, tum quamplurimæ Romanorum Præſulum litteræ Decretales præſertim ad Hiſpanos, Toletanorum Conci-

Digitized by Google

liorum Canones maximam ejus partem ſibi obtinebant, & ultimum ex Toletanis ibi indicatis eſt Toletanum 16. Illum ex monumentis vetuſtis Toletanæ Eccleſiæ, & ex manuſcripto antiquo Excellentiſſimi Marchionis de Mondexar, quod olim fuerat Clariſſimi Viri Joannis Peres Canonici, & Bibliothecarii Eccleſiæ Toletanæ, ac poſtea Epiſcopi Segobienſis, in communem Eccleſiæ utilitatem publicæ luci commiſit primus Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre tom. 4. deinde eruditus Cætanus Cenni tom. 1. de Antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ.

## CAPUT IV.

### *Hiſpaniarum Concilia non erant Regni comitia.*

*Tom. 2. P. 2. lib. 3. c. 50.* LUdovicus Thomaſinus veterum Eccleſiæ rerum ſummus ſcriptor ob oculos habens nationalia Hiſpaniarum Concilia Toleti convocata, a Proceribus, Ducibus, & Comitibus Gentis Gothicæ fuiſſe ſubſcripta, a Regibuſque Divali lege adunata, ea cum regni comitiis confundit. Aſt quid referunt tot illæ juſſiones regiæ convocandis Synodis? Abuſus quidem eſſet temporis, ſi Regum juſſu congregatas fuiſſe Hiſpaniarum Synodos oſtenderem: nemo negat, nili qui earum initium, & finem nec leviter oculis uſurpavit. Nonne Concilia Œcumenica Divales ſacras præ ſe ferunt? Synodica Epiſtola Nicæni Concilii ad Eccleſiam Alexandrinam, quam Theodoretus deſcripſit lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 9. ex editione Henrici Valeſii, oſtendit: *Quandoquidem Deo Optimo Maximo, eique chariſſimo Principe Conſtantinopolitano nos ex diverſis civitatibus, ac provinciis congregante, ſacra, & magna Synodus Nicææ celebrata eſt.* Summi quoque Pontifices, quos Apoſtolici dogmatis aſſertores veneramur, ita factum eſſe dicunt, imo fieri voluerunt. Magnus Gregorius gliſcentem in Galliis hæreſim ſimoniacam extincturus ad Brunechildem Reginam ſic ſcripſit:

*Lib. 7. Regeſt. Ep. 113.*

Digitized by Google

*Quia tantum facinus non ſolum illis periculoſum, verum etiam veſtro regno ſatis eſt noxium, ſalutantes excellentiam veſtram paterno affectu petimus, ut de hujus pravitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis. Et ut nulla deinceps valeat occaſione committi, Synodum fieri juſſio veſtra conſtituat.*

Verum jura quis non diſcernat a factis? Jure Divino, & Canonico Romanus Pontifex, & Epiſcopi Synodos convocant; jure iſto utebantur ſub Ethnicis Imperatoribus; ac proinde ab omni fide abhorrere, quod Chriſtiani Principes eodem illos privaverint: maxima tamen ſacerdotii, & imperii, aut regni concordia maxime emicuit, quod Principes, auctoritate a Præſulibus ſibi indulta, Concilia congregarent, iiſdem ſubſcriberent, eademque confirmarent, non auctoritatem, ſed exequutionem, ac defenſionem, veluti Canonum cuſtodes præ ſe ferentes. Hac ſumma concordia Gothorum regnum, & ſacerdotium gaviſum eſt: hæc Diœceſim Hiſpaniarum, ſeu Catholicorum Gothorum Regum Monarchiam multo aliis omnibus tum Occidentis, tum Orientis ditionibus felicierem, præſtantioremque per ſæculum ſeptimum fecit. Hiſpaniarum Epiſcopi religioni, ac pietati ſuorum Regum conſulentes conſenſu unanimi præcepto regio obtemperare, & ſimul convenire gloriabantur, atque Eccleſiæ utilitatis amantiores ſuis Chriſtianis Principibus Synodos convocandi jus fecerunt: Principes vero quidquid in Synodis ſcriptum præbuerunt Hiſpanis Epiſcopis examinandum, diſcutiendum, judicandum iiſdem exhibuerunt; nullum caput conceptis verbis declararunt; ſua tantummodo vota, ac deſideria declaraſſe contenti Epiſcopos hortabantur, ac ſuppliciter rogabant, ut capita digererent, definirent; verbo, ut Canones conderent, ac ferrent.

Nec illuſtrium virorum gentis Gothicæ Procerum in Conciliis præſentia ea regni fuiſſe comitia vindicat: in aliis Conciliis ante Toletanum octavum congregatis horum hominum ſubſcriptiones deſiderantur: quamobrem dicendum exiſtimo, eas poſtea incepiſſe veluti catholicæ politiæ neceſſa-

Digitized by Google

rias; *ut quia præſto* (ſunt verba Concilii Toletani duodecimi in Præfat.) *religioſi provinciarum Rectores, & clariſſimorum ordinum totius Hiſpaniæ duces, promulgationis veſtræ ſententias coram poſiti prænoſcentes, eo illas in commiſſas ſibi terrarum latitudines inoffenſibili exerant judiciorum inſtantia.* Non judices igitur ſedebant, ſed teſtes, ac decretorum executores. Et quid in his conventibus agebatur temporale, quod laicorum judicium exigeret? Nihil pro comperto videtur eſſe, niſi ut ſacramentum fidelitatis, quo ſe religioſi omnes, & laici, ſubditi ſcilicet Regum catholicorum obſtringebant, aut contra violatores aſſereretur, aut novis ſemper legibus omni ordini formidabilius fieret. Hinc totius regni Gothici erat tranquillitas, hinc Regum præſidium, & incolumitas. Aſt nec mere temporale illud erat, nam juramenti hujus violatio Epiſcopis depoſitione, aliaſque aliis Eccleſiaſticas pœnas inferebat; & Eccleſiæ tantum Epiſcopi populos poterant abſolvere a juramenti lege alii præſtiti, & declarare eos vero, & proprio Principi fuiſſe obſtrictos. Si juramentum illud erga Principum incolumitatem inter temporalia negotia numeratur laicorum veluti judicum conſenſum exacturum, cur Optimates ii illuſtres in Conciliis Toletanis 5. 6. & 7. non interfuerint, in quibus de Regum electione, & de reverentia, ac ſalute Principum pertractatum fuerat? An mere temporale eſt, & ab omni conſcientæ periculo liberum jurare Regibus ſuis, & fidem, quam pollicentur, prævaricare? non metuere volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio ſuper eos, qui jurant in nomine Dei mendaciter? Sacrilegium quidem eſt pœnis Eccleſiaſticis a ſacris Præſulibus puniendum, ſi violetur a gentibus Regum ſuorum promiſſa fides.

Idemmet Eruditiſſimus Thomaſinus ut regni comitia cum Conciliis prædictis commiſceat, addit: *Sedulo menti mandandum eſſe, quod in Toletano decimo ſeptimo exprimitur conceptis verbis; & quod in aliis æque Conciliis factitabatur: tres nimirum priores Concilii dies jejunio di-*

Digitized by Google

*dicatos fuisse, ac fidei deliberationibus, & morum, ac disciplinæ Clericorum, nullo tunc laicorum præsente: quo completo triduo, ad alia mixta, vel mere temporalia negotia cum laicis tractanda descendebatur.* Hactenus ille sapiens immensi operis vir: cui respondeo in Toletano decimo septimo id equidem fuisse expressum, antea tamen numquam factitatum: in Toletano octavo, cui primo optimates interfuerunt, viri illustres statim ad initium cum Rege adfuerunt: Recceſvinthus in præfatione ad Episcopos facta, ad proceres conversus eos alloquitur veluti omnibus in Synodo negotiis pertractandis interfuturos: *Vos, quos ex officio Palatino, huic sanctæ Synodo interesse primatus obtinuit, ac nobilitas spectabilis honoravit, & experientia æquitatis plebium rectores exegit.* Et ante Toletanum octavum novum non erat in Hispaniarum Conciliis statim ad initium admitti laicos ut spectatores, ac testes, sive ut adjutores Episcoporum; nam in Concilio Tarraconensi anno Christi 516. editus est Canon 13. ut Metropolitanus Presbyteros aliquos non solum e Cathedralibus Ecclesiis, sed etiam ex Diœcesanis, & aliquos etiam e sæcularibus selectos ab Episcopis ad Synodum adduci curaret.

Exempla aliqua, quæ ipse adducit ex Conciliis, seu ex comitiis quibusdam, ut nationalia Concilia in generalia regni comitia coaluisse commonstret, ab Hispaniarum Conciliis omnino abhorrent. Primum exemplum est Concilium Moguntinum sub Carolo Magno anno 813. cujus in præfatione tres conventus, seu cameræ distinguuntur. *Convenit nobis tres facere turmas, sicut & fecimus. In prima turma consederunt Episcopi cum quibusdam Notariis legentes, atque tractantes S. Euangelium, Epistolas, & actus Apostolorum, Canones, & defensa Patrum opuscula ... in alia vero turma consederunt Abbates, & probati Monachi regulam S. Benedicti legentes, atque tractantes ... in tertia denique turma sederunt Comites, & Judices in mundanis legibus decertantes.* Alia exempla prætermittuntur, ex quibus siquis comitiorum cameras ostenderit fieri solitas, incredibi- *Tom. 2. lib. 3. c. 51.*



Digitized by Google

lem rem non affirmabit; ſacroſancta vero Hiſpaniarum Concilia cum iis comitiis confundere, quod Epiſcopi, Abbates, & Palatini perinde ac in Galliis congregarentur, operam ſuam exiſtimo quemquam perditurum. Propter regni pacem, Regumque præſidium aderant quidem Epiſcopi, Abbates, & Palatini, ſed non de regula Monaſtica Abbates, nec optimates de legibus mundanis agebant; Epiſcopos audiebant, eorum decreta reverebantur, definita eorum teſtes firmabant. Hæc erat Hiſpanienſium Synodorum conditio ab Galliarum Synodis, ſi placeat, nec renuo, diverſa.

Alia quidem erant in Hiſpaniis generalia regni comitia: anno 647. habita fuere cum Wiſigothorum leges evulgatæ ſunt. Rex in ſolio reſidebat, aderant quoque Epiſcopi omnes, & officia omnia Palatina primi ordinis, non humi poſtratum Regem, aut humilem, ſicut in Conciliis, ſed majeſtate plenum, toti regno ferentem leges audiebant, ſpectabantque. Ex leg. Wiſigothorum 1. lib. 2. tit. 1. conſtat de comitiis in legum evulgatione: *Sublime in throno ſeneritatis noſtræ celſitudine reſidente videntibus cunctis Sacerdotibus Dei, ſenioribuſque palatii, atque Gardingis, earum manifeſtatio claruit.* Alloquebatur ita Recceſvinthus. Comitia quoque erant in Regum electione, & conſecratione, & cogebantur aut in urbe regia, aut in loco ubi Rex decederet, cum Pontificum, Maiorumque palatii conſenſu: id decretum erat in Can. 75. Concilii Toletani quarti, & in Can. 10. Toletani octavi. Nullum ex nationalibus Conciliis electionis, aut conſecrationis Regum cauſa coactum fuiſſe maxime patet; nam ſi eorum ullibi eſſet, certe id eveniret in duobus Conciliis Toletano duodecimo anno Ervigii 1. & Toletano 15. Egicæ quoque anno 1. in quibus liquido fit mentio de Regis ingreſſu, benedictione, & egreſſu juxta ordinem celebrationis Concilii: aſt in eorum Conciliorum actis, Reges non creantur, ſed confirmantur; tametſi Patres Concilii duodecimi poſt Litaniarum triduum primam egerint collationem pro Ervigii Regis inauguratione ratihabenda, ſolvendiſque populis a juramento, quod Wambæ præſtiterant. In utroque enim Concilio Reges jam

Digitized by Google

facti interfuerant, ut alloquuntur Patres: *Adfuit coram nobis idem clementiſſimus Princeps humilitatis gratia plenus, & claro pietatis ſtudio conſpicuus ... benedixímus Principi glorioſo.* Ac proinde illud, quod prima facie comitiorum naturam præ ſe ferre apparet, ſedulo advertenti pariter ſanctum, atque alia Hiſpaniarum ſacra Concilia, patebit nimis.

## CAPUT V.

## *De Regibus Luſitaniæ.*

E Vivis ablato Reccaredo regnavit Liuva ejus filius era 643. annis tantum duobus regni habuit moderamen; licet ex ignobili matre eſſet progenitus, indolis virtute fuit clarus; vix annos viginti erat natus, cum ad ſolium acceſſit. Ætas ſuſcipiendis injuriis apta erat: cum pii, juſtique Regis ſpecimen dediſſet, Witericus, qui in Reccaredum conjuraverat, licet facti poſtea ipſum pœniteret, in filium Regem proditionem molitus eſt, qua regius adoleſcens periit: nil memoria dignum, niſi omnium ſubditorum in animis ſui deſiderium poſt ſe reliquit. Luſitani in ipſius memoriam Emeritæ numos cuderunt, quorum unum ſe habuiſſe teſtatur Severim ex una parte inſcriptis literis *D. N. Liuva Rex*: & ex alia: *Emerita Pius.* Witericus regnum Hiſpanienſe, quod invaſerat, annis ſeptem vindicavit, armis quidem ſtrenuus erat, ſed victoriarum expers, nam cum in Romanos bellum ſæpius extuliſſet, triumphum non adeptus eſt, niſi apud Seguntiam, ubi milites quoſdam cepit. Illicita multa perpetravit, quapropter cum populorum eſſet deſpectui, erumpente odio, quod in omnium animis radices egerat, & vulgante fama ipſum Arianam perfidiam revocare cogitaſſe, impetu facto in regiam a populo inter prandendum occiſus eſt. Trucidati corpus per plateas uncio tractum a conjuratis, atque inter populi opprobria fœdatum in ignobili loco ſepultum eſt. Ea calamitate Liuvæ innocentis mortem exolviſſe exiſtimatus eſt: & in morte gladio periit, qui gladio occiderat.

Digitized by Google

Occiso Witerico, Gothi consensu omnium unanimi anno Domini 610. Gundemarum Regem renuntiarunt, qui ætate, ac ceteris dotibus regnando insignibus præditus erat. Vascones, qui Gothorum limites invadebant, adeo prospero bello exagitavit, ut in eorum terras vix ingressus in fugam reduxerit, nullos invenerit, omniaque ipsorum præsidia vastaverit. Toletum redux Episcopos ex diversis Hispaniarum partibus convocavit, qui causam Toletani Antistitis, & Episcoporum Provinviæ Carthaginensis disceptarent; cum hujus Provinciæ Episcopi Euphemium Toletanum Præsulem veluti Carpetaniæ Metropolitam agnoscere recusarent: ast sententiam mutare compulsi sunt, & Regi volenti annuentes qui convenerant, Toletanum Episcopum in Metropolitam Carthaginensis Provinciæ confirmarunt. Inde Romanos milites Gothorum dominia armis ingressos obsedit, & ab eorum incursibus Gothicum regnum liberavit. Ecclesiasticis rebus intentus Concilium ex universarum Hispaniarum Metropolitis, ac Episcopis adunavit decretum antea jam datum de Toletano Præsule in Metropolitam Provinciæ Carthaginensis confirmaturis. Anno salutis 612. ineunte Toleti morte propria obiit Princeps dignissimus, quem populi religionis, & justitiæ causa desiderarent.

In defuncti Regis locum optimatum suffragiis Sisebutus cooptatus est; omnium bonorum dolorem ex Gundemari morte excitatum magna ex parte mitigavit novus Rex; haud quaquam ignorabant, quantum in eo esset animi, quantum consilii. Bellum, & pacem suo unumquodque tempore callebat, religionem venerabatur, literarū studia amabat latino sermone apprime nitidus, quod iis temporibus inter Gothorum vocabula miraculum erat. Regni initio Judæis fuit infensus; non tam ab Hispaniarum finibus prohibuit, quam minis, & supplicis eos Religionem Christianam, & sacra suscipere coegit. Æmulationem quidem habuit, sed non secundum scientiam, potestate enim compulit, quos provocari oportuit fidei ratione; & in Christianorum moribus nefas est, quemquam malo cogi ad professionem veræ pietatis. Extant in Gothorum le-

Digitized by Google

gum codice duæ de hac re leges quarto regni anno Siſebuti editæ. Plerique ex Judæis Regis metu Chriſtiani facti ſunt, quidam ex animo, pars maior ſimulate, & non pauci ex Hiſpaniis fugerunt in eam Gallæciæ partem, quæ Francis parebat. Victorias ab hoſtibus non ſemel habuit; Aſtures enim ſæpius ejus juriſdictionis jugum excutientes miſſo exercitu in deditionem adduxit. Rucones arduis montibus ab hoſtium invaſione quaſi defenſos undique per duces evicit: de Romanis bis victor extitit, & multas urbes ipſis ereptas in poteſtatem redegit, ad fretum ſcilicet Gaditanum, & Oceani littora, ubi Bæticæ, & Luſitaniæ pars in Romanorum ditione erat. Eboram magnis operibus munivit, & duas turres firmiſſimas extruxit, ut inſtar eſſent arcis fortiſſimæ ad hoſtiles Romanorũ incurſiones arcendas, quoniam in utriuſque ditionis finibus ſita erat. Tantæ clementiæ fuit erga victos, ut quos captivos milites duxerat, dato ab ipſo Rege pretio libertatem conſequerentur, ejuſque theſaurus eſſet redemptio captivorum. Ejus mortem alii ex proprio morbo, alii ex immoderato medicaminis hauſtu, alii ex veneno eveniſſe dicunt, & omnibus tam Religioſis, quam optimis laicis fuit luctuoſa. Eminienſes in Luſitania nummos fieri curarunt Siſebuti effigie ſculpta ex alia parte: *Siſebutus Rex*: & ex alia: *Eminio Pius*: quod etiam geſſerant Emeritenſes, ut ſcripſit Severim.

Hoc regnante Mahometus de Camelorum paſtore locupletis dominæ conjux factus in Paleſtinam diſceſſit, ubi a Monacho Sergio ob hæreſim ab Eccleſia ejecto acceptus inter colloquendum cum Judæis, & Chriſtianis ex omnium colluvione ſectarum novum illud genuit monſtrum, cui ſtolido mendacio auctoritatem dedit. Cum a dæmone, & comitiali morbo jactatus corrueret, mœſtæ ob id uxori perſuaſit Gabrielis ſe Angeli conſpectu, & alloquio conſternatum ſic affici. Id, confirmante Sergio, uxoris opera diſſipatum, ac vulgo creditum eſt. Scriptore Theophane, decem annis occultam hæreſim habuit, ac novemdecim poſtea vi, ferroque diffudit: anno ante Mahometi fugam, unde Arabes Hegiræ initium ducunt, obiit Siſebutus, Reccaredum filium, & hæredem poſt ſe re-

Digitized by Google

liquit, qui tamen parvulus mortuus est, quin aliquid memoria dignum tribus regni mensibus ageret.

Reccaredo 2. morte ablato, Suintila optimatum suffragiis Gothorum regnum suscepit. Ejus gesta in præliis, & Reccaredi 1. Patris memoria Gothicæ gentis proceres conciliarunt, ut ipsi regnum traderent. In populos, præsertim in pauperes tantæ munificentiæ erat, ut vulgus pauperum patrem appellare consueverit. Vascones denuo tumultuantes, & Tarraconensis Provinciæ limites invadentes coercuit: Romanos, qui septuaginta annos Lusitaniæ, & Bæticæ partem obtinuerant, earum finibus decedere compulit. Apud Eboram, & Emeritam nummos cudi jussit. Anno sui regni quinto, & sexcentesimo vigesimo sexto ab ortu Domini stabiliendæ in familia successionis studio, Rechimirum filium in regni consortium advocavit, qui in minori ac puerili ætate paternas æque dotes repræsentabat; sed quoniam regnandi jus, quod procerum suffragiis conferebatur, regia potestate jam hæreditarium factum evertebatur, Gothorum voluntates abalienatæ sunt; & maxime aliis quinque annis quibus regnavit, quod mores, & ingenium in pejus mutaverit, ac propter Theodoram Reginam, & Gellanem fratrem omnibus invisos. Videns hæc Sisenandus unus e primoribus gentis Gothicæ, adiit Dagobertum Clotarii Francorum Regis filium, in Burgundia id temporis regnantem, ac donatis ipsi decem pondo auri, petiit ab eo auxiliares copias adversus Suintilam, ut illum e solio deturbaret, sibique Hispaniæ dominium assereret. Dagobertus lectissimas Burgundiorum suorum acies Sisenando dedit; ut autem Sisenandus cum eo exercitu Hispaniam pervenit, Gothi omnes Suintilam deseruerunt, & sub adversarii vexillis militarunt, donec tandem in solio eum collocarunt. Patres Concilii Toletani quarti dicunt Suintilam scelera propria metuentem se ipsum regno privasse, & potestatis fascibus exuisse. Hic e solio cum filio deturbatus Lusitaniam petiit, ubi fatali morbo peremptus est, relictis ex Theodora duobus filiis Sisenando, & Cindasvintho. S. Isidorus Gothorum historiam ad quintum usque illius re-

Digitized by Google

gni annum produxit, ne nobiliſſimi paulo ante Regis, & propinqui probra, & calamitatem literis evulgaret.

Siſenandus vi in Suintilæ ſolio collocatus videns in ea temporum turbatione, diviſis Gothorum ſtudiis pro ſe, & adverſus æmulum regnum diu non duraturum, anno tertio, ex quo regnare cœperat, ex univerſa ditione Concilium Toleti convocavit, ut Suintilæ actiones Patrum decreto reprobarentur, & inde qui ejus partibus erant addicti, factionis poſito ſtudio ad concordiam animos revocarent; cauſa tamen alia hujus Concilii fingebatur, Eccleſiaſticæ ſcilicet diſciplinæ, quæ temporum vitio collapſa erat. Licet Siſenandus inique regnum uſurpaſſet, Patres noluerunt id palam exprobrare ei jam regnanti cum plauſu omnium Hiſpanorum, & optimis moribus prædito: quin & ipſius tyranidis execratione proſpexerunt vitæ, & incolumitati, atque imperio tanti Principis, quaſi timeri poſſet rebellio adverſus illum jam pacifice regnantem a tribus annis. Qualitercumque autem regnum ſuſceperit ſeu jure, ſeu Suintilæ injuria, certe adeo prudenter, juſte, ac pie ſe geſſit poſtea, præſertim erga Eccleſiam, & Sacerdotes, ut apud omnes de eximiis laudibus bene mereretur: poſt celebratum Concilium vixiſſe invenitur annum unum, undecim menſes, & dies ſexdecim.

Poſt mortem Siſenandi, & Epiſcoporum, & optimatum ſuffragiis Gothis præficitur Cintila era 674. Michael Ritius Siſenandi fratrem germanum fuiſſe arbitratur, utrumque ex Suintila natum. Verum illi, & aliis idem opinantibus reſiſtunt alii ex quarti Concilii Toletani actis; ibi enim Suintilæ memoria multis opprobriis inuritur, quod, filio præſente, auſuros nequaquam fore Antiſtites non inepte prorſus conjectatur. Metu domeſticæ diſcordiæ ad Siſenandi exemplum novum Concilium fieri curavit, ut Patres ejus electionem, inaugurationemque firmam haberent: hoc & alio Concilio ab ſe ipſo convocatis magis quam ulla alia re geſta memorabilis fuit; pace enim publica res ceteræ ſtabant, & de bellis nulla cura habebatur. Era 678. obiit, & in ejus locum creatus eſt Rex Tulga, qui licet ætatis eſſet juvenilis, æquitate,

*Lib. 1 de Regibus Hiſpan.*

Digitized by Google

religione, ac ſenili prudentia clarus erat. Regna ſibi ſubdita pace ampliavit: in ſubditos rectus judex, largus, & lenis. Synodos a ſuis deceſſoribus confirmatas etiam firmavit. Doluit gens Gothorum tam cito poſt elapſos feliciſſimi regni duos annos eam indolem regiam amiſiſſe: & flevit quod tantæ indolis flos in fructum non adoleſceret. Segebertus Gemblacenſis ſcripſit Tulgam ingenio levem vitiorum licentia ſuos exacerbaſſe, & a ſubditis ipſis regno fuiſſe privatum. Segeberto opponitur S. Ildefonſus, cujus auctoritas utpote viri Hiſpani in re domeſtica præferenda eſt alii homini extero ex nationis fortaſſe odio, aut ex regionum diſtantia fama vitiata ſcribenti.

Gothorum regnum rectore deſtitutum invaſit Cindaſvinthus, ſed illud per tyranidem occupatum bene geſſit; inaugurationis vitium totius vitæ probitate, ac prudentia compenſavit: rempublicam maxime compoſuit, indeque Patrum Concilium convocavit, ut de rebus ad Religionem, & regni bonum ſpectantibus decernerent. Ejus tempore univerſæ Hiſpaniæ ab omni perturbatione conquieverunt, adeo ut in iis nullus Regi eſſet infidelis, aut arma ſumeret rebellandi. Libros Sanctorum diligenter conquiri curavit, & inſtituta S. Iſidori firmiter obſervari juſſit. Ex uxore Reſiberga tres filios habuit Recceſvinthum, Theodofredum, & Sabilam, & cum ſex annos regnaſſet, & menſes octo filium Recceſvinthum regni conſortem renuntiavit, & imperium, quod invaſerat, in filio hæreditarium fecit. Cum filio Rege tres etiam annos vixit, quod tempus in regno felici numeratur, cum propter patris ætatem ſeniorem ſolus ipſe univerſam rempublicam gubernaret. Obiit Toleti Cindaſvinthus ex morbo, aut juxta alios, vi veneni vitalibus corruptis. Leges edidit Gothorum regimini optimas, quæ in Cod. Wiſigothor. invenies. Corpus ejus, & conjugis Reſibergæ in Monaſterio S. Romani humatum eſt, quod ad Durii amnem Taurum inter, & Tordeſyllam condiderat, & ſepulturæ deſtinaverat.

Recceſvinthus patris indolem ſequutus imperio rite gubernando incumbebat, Catholicæ Religionis ſedulus protector; ejus

Digitized by Google

ejus amplificandæ ſtudio divinos libros tum ipſe evolvere ſolebat, tum diſputationibus de rebus ſacris libenter intereſſe; aurum, gemmas, ſupellectilemque aliam pretioſam multam templis donabat, & a divino cultu perficiendo non deſiſtebat. Toleti duo Concilia convocavit: Vaſcones rebellantes bello domuit; & pace parta Gothorum leges, quæ temporis jactura infirmabantur, per otium caſtigavit, ex veteribus detraxit multas, novaſque multas adjunxit, quæ in Wiſigothorum Codice ipſius nomen præ ſe ferunt, inter quas celeberrima eſt illa 1. in lib. 3. leg. Wiſigothorum tit. 1. qua priſcam ſententiam removit, & in perpetuum ſancivit, ut tam Gothus Romanam, quam etiam Gotham Romanus ſibi conjugem habendi facultatem haberet. Id temporis in Africa Mahometi ſectatores arma impune agitabant. Abdalla Moabiæ Dux Mahometanus Gregorium Romanorum ducem, & Africæ præfectum magno bello ſuperavit, & Romanorum clade maxima eam provinciam Romanis eripuit. Mauritaniæ Tingitanæ pars, Septa præſertim, & vicini agri apud Gothos remanſerunt, reliqua vero ceperunt Barbari, qua late mediterranei maris littora patent: tunc novum Arabum imperium in Africa cœpit. Ex Africa, cum anguſti freti faucibus diviſa ſit, Hiſpaniæ univerſæ tot mala, & pericula a Saracenis imminere videbantur. Solis eclipſis, qua dies in noctem mutatus eſt obſcuriſſimam hæc mala regno ſuo denuntiaſſe Hiſpani crediderunt. Anno vigeſimo tertio ſui regni nobiliſſimus Princeps bello, paceque obiit in oppido Pineiæ octo paſſuum millibus diſſito a municipio Valliſoleto, quo ſe contulerat aeris mutatione, atque natalis ſoli ſalubritate afflictam valetudinem recuperaturus. Recceſvinthi memoriam in poſteros conſervarunt Luſitaniæ populi in nummis aureis, quos Egitanienſes, ac Emeritenſes condiderunt ejus effigie, ac nomine ſculptis ex una parte, & altera: *Egitania Pius*, & *Emerita Pius*.

Recceſvinthi Regis funere procurato, de novo eligendo Rege Gothicæ gentis optimates curarunt. Quidam opinantur proceres incertos omnino, quemnam eſſent electuri,



Digitized by Google

Romanum Pontificem consuluisse, qui rescripsit eos in Regem assumpturos Wambam virtute insignem, quem apud Egitaniam in Lusitania aratro vertentem agrum invenirent: inde ad Wambam in agro accesserunt proceres de supremi Antistitis monitu ipsum certum facientes, quibus tamen respondit se regni solium ascensurum, si baculus, quem dextra præferebat, efloreret: quo prodigio omnibus viso, Toletum coronandus adductus est. Et adeo crevit hæc apud vulgus opinio, ut omnes prædicent Wambam rusticanum hominem fuisse ex aratro, atque ligone ad sceptra vocatum. Alii vero Wambam in ea Lusitaniæ parte, quæ veteribus Egitania appellatur, natum affirmant, ubi oppidum extat Idaniæ veteris nomine, prædiumque prope, ubi fons quadrato lapide incluſus emanat Wambæ nomine. Locorum incolæ, ducta veluti per manus traditione, id prædium in Wambæ possessionibus fuisse habent persuasum; sed non rusticanum hominem, imo præcipuum dignitatis, gratiæque locum in aula obtinentem arbitrantur: & de regali sanguine ortum scripsit Julianus Episcopus Toletanus; ejusque electionem sic exponit.

*Affuit in diebus nostris Wamba Princeps clarissimus de regali sanguine ortus, quem digne principari Dominus voluit, quem sacra unctio decoravit, quem totius gentis, & patriæ communio elegit, quem populorum amabilitas exquisivit; qui ante regni fastigia multorum relationibus præconio celebri prædicatur. Antequam regnaret, dum decedentis Recceſvinthi Regis morte exequiale funus solveret, inter ipsa elementa in unam omnes concordiam versi uno affectu pariter provocati illum se desiderio habere principem clamant. Illum, nec alium in Gothis posse principari unitis vocibus intonant, & catervatim suis pedibus obvoluti, ut regni regimen susciperet, instant cum lacrymis postulantes. At ille cujus mentem fortitudo firmaverat, nec lacrymis cedit, nec precibus vincitur, nec voto flectitur populorum, modo se non suffecturum tot ruinis imminentibus clamans, modo senio confectum seſe pronuntians. Cui acri-*

*ter reluctanti unus ex officio ducum audacter in medium prosiliit, & minaci contra eum vultu educto gladio prospiciens dixit: nisi consensurum te nobis promittas, gladii hujus mucrone modo truncandum te scias, nec hinc tandiu exibimus, quandiu aut expeditio nostra te Regem accipiat, aut contradictionem cruentus hic hodie casus mortis absorbeat. Quorum non tam precibus superatus, quam minis tandem cessit. Regnumque suscipiens ad suam omnes pacem accepit. Et tamen ne citra locum sacræ Sedis Toletanæ regni sacram susciperet unctionem, distulit usque ad nonam decimam diem, ne videretur ambitione usurpasse, vel furatum esse regni gloriam, sed potius signum tanti culminis a Domino percepisse. Gerebantur enim ista in Villa, cui antiquitas Getticos nomen dedit, quæ centum fere viginti milliariis ab Urbe Regia distans in Salmanticensi territorio sita est: ibi enim uno eodemque die, scilicet in Kalendis Septembris, & decedentis Regis vitalis terminus fuit, & dicti viri electio subsequuta. Postquam autem Toletanam urbem ingreditur, & ventum est, quo sanctæ Unctionis susciperet signum, regio jam cultu conspicuus ante altare divinum consistens, ex more Catholicam Fidem professus cum sacramento jurandi fidem populis reddidit, & mores bonos prædecessorum Regum, atque leges firmavit. Deinde curvatis genibus oleum benedictionis per sacri Primatis, & Pontificis Quiricii manus vertici ejus refunditur, & benedictionis copia exhibetur. Ubi hoc statim emicuit mirabile signum: nam mox e vertice ipso, ubi oleum sanctum perfusum erat, evaporatio quædam fumo similis in modum columnæ sese erexit, & ex capite ipso apis visa est prosiliisse, & sacris alta petiisse; quæ utique signum fuit sequuturæ felicitatis*: hactenus S. Julianus.

Inter Hispaniarum Reges primus est Wamba, qui in hujus gentis historia invenitur sacram Regis inaugurationem oleo sacro effuso suscepisse; ex Hispaniensibus quoque regnis subinde ad alia translata est coronatio suorum Regum per Episcopos facta, a quibus consecrati populos & summæ po-

Digitized by Google

teſtatis, & ſacræ Unctionis terrore continebant. Ex Galliarum Regibus qui aliis ceterarum Europæ nationum, Hiſpaniis exceptis, inauguratione ſacra præiverunt, primus legitur Pipinus, qui in Monaſterio Sandionyſiano agri Pariſienſis a Stephano III. anno ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio unctus eſt: id conſtat ex Hilduino in Areopagiticis, & Chronicis San-Benignano, & Beſuerſi. Sacræ Unctionis ritum Gothici Reges ab Iſraeliticis Regibus aſſumpſiſſe creduntur: non dextrum eorum brachium oleo catechumenorum inungebatur, prout Pontificale Romanum rem hancce ab antiquitate deductam deſcribit, ſed caput, aut vertex oleo erat delibutus, quemadmodum ex ſacris literis Reges Iſrael a Prophetis inaugurabantur.

Ex Regum Hiſpaniarum inauguratione a Toletano Antiſtite facta hujus Præſulis Primatum in omnes Hiſpaniarum Epiſcopos aſſerere viritim contendunt; veluti a quocumque alio Epiſcopo non eſſet peragenda. Sed id potius Regum voluntati ab aliquo Epiſcopo inungi roganti tribuendum exiſtimo, quam maiori dignitati jure annexum. Alphonſus IV. Aragoniæ Rex a Cæſar-Auguſtano Præſule fuit inunctus, & Navarræ plurimi Reges a Pampilonenſibus Epiſcopis: & quis affirmabit Hiſpaniarum fuiſſe Primates? Gothici Reges ad eam amplitudinem ſuæ regiæ urbis Antiſtitem evexerunt, ut ab ipſo ſacram Unctionem vellent ſuſcipere: non ſecus ac Fideliſſimus Luſitaniæ Rex Joannes V. feliciſſimæ recordationis Olyſiponenſem Archiepiſcopum voluit decorari, ut non tantum Patriarchali dignitate fulgeret, verum & Luſitaniæ Reges inungeret: Eugenius quippe IV. ad Regis Eduardi inſtantiam Archiepiſcopo Bracarenſi indulſerat Reges inungendi poteſtatem; aſt Clemens XI. Joanne V. Fideliſſimo poſtulante ad Eminentiſſimum Patriarcham anno 1720. hanc tranſtulit facultatem.

Wamba in regnum aſſumpto Vaſcones rebellarunt, Hilperico Nemauſi Comite belli civilis ſtimulatore: adverſus rebelles miſit Wamba cum magno exercitu Ducem Paulum Regis Receſvinthi propinquum, qui magno rei militaris uſu

Digitized by Google

pollebat; sed ab illo defecit, & factiosorum tumultuantium vocibus inter arma Rex nuntiatus est. Militem contra regni invasorem duxit ipse Wamba, urbes ab ipso tum in Catalaunia, tum in Gallia Gothica possessas evicit, cepitque; rebellantium copias profligavit, & Paulum Regis insignia exuere coegit. Toletum inde reversus triumpho susceptus est, & supplicium, quod de conjuratis sumi putabatur, mansuetudine temperavit. Ingentem Saracenorum classem ducentis & septuaginta navibus instructam ad Hispaniarum littora accedentem expugnavit, ac incendit; & ut militaris disciplina vigeret, qua ad propulsandos Arabes tunc maxime opus erat, leges optimas tulit. Scriptores nonnulli ferunt Saracenos in Hispaniam ab Ervigio Comite regnandi ambitione affecto fuisse evocatos, quod cum secus contingere cerneret quam speraverat, aliud scelus meditatus est. Wambæ potum, in quo spartum erat maceratum, propinavit: eo veneni genere adeo in morbum lapsus est, ut jam jam interiturus crederetur. Hoc in vitæ discrimine Sacramentis Ecclesiæ a Toletano Episcopo munitus Monachorum more detonsus, religiosam vestem induit. Id fieri curavit Ervigius, quo religionis, & pœnitentiæ specie regnandi spem amitteret, si forte convaluisset. Cum intermorientibus vocibus, mente vi potionis omnino alienata Ervigium in regni successorem declararet, id statim regio diplomate firmatum est, & Ervigius statim coronam suscepit. Sequenti die, morbo tantisper remittente, ad se rediens Wamba, ex potenti quamvis paulo ante Rege Monachum repente factum se considerans, sive animi magnitudine rursus spernentis, quæ alii per ignem, & ferrum petunt, sive desperatione regnum recuperandi, mutare noluit; in Monasterium se contulit, ubi septem annos & menses tres purissimo religionis studio vitæ reliquum propagavit.

Ervigius regno malis artibus adquisito prudenter administrando vacavit; & considerans clarissimum omnium memoria Regem ab ipso fraude fuisse circumventum, neque id Gothorum gentem latuisse, religionis speciem obtendit,

Digitized by Google

& Patrum Concilium convocavit, quo firmaretur in solio. Licet religionis specie satis profeciſſe videretur, ut regnum se vivo staret, ne defuncto populare odium, inimica nobilitate, filios suos opprimeret, Egicam arcta cognatione Wambæ sanguini conjunctum generum adoptavit, Cixilone filia in matrimonium data. Hoc Rege, fame graviſſima vexata est Hiſpania: Emeritæ pons, & mœnia nova diligentia instaurata sunt, urgente Sala Luſitaniæ Duce, qui ab Ervigio ipso præpositus apud Emeritam sedem habuerat. Wambæ leges nonnullas, quæ paulo severiores videbantur, propter corruptos gentis mores antiquavit, ac mitigavit, & postquam septem annos regnaret ex morbo obiit Toleti in posterorum memoriam clarus.

Post mortem Ervigii Egica patria Egitanienſis, Regis gener, & succeſſor ad regnum Gothorum assumptus est; rerum potitus odium in Regem socerum compreſſum animo statim deprompſit, uxorem Cixilonem, suasore Wamba, in odium patris repudiavit. Solium pace tenebat, cum Siſebertus Toletanus Præsul anno 692. machinationibus notatus repertus est, quod Regem Egicam non tantum regno privare, sed & morte cum Flogello, Theodomiro, Luibilane, Leubigitone, ac Tecla filiis interimere definierit, atque genti ejus, vel patriæ inferre turbationem, & excidium cogitaverit, ut quemdam ex cognatis suis de prima Gothorum nobilitate ad thronum eveheret. Sed detectis Siſeberti inſidiis, in custodiam ejectus est, donec in Concilio Toletano decimo sexto secundum antiquorum Canonum institutionem a Catholicorum conventu excommunicationis sententia repulsus est; ac honore simul & loco, omnibusque rebus exutus perpetui exilii ergastulo fuit relegatus. Anno 697. bellum cum Francis iniit Egica; ter cum iis signa a Gothis collata sunt, adverſa semper fortuna; & temporum injuria neque pugnantium, neque cadentium numerus proditus est, nec quibus in locis pugnatum fuerit. Et cum decem annis regnaſſet post Ervigii mortem Witisam filium regni consortem Gothorum procerum consensu renuntiavit: ac ut regnandi arte filium pe-

Digitized by Google

ritum relinqueret, veteri Gallæciæ, quæ ſub Suevorum fuerat ditione, eum præfecit; quapropter ad Tudenſem urbem in amæniſſima valle malis citreis, & ſcatentibus aquis oblectandi animi cauſa Witiſa palatium condidit. Obiit Egica Toleti anno Chriſti 701. Eboræ, ac Emeritæ in Luſitania, quæ Egicæ ipſi adverſus Siſebertum magnopere adhaſerat, nummos aureos ſua ſculpta effigie, ac inſcripto nomine cudi juſſit, quos Severim ſe vidiſſe, ac habuiſſe teſtatur. Qua benevolentia Gothicis iis Regibus obſtricta eſſet Luſitania, nummi ipſi eorum juſſu inſcripti oſtendunt, adeo ut Emerita Luſitaniæ Metropolis Gothorum tempore ceteris Hiſpaniarum provinciis nummos ſuos diſtribueret; nec immerito eidem id temporis poterat adaptari, quod de ipſa Romanorum imperio cecinit Auſonius in Catalogo urbium nobilium

*Emerita, æquoreus quam præterlabitur Annas,*
*Submittit cui tota ſuos Hiſpania faſces.*

## CAPUT VI.

## *De Officiis Palatinis Gothorum.*

NOn tantum ad Hiſtoriam Civilem Hiſpanicã, quam Eccleſiaſticã officiorum Palatii Gothorum Regum cognitio valde eſt neceſſaria; civitates, & provinciæ iis adminiſtrandæ tradebantur a Rege, ſacroſanctis Epiſcoporum Synodis intereſſe, & ſubſcribere ſoliti erant, & quod magis erat, ex lege 18. lib. 2. tit. 1. Codicis Wiſigothorum, ſi quilibet Epiſcopus admonitionem judicis, nempe Palatini officialis, fretus honore ſacerdotali contemneret, & pro ſua perſona dare aſſertorem differret, confeſtim a judice negotii, ſeu a provinciæ ſuæ Duce, vel Comite compulſus quinquaginta ſolidorum damnum exciperet. Epiſcopi tamen eorum auctoritatem ſive in provinciis, ſive in civitatibus amplam moderabantur: Receſvinthus Rex in lege 29. lib. 2. tit. 1. ejuſdem Codicis Wiſigothorum decrevit ut ſi Epiſcopus ſe contemni a Comite, vel nolle eum adquieſcere veritati inſpiceret, po-

Digitized by Google

teſtatis ejus eſſet eundem Comitem legis hujus permiſſione conſtringere, & emiſſo juſto judicio cum rei compoſitione rem, de qua agebatur, petentibus partibus conſignare.

Officia iſtæc generali procerum nomine appellabantur: quapropter D. Iſidorus ait: *Proceres ſunt Principes civium, vel civitatum, quaſi procedes, quod ante omnes honore procedant*: nomen enim procerum apud omnes latinos in quovis ordine primarios ſignificat; ſic Livius lib. 1. cap. 45. Latinorum proceres vocat, & Virgilius lib. 3. Ænead. v. 56. Delectos populi ad proceres: unde conſtat quod procer non eſſet nomen dignitatis, ut ſcripſit Petrus Pantinus de officiis Gothorum: magnates quoque, & Palatii primates nominabantur. Eorum nomina ſingulatim in leg. 26. tit. 1. lib. 2. cod. Wiſigothorum deſcribuntur: Dux, Comes, Vicarius, Pacis Aſſertor, Tiuphadus, Millenarius, Quingentenarius, Centenarius, Decanus, Defenſor, Numerarius, & qui ex regia juſſione, aut etiam ex conſenſu partium judices in negotiis eligebantur: & in leg. ult. lib. 9. tit. 2. ejuſdem Codicis Gardingus etiam veluti maioris loci perſona poſt Ducem, & Comitem numeratur: eorum jam munia, ac exercitia palam fiant.

Inter præcipuas Palatinorum dignitates Dux apud Gothos ſemper primum locum obtinuit. Neſcio qua Rerum Hiſpanicarum notitia fundatus de la Clede vir Gallus ſcripſit: Duces civitatum fuiſſe Rectores, Comites vero provinciarum; ut univerſæ Luſitaniæ non Dux ſed Comes præficeretur, cum ex veteribus Hiſpaniarum monumentis id totum falſi evincatur. Ad Duces enim in provincia qualibet ſumma rerum deferebatur; bello ducendo, gerendoque, ac civili adminiſtrationi incumbebant. Id ipſum patet ex lege Wiſigothorum 17. lib. 2. tit. 1. qua cavetur, ut Dux provinciæ, eos qui non accepta poteſtate auſi ſunt judicare, acriter per ſe, per aliumve coerceat. Tam duces, quam Comites in regimine ſocios ſibi fuiſſe ait Receſvinthus in Concilio Toletano octavo. Ex Adone Viennenſi hujuſmodi Duces ſoliti fuere creari per impoſitionem pilei aurei ducalis unionibus ornati.

Poſt Duces Comites erant, quæ dignitas e Romanis ad Go-

Digitized by Google

Gothos effluxit; Adrianus enim Imperator cum Senatum in aulam ſuam tranſtuliſſet, ſuſceptis Senatorum magnatibus in amicorum cohortem, quæ ſuperiorum Imperatorum temporibus ex Equeſtri, & non Senatorio ordine erat, ita domeſticum quēdam Senatum penes ſe habere cœpit; qui, quoniam ille continuo peregrinaretur, comitatus Cæſaris vocitabatur, ac iidem amici comites: eorum conſiliis, atque ope in bello, ac pace utebatur: iis quoque provinciæ regendæ mandabantur, ut conſtat ex lege unica Cod. tit. 14. de Comitibus qui provincias regunt. Antiquitus creabantur annulo tradito cum adamantis gemma, apud Hiſpanos vero aliter: oſſa in aquam injecta invitatus a Rege comedebat, populo ter clamante: *Dua del Conde*: in civitatibus ſuis per commiſſoriam aliis judicibus, quos ſub ſe habebant judicandi ſuas vices concedere poterant: quorum judicum ea erat auctoritas, ut conquerentis adverſarium, unius Epiſtolæ monitione, vel ſigilli ad judicium venire poſſent compellere, graveſque multas id facere per negligentiam, aut contemptum differentibus inferre. Et ſi Comitem a ſua civitate abeſſe contingeret, ſuo loco Præpoſitum relinquebat; ſi tamen quid gravius, quod Comitis notitiam, juriſdictionemque concerneret, emerſiſſet, id Comiti ſtatim per literas indicabat; & Præpoſitus iſte Comitis Vicarius appellabatur. Qui civitati, aut portui præficiebantur Comites, aut alii loco, cui ab hoſte periculum timeretur, ſub ſe habebat milites, quibus ad ſubita belli ſemper paratus occurreret, videretque ne quid detrimenti reipublicæ eſſet. Civitates, quæ in Luſitania Comitum erant curæ, fuere Colimbria, Viſeum, Egitania, & Ebora, ultra Durium Portugale, & Bracara, & Brigantium.

Comitum ſpecies, qui ſub Regibus noſtris Gothis, rerum in Hiſpania potiti ſunt, ex Conciliorum Hiſpanienſium ſubſcriptionibus recenſentur. Primo loco ſeſe offert Comes ſanciarum, cujus munus erat Regis epulis eſſe præfectum: & noſtro ævo *Almotacel mor*, & *Copeiro mor* dicitur. Theſaurorum Comes, qui Regis patrimonium, & poſſeſſiones procurabat. Comes Notariorum, qui Notariis, videlicet a Prin-



Digitized by Google

cipis ſecretis tabulis, præficiebatur, Notariorum quoque Primicerius dicebatur. Comes ſpathariorum, qui Regis corpus cuſtodiebat, hodie *Capitaõ da Guarda*. Comes cubiculi, qui cubiculi Regis curam gerebat, vulgo *Camareiro mor*. Comes ſtabuli, qui Principis equos curabat, & Equitum Magiſter nominabatur, vulgo *Eſtribeiro mor*. Comes exercitus, qui univerſis legionibus, caſtriſque præerat, habebatque abſolutum in milites imperium; id muneris apud Romanos exercebat Tribunus militum; ſcilicet ut militem dicto audientem haberet, ad exercitia deduceret, & in ſtationes, ac hiberna mitteret, clandeſtina cum hoſtibus colloquia vitaret, novarum rerum Auctores ſupplicio afficeret, pabulationes, fermentationeſque curaret, ne militi arma, ſtipendia, cibaria, commeatuſque deeſſent, provideret.

Tiuphaudus poſt Duces, Comites, & Gardingos primum ſibi ordinem vindicabat, ei ſuberant Millenarii, Quingentenarii, Centenarii, Decani, exercitus etiam Compulſores, Annonarii, Defenſores, pacis Aſſertores, Numerarii, Villici, & Saiones. Huic in omni criminalium rerum genere judicandi facultas conceſſa erat, præterquam in iis criminibus, quæ legum ſententia aperte condemnabat, quorum reos non amplius judicabat, ſed ut jam a lege erant præjudicati, condemnatique, debitis pœnis ſubjiciebantur. Millenarii erant, qui mille ſub ſe milites habebant. Quingentenarii, qui quingentis militibus præerant: hi ſi aliquem de ſuis propter munus aliquod, ab hoſte domum redire conſenſiſſent, aut in hoſtem domo ire non coegiſſent, quod acceperant novecuplum etiam Comiti civitatis, cujus territorii erat, reddere tenebantur: ſi vero nullo accepto munere id feciſſent 15. ſolidos inter milites ſuos dividebant. Centenarii, quos antiqui Centuriones vocabant, centum militibus præpoſiti. Hi ſi centenam ſuam deſererent, domumque ab hoſtibus refugerent, capitis plectebantur: aſt ſi ad ſacra altaria, vel ad Epiſcopum tercentos ſolidos exſolvebant ſuæ civitatis Comiti, poſtea jam non inter Centenarios, ſed Decanos erant. Si ipſi ob beneficium forte acceptum, aliquem de centena ſua

Digitized by Google

domum ab exercitu redire, aut domi remanere, neque in hostem proficiſci paſſi fuiſſent, novecuplum acceptum ſuo Comiti civitatis redderent.

Decani, quos Varro, & Suetonius *Decuriones* appellant, decem militibus imperabant. Hi ſi decaniam relinquerent, ab hoſteque domum recederent, aut cum validi eſſent, domo exire in bellum detrectarent, decem ſolidos civitatis Comiti dare cogebantur. Defenſores erant in duplici ratione: alii nomine civitatis cauſas, lites, & negotia curabant, ut actores ſyndici: alii cum poteſtate, & Magiſtratu, & locorum defenſores dicebantur: alii vero provinciarum, quibus latior cura, & plures res, & civitates defendendæ commiſſæ erant. Pacis Aſſertor apud Gothos erat qui ad faciendam pacem regali deſtinabatur auctoritate. Differebat autem Aſſertor a Judice, quod ille omnium negotiorum, actionumque cauſas terminaret; hic vero non alias, niſi quas illi regia commiſerat ordinandi poteſtas. Numerarius juxta Iſidorum vocatur, qui publicum nummum ærariis infert, hoc eſt, qui pecuniam regiam ex tributis, & portoriis, & vectigalibus partam in æraria inferebat: hic etiam annonas, quæ ex villis fiſco regio debebantur, procurabat, ſi ſingulis annis facere neglexiſſet, duplo de propriis facultatibus ſolvebat. De Villico ſic Iſidorus ſcripſit: *Villicus propriæ villæ gubernator eſt, unde a Villico Villicus nomen accepit. Interdum autem Villicus non gubernationem villæ, ſed diſpenſationem univerſæ domus, Tullio interpretante, ſignificat, quod eſt univerſarum poſſeſſionum, & villarum diſpenſator.* Saiones, ut ex variis locis Gothicarum legum conjicere licet iidem erant, qui apud Romanos Apparitores, regii videlicet, ac Magiſtratus miniſtri, qui ad eorum juſſa exequenda ſemper præſto erant. Tandem ſervus Fiſcalis dicitur etiam Fiſcalinus eo quod res, & corpus ejus fiſco regio cedat. Hi in officiis mancipati Regi inſerviebant. Hactenus de officiis gentis Gothicæ, nunc de legibus, quibus gubernabantur.

*Lib. orig. 9. c. 4.*

*Lib. 9. Etim. c. 4.*

Digitized by Google

# CAPUT VII.

## *De legibus, quibus parebat Luſitania.*

OMnipotens rerum Dominus, & Conditor unus providens commoda humanæ ſaluti diſcere juſtitiam habitatores terræ ſacræ legis ſacris decenter imperavit oraculis. Sed quia ſolius tam immenſæ divinitatis imperiis hæc cordibus imprimuntur humanis, convenit omnium terrenorum quamvis excellentiſſimas poteſtates illi colla ſubmittere mentis, cui etiam militiæ cæleſtis famulatur dignitas ſervitute. Nihil equidem clarius, & mirandum magis quam Gothicæ gentis regimen, & politia: quondam gens natura effrenis nullis legibus contineri poterat; Hiſpaniis poſtquam ſedem collocarunt, digni erant, quibus Romani ipſi, & Athenienſes celeberrimi legum cultores inviderent. Qui primus omnium Regum leges tulit Gothorum proprias is fuit Chindaſvinthus: nam ſubditis ſuis populis novum ſcripſit Codicem latarum ab ſe legum anno regni ſui ſecundo, qui erat Chriſti 643. Ita teſtatur Receſvinthus ejus filius, & ſucceſſor, qui poſt quinquennium novis latis legibus *Forum judicum* ſolemniter promulgavit. *Quoniam*, ait, *novitatem legum vetuſtas maiorum exigit, & innovare leges veternoſas peccaminum antiquitas impetravit, ideo leges in hoc libro conſcriptas ab anno ſecundo bonæ memoriæ domini, & genitoris mei Chindaſvindi Regis in cunctis perſonis, ac gentibus noſtræ amplitudinis imperio ſubjugatis omni robore decernimus, ac jugi manſuras obſervantia conſecramus.* Ipſe Receſvinthus prohibuit, ut nullus prorſus ex omnibus ſui regni præter illum Codicem legum tunc editum alium librum pro quocumque negotio in judicio offerre pertentaret; quod ſi præſumeret, triginta auri libras Fiſco perſolveret. Judex quoque ſi vetitum librum ſibi poſtea oblatum diſrumpere fortaſſe differret, prædictæ damnationis diſpendio ſubjaceret. Conſenſit tamen, ac permiſit ſubditos

Digitized by Google

ſuos alienæ gentis etiam Romanæ legibus ad exercitium utilitatis imbui, modo iis ad negotiorum diſcuſſionem non uterentur: quamvis enim, aiebat, aliarum gentium leges eloquiis pollerent, tamen difficultatibus hærebant; & noluit Gothos ſive Romanis legibus, ſive ab alienis inſtitutionibus amplius convexari.

Nullus judex cauſam audiebat, quæ legibus non continebatur; ſed Comes civitatis, vel Judex, aut per ſe, aut per exequutorem ſuum conſpectui Principis utraſque præſentare partes procurabat, quo facilius, & res finem acciperet, & poteſtatis regiæ diſcretione tractaretur, quatenus exortum negotium legibus inſerebatur: ſolis quippe Regibus licebat leges adjicere, ſi juſta novitas cauſarum exegiſſet. Hæc conſtat ex lib. 2. tit. 1. legum Wiſigothorum. Codex iſte Gothicæ gentis legum ex duodecim libris, & quinquaginta quatuor titulis componitur, ſummo ſtudio a ſapientioribus ſervabatur; & ut juvenes accuratius vacarent publica erant ſtudia apud Cordubam, quo ex Luſitania, & ceteris Hiſpaniarum provinciis erudiendi adoleſcentes proficiſcebantur. Uſque ad Regis Alfonſi Catholici tempora maxima in obſervantia fuere leges apud Luſitanos, qui poſtea ſub Maurorum jugo ſuis municipalibus uſi ſunt: & tempore Ferdinandi I. Regis cognomento Magni per Gallæciam, Portugale, Aſturias, & Legionem juxta novas leges Alfonſi V. judicia fieri juſſit Concilium Coyacenſe Luſitaniæ, & Gallæciæ generale anno 1050.

Digitized by Google

# CAPUT VIII.
## *De Monachis, & Monialibus.*

### §. I.
### *De Monachis.*

IN Luſitania Monachorum inſtitutum jam ſæculo ſexto viguiſſe monſtratum eſt, ſæculo tamen ſeptimo magis propagatum, diffuſumque conſpicitur. Apud Nabantiam Monaſterium floruit, cujus Abbas virtute clarus id temporis erat Celius S. Irenæ avunculus; plures ſub ſe Monachos habuiſſe legitur, qui non tam Monaſterii ſui rebus vacabant, imo populorum ſaluti, & doctrinæ vigilabant: veluti Athenæum erat, quo Nabantiæ, & vicinorum oppidorum pueri accolæ inſtruendi accedebant: & uſque ad Saracenorum invaſionem perſtitit. Prope Bracaram Monaſterium extitit de Montelios a S. Fructuoſo Bracarenſi Præſule fundatum, quod poſtea Alphonſus Magnus Siſnando Ovetenſi Epiſcopo donavit. Inter cetera tamen eminebat Dumienſe, de quo ſæculo ſexto actum eſt, & adhuc quidquam dicendum ſupereſt; iſtud ſcilicet Monaſterium ejus fuiſſe naturæ, cujuſmodi fuere plura in Germania, quod Monachi inſervirent Epiſcopo; & ejus quidem conditio ab hujuſmodi Monaſteriis Germaniæ ætate tantum diſcrepabat; bis centum quippe fere annis conſuetudo hæc Germaniæ præverti viſa eſt in Gallæcia. Ibidem præter Epiſcopum omnium ovium Paſtorem Abbas quoque erat Monachorum Præſes: nam in Concilio Toletano octavo ſubſcripſit: *Odulgus Abbas Riachimiri Epiſcopi Eccleſiæ Dumienſis*: quamobrem dignum notatu eſt id, quod ſacra Congregatio Diſciplinæ Regularis 28. Maii 1715. Decreto 6. in Bullario Clementis XI. conſtituit Regularem non poſſe ſimul eſſe Parochum & ſui conventus ſuperiorem, a veteri Dumienſis monaſterii conſuetudine non diſcriminari, ubi alius erat Epiſcopus, alius Abbas erat.

Digitized by Google

Monaſterium ad montem Britonienſem juxta Eccleſiam Barbudenſem ad Aquiloniam Bracaræ plagam a D. Antonio Magno, cui erat dicatum, Antoninum dictum licet ſæculo exeunte ſexto inceptum, ſæculo tamen ſeptimo floruit ſub eadem regula, quâ Dumienſe Monaſterium profitebatur. Hujus Monaſterii Monachi aliud S. Victori nuncupatum intra Bracaram condiderunt, locupletaruntque donatione, quam Sacerdos Valaſquius Menendius anno 565. teſtamento ſuo reliquerat: en donationis verba: *Vobis viris Dei de Monaſterio de Moure damus Villam noſtram cum omnibus ad ſe pertinentibus cum Eccleſia S. Victoris pro animabus noſtris, & amore Dei, ut ibi faciatis templum ſanctum Domini vobis habitaculum* 10. *Novembris anno* 565. Apud Tibanienſis Monaſterii archivum ſervabatur. San-Victorinum Monaſterium uſque ad Arabum ingreſſum maxime viguit; poſt eorum vaſtationem in poſſeſſionem S. Geraldi Bracarenſis Antiſtitis venit, tempore tandem Regis venerabilis Alphonſi Pelagius Menendius Bracarenſis Præſul illius Eccleſiam conſecravit, & uſque ad ætatem noſtram Bracarenſes Archiepiſcopi S. Victoris Abbates nominantur.

Villarenſe Monaſterium inter Bracaram, & Bratiam juxta littora fluminis Cadavenſis: Vargenſe a Bratia circiter mille P. VIII. Turris, quod S. Salvatori dicatum Dumii colonia erat: Claudianum, cujus vices nomine S. Claudii Eccleſia amplectitur Parochialis: Cabanenſe, & Azenſe. Tamajus ad diem 20. Martii in Martyrologio Hiſpano hæcce meminit Monaſteria, ſed eruditiſſimi viri Caetanus Ceni, necnon Bollandiſtæ, & alii Pſeudochronicorum figmenta opinantur: clariſſimus quidem Jepes, & Fr. Bernardus de Brito licet veterum ſui ordinis Monaſteriorum ſeduli exploratores ſilentio penitus prætermiſerunt. Alia tamen in Interamnenſi Provincia floruere quæ certioribus monumentis commonſtrantur. S. Michaelis ſcilicet *de Refoyos* in territorio de Baſtos, ubi ſepultum fuerat corpus Domni Gomeſii Suarii era 708. & Fr. Pelagius Soarius era 701. S. Martini de Sade inter Bracaram, & Araducam a S. Fructuoſo extructum ex donatione

Digitized by Google

ab ipsomet facta era 667. *Vobis fratribus nostris de Monasterio S. Martini de Sade concedimus redditus de Lusisino in eleemosynas, & sustentationem hospitum, & peregrinorum.* Prope Forum Limicorum Monasterium S. Mariæ Mirandulensis, cujus meminit antiquissimus Codex in Monasterio de Pedrozo inventus, ubi descripta sunt verba Abbatis de Pedrozo: *Utinam omnes Cassinenses fuissemus, sicut & fratres nostri Mirandulenses, qui anno Domini 659. arduo in monte super Limiam Cassinum fecerunt conjuncti, & separati, sed alios sic, alios sic operari oportet.*

Præ ceteris tamen celeberrima extiterunt Turonicum in Transmontana Provincia, & S. Salvatoris inter Bracaram, & Dumium, utrumque a S. Fructuoso constructum. Fructuosus morti proximus Decentium, qui illi bene a parvulo servierat, jussit vocari, & imponens ei manum ordinavit Abbatem in præcipuo Turonico Monasterio, quod a S. Martino Turonensi Episcopo, cui fuerat dicatum, nomenclaturam susceperat. Inter Bracaram, & Dumium in cacumine montis molici præcipuum ædificavit Monasterium, ubi suum corpus humatum est. Tanta Fructuoso fuit intentio in sanctarum Ecclesiarum ædificatione, ut cum antea cognovisset suum imminere obitum, & præsentis vitæ occasum, non solum diurno tempore sine intermissione operaretur, sed etiam nocturnis horis lampadibus accensis in eodem opere perseveraret, ne de hoc sæculo discedens opus sanctum relinqueret imperfectum: teste Valerio Abbate, sive alio qui Valerii nomine Fructuosi vitam descripsit.

Monachis suis regulam duplicem præscripsit Fructuosus, priorem Complutensi dumtaxat Monasterio, alteram instar supplementi adjecit pro Monasteriis in villis construendis. Prior 23. altera 20. tantum capitibus constat. Utramque Holstenius edidit in codice Regularum: plurima fateor & ex Augustiniana, & Benedictina regulis fuisse transcripta. Pro divino officio statuit ut Monachi ante mediam noctem surgentes psalmos duodecim per choros recitarent: post paululum pausantes mediæ noctis officium persolverent: in quo

Digitized by Google

quo reſponſoria quatuor ternorum Pſalmorum diviſione cantabantur. Hyemis tempore poſt mediam noctem, omnibus ſedentibus, unum in medio legere jubet, & ab Abbate, vel Præpoſito diſſerente quod legitur ſimplicioribus explicandum. Æſtivo tempore ſacram lectionem eodem ritu poſt veſperas facerent. Poſt duodecim rurſus pſalmos cantatos in cubilia ſeſe recipiebant, ut quiete modica abſumpta, gallicinio jam ſonante, tres pſalmos cum laude, & benedictione ſua recitarent, ſacrificiumque Matutinum celebrarent. Matutinis laudibus perſolutis ad conſuetæ meditationis locum pergebant, ibi tribus pſalmis dictis, meditabantur uſque ad ſolis ortum. En plurima de officio divino, quæ ex Benedictina regula non fuere excerpta: hæc enim Monachos non ante mediam noctem, ſed noctis hora octava in hyeme ſurgendos præſcribit cap. 8. Meditatio quoque iſta a Fructuoſo conſtituta pro recitatione, &cantu pſalmorum accepta erat, non pro mentali oratione, cujus horæ priſcis Monachis non decernebantur, cum rerum contemplationi ſemper intenti eſſe deberent.

Sabbatorum, & Dominicarum nocturnis officiis ſex lectiones adjiciebant, totidemque lectionibus cum ſex reſponſoriis vigilias celebrabant, intervallum, id eſt, exigebant temporis, quod ad Matutinas laudes intercedit, ut Reſurrectionis Dominicæ feſtivitas ampliori officiorū pſalmodia magis honoraretur. Ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, ac Veſperas privatas orationes præmittebant, treſque pſalmos recitabant. Primam noctis horam ſex orationibus celebrabant, ac decem pſalmorum cantu in Eccleſia conſumabant. Tum fratres mutuo ſibi vale dicebant, mutuoque condonabant debita, iiſque indulgebant, qui a cœtu fraterno fuerant ſegregati. Inde ad cubilia pergentes, atque in unum coeuntes ob perfectionem pacis, & reorum abſolutionem, tres pſalmos cantabant cum laude, & benedictione; ſymbolum Chriſtianæ Fidei recitabant, ut ſiquis noctu migraret e corpore, commendatam jam fidem ſuam, & expiatam ab omni ſcandalo conſcientiam proferret ante Deum. Præpoſitus ſingulorum



Digitized by Google

lectos circuibat cum decumberent, ne muſſitationibus, aut fabulis vacarent, aut ridiculis intenderent. Decanus, aut alius probatus frater in ſeceſſu communi ſtabat, donec dormirent ſinguli, omnium actibus invigilaturus. Præpoſitus noctu cæteris prior ſurgebat, ut cum ejus benedictione ſignum fieret, & cunctorum lectos, antequam ſurgerent, ſtrenue viſitaret. Manuum opera ſtatis horis in ſilentio peragebant, ſed nemo ſibi proprie adquirendum peculiare opus exercebat, aut cuilibet ſponte ſua præſumptione diſtribuendum.

Carnium eſus vetabatur; aſt erga ægrotos, & longiori itineri deſtinatos pietas erat in obſervantia: ſi a Principe, aut Epiſcopo invitabantur pro benedictione, & obedientia carnes deguſtabant, ſervantes tamen apud ſe de reliquo ſolitam continentiam. Siquis adverſus regulæ ſanctionem veſci carnibus præſumeret, ſex menſium ſpatio retruſioni, & pœnitentiæ addicebatur. Solis oleribus, & leguminibus, raro piſcibus veſcebantur. Vinum iis permittebatur juxta Abbatis voluntatem ita temperandum, ut inter quatuor ſextarius partiretur: in maioribus feſtivitatibus tria pulmenta, & potiones iis erant. Anticipari prohibitum fuerat communis refectionis horam; ſilentium, & ſacra lectio ad menſam erat, furtivæque comeſtiones vetitæ. En Auguſtinianæ regulæ ſtatuta. Qui ad menſam tarde acceſſerat, cibo carebat.

Circa jejunia conſtitutum eſt ut a Pentecoſte uſque ad decimum octavum Kalendas Octobris eſſent interdiana jejunia præter unam Quadrageſimam, quæ Ss. Juſti, & Paſtoris ſolemnitatem præcedebat, in qua uſque ad nonam quotidie jejunabatur, & a vino penitus abſtinebatur: ab ſolemnitate iſta uſque ad Paſcha quotidie jejunium erat, & per Quadrageſimam a vino, & oleo abſtinentia.

Monachorum veſtimenta nec multa, nec ſuperflua erant, ac in una cuſtodiebantur cella ſub uno cuſtode qui petentibus congrua ſtaturæ mutatoria tribuebat ſine cultu, & nitore: quod ex Auguſtiniana regula præſcriptum eſt. Quid-

Digitized by Google

quid veſtimentorum, calceamentorum, vel lectariorum antiquius erat, dum nova perciperent, in pauperes erogabatur: en etiam Benedictinam regulam. Peculiaritas aut in veſtimentis, aut in utenſilibus, aut in aliis rebus, viliſſimis quoque, omnino fuit interdicta. Munus quodlibet, ſive epiſtolas ſine ſuperioris licentia non recipiebant, neque quidquam ſuum dicebant, aſſerendo: codex meus, tabulæ meæ. Hoſpites, peregrinos, infirmoſque maxime curabant: hoſpitum ſuorum lavabant pedes, & ſi ex itinere erant confecti, oleo ungebantur. Infirmos in una domo tam accurato fovebant miniſterio, ut nec propinquorum, nec villarum delicias appeterent. Duos in eodem lecto dormire Monachos vetitum erat, aut alterius tenere manum. Ex Benedictina regula tranſſumptum erat tantam eſſe obedientiam, ut in rebus etiam impoſſibilibus affectus monſtraretur. Tanta quoque erat patientia, ut nec odio, nec injuriis, nec contumeliis violaretur; modeſtia tanta, ut nec alium reſpicere, nec appellare quis auderet abſque ſui ſuperioris licentia.

Erga delinquentes hæc erat diſciplina, ut mendaces, fures, percuſſores, perjuri, ebrioſi, & qui ſine Abbatis licentia literas ſcripſiſſent, aut recepiſſent poſt correptionem verbis tenus a ſuperioribus factam ſe non comendantes acerrime flagellarentur, trium menſium ſpatio communione carerent, in cella ſub pœnitentia recluſi ſingulis diebus hordeacei panis ſex unciis, & aquæ menſura parvula ſuſtentarentur. Quælibet cauſa in conventu communi fratrum ventilabatur, ne forte dolo, vel malitia ſenioris innocens junior opprimeretur. Ab Abbate, Præpoſito, & Decanis regebantur. Ter ſingulis hebdomadibus capitulum agebant, in quo regulæ Patrum legebantur, ſermo ædificationis, vel caſtigationis proferebatur ad fratres, negligentiæ emendabantur, excommunicati pœnitentes abſolvebantur, procacibus iterum irrogabatur cenſura.

Converſi de ſæculo in Monaſterium non ſuſcipiebantur, niſi qui decem dierum ſpatio ad januam Monaſterii perſiſtentes orationibus, jejuniis, patientiæ, & humilitati operam de-

Digitized by Google

diſſent. Anno integro probati erant, & ſpiritualis ſenioris diſciplinæ committebantur; in interiores fratrum ædes non recipiebantur, donec probationis annum expleſſent, ſed in exteriori porta Monaſterii cellulæ ipſis erant, ubi omnem exercerent obedientiam. Abbates tamen poteſtate fruebantur probationis tempus pro converſorum merito contracturi. De poſtulantium facultatibus nec unus nummus in Monaſterium erogabatur, ſed ipſi manu ſua cuncta pauperibus diſtribuebant. Tanta erat Fructuoſi regulæ fama ut familiæ integræ, viri ſcilicet cum uxoribus, & filiis parvulis in Monaſteriis reciperentur; aſt fœminæ ſeorſim in propriis Monaſteriis commorarentur; licet aliquando etiam virorum cœnobiis conjunctis, de quibus nunc eſt.

## §. II.
## *De Monialibus.*

SÆculo ſeptimo ſanctimoniales per Luſitaniam in communi vita degebant, cujus extant apud veteres monumenta. Inſigne erat Arcençe Monaſterium, prope Sacellum, quod S. Mariæ de Seixa appellant, ubi Fr. Bernardus de Brito cippum invenit.

::::ANDA XPI. FAMULA VIX. ANNOS XLII. QUIEVIT IN PACE DEI IX. KAL. JVLIAS ERA D.C.XXIIII. A ✠.

Servanda Chriſti famula vixit annos quadraginta duos, quievit in pace Dei nono Kalendas Julii Era ſexcenteſima vigeſima quarta. Ibidem erat alius lapis inſcriptus.

FLORENTIA VIRGO XPI. VIX. ANN. XXI. ET VITA BREVI EXPLEVIT TEMPORA MULTA OBDORMIVIT IN PACE JESU. QUEM DILEXIT KALEND. APRILIS ERA D.CXX.VI.

Florentia Virgo Chriſti vixit annos viginti & unum, & vita brevi explevit tempora multa, obdormivit in pace Jeſus, quē dilexit Kalendis Aprilis Era ſexcenteſima vigeſima ſexta.

Digitized by Google

Apud Nabantiam Fructuosus Bracarensis Præsul Monialium quoque extruxit Monasterium, ubi S. Irene Virgo Lusitana regularem vitam professa est. Cum ab insano amatore Britaldo ejus loci Dinasta, cujus nuptias contempserat, interficeretur, ejus corpus, quod cædes esset occultior, in Nabanim fluvium projectum est, sed ad Scalabim in medio Tagi fluminis, in quod Nabanis influit, alveo repertum fuit: undæ divino miraculo dimotæ in utramque partem: sepulchrumque divino opere extructum siccis pedibus qui quærebant inveniſſe memorantur. Ex ea re Virginis religionem iis in locis confirmatam, amplificatamque brevi fuisse oppidi nomen indicio est, scalabis appellatione ex eo tempore in Sanctæ Irenes mutata. De Irene agunt Lusitani omnes, & exteri: Breviarium S. Simeonis de Junqueira Canonicorum Regularium, cujus antiquitatem alibi memorabo, officio proprio colit: notandum hic est Breviarium antiquum Monasterii S. Crucis, de quo etiam alibi, Irenes martyrium ad sæculum undecimum refert adversus omnes Lusitaniæ, & Hispaniarum scriptores; exscriptoris tamen vitio confectum id existimo.

Aliqua Monialium Monasteria virorum Monasteriis fuisse conjuncta id temporis satis prædicant monumenta: inter quæ erat Nabantinum illud Irenes, & alia quæ sæculo adhuc decimo extiterunt. Gaspar Estacius de Lusitaniæ antiquitatibus cap. 2. tradit se inveniſſe donationis chartam, qua Comes Muma Dama apud Vimaranum Era 967. fratrum, & sororum Monasterium condidit: *Et ideo devotioni meæ extitit, ut ob honorem salvatoris, & vestram placandam clementiam ædificarem in tam præfato fundo cœnobium fratrum, & sororum in vita sancta perseverantes, caste, pieque, & sobrie viventes sub manu Abbatis die 7. Kalendas Februarii era 967.* Ex donatione quoque Guterri, & Ausindi Monasterio Eccleſiolæ facta anno 922. constat istud Canonicorum, & Canonicarum fuisse: *Pro tolerantia fratrum, sororum, qui in ipso loco habitantes fuerint*: sunt donationis verba: & istarum sororum meminit liber obituum

Digitized by Google

Ecclesiolæ: *Pridie Nonas Martii Froja.* 14. *Kalendas Junii Tereja Soares*: 4. *Idus Junii Maria*: *pridie Nonas Julii Elvira.* 17. *Kalendas Septembris Elvira.* 17. *Kalendas Decembris Godinha.* 5. *Kalendas Decembris Maria*: quæ omnes Ecclesiolæ sorores ibidem inscribuntur.

Quamvis Gregorius Magnus in Epistola 26. ad Januarium Caralitanum Episcopum constructionem Monasterii impediret in domo Epiphanii ejusdem Ecclesiæ Lectoris, quod domus ipsa Monialium Monasterio cohæreret, id per Hispanias non fuit in observantia; imo nec post Concilium Nicænum secundum, quod Canone 20. statuit ne fieret duplex Monasterium, quoniam scandalum, & offendiculum id multis erat; & per plura sæcula adhuc in Hispaniis dupl cia Monasteria fuere, ut suis locis videbimus; Paschalis enim II. anno 1103. ad Didacum Gelmirium scripsit incongruum esse, quod per regionem Gallæciæ Monachi cum sanctimonialibus habitarent, & jussit ut qui in præsentiarum simul erant, divisis longe habitaculis separarentur: nec Paschalis decreto adquievit Lusitania, quæ Era 1242. apud Colimbriam juxta Monasterium Canonicorum Regularium S. Crucis, Canonicarum quoque Monasterium continuit: en verba chartæ venditionis Egæ Godini, & uxoris ejus Mariæ Pelagii: *In oriente domus sororum S. Crucis, in occidente via publica; in Aquilone rivulus de balneis; in vero parte Africa via sororum.* Iis omnibus suus erit dicendi locus.

Id Hispaniarum sæculum veluti Religionis Christianæ vox publica omnibus satis prædicat, qua fide, qua veritate Hispanienses omnes essent præditi, quostquam Jacobus, Paulus, Petrus Ratensis, Mantius, & alii septem Episcopi ab Apostolo Petro missi iis regionibus Euangelii lucem nuntiarunt. Nullum fidei dogma, quod in tot venerabilium Patrum confessibus non esset stabilitum: contra Sabellianos, Priscilianistas, Arianos, & Photinianos Trinitatis mysterium definitum: adversus Nestorium, Eutychetem, Monothelitas, & Acephalos Christus Deus, & homo verus

Digitized by Google

enuntiatus: septem Ecclesiæ Sacramenta, Missæ Sacrificium pro vivis, & mortuis, Hierarchici ordines, Romani Pontificis Primatus, & potestas, Monachorum status, Sanctorum reliquiarum, & imaginum cultus, hæc omnia ab Episcopis nostris proferebantur, ac vindicabantur.

## CAPUT IX.

### *De Viris Lusitanis, quorum memoria sæculo septimo extat.*

Eleuterius Lusitanus Archidiaconus Emeritensis Ecclesiæ sæculo ineunte septimo dignus quidem est memoratu in ambitionis, & perfidiæ exemplum. Mausona Episcopus Emeritensis in sæculo septimo morti proximus Eleuterium Archidiaconum suum convocavit, & ipsum admonuit ut curam S. Ecclesiæ solicite gereret, quod ipse morbo correptus, priusquam abiret, peccata defieret. Archidiaconus Mausonæ infirmitati, & senectuti compassus non est, sed potius pro ejus obitu gaudio magno gavisus est; cor suum lætitia comissæ potestatis inflavit, ita ut eum magno comitatu puerorum superbus equo vehente huc, illucque properaret. Aliquantis diebus elapsis sanctus Episcopus puerulis, qui ei servire consueverant, libertatis chartas conscripsit, pecuniam tribuit, & certe exiguas possessiones contulit: quod ubi Eleuterio nuntiatum est, atrium petiit, de Episcopo interrogavit, & cum audiret, invalescente languore, morti jam jam appropinquare, illico puerulos accersivit, & quid illis ab Episcopo datum, requisivit: cui cum illi veraciter dixissent, excitatus in furia cœpit eis minans prætendere terrores, & dicere: videte quod accepistis, bene conservate, si omnia mihi intemerata, cum requisiero, non præsentaveritis, vos gravissimis suppliciis fore excruciandos.

Tunc pueruli Mausonæ cellam ingressi, quidquid ipsis cum Eleutherio acciderat, narrarunt: & cum comperisset

Digitized by Google

verum quod de Archidiacono dixerant, lacrymatus eſt, ſtatimque ab baſilicam S. Eulaliæ Virginis deferri præcepit: ubi coram altari manus expandens, ſimulque venerabiles oculos cum lacrymis ad cœlos extollens, cum magno gemitu ſeſe in terram proſtravit, & preces ſuas diu, multumque in conſpectu Domini ſudit. His dictis: ad Epiſcopium rediit, ita nimirum redditus priſtino robori, ut putares hunc non ægrum, non ſenem, ſed redivivum ſumpſiſſe vigorem, juvenemque eſſe. Qui cum ex more ad veſpertinum officium vellet procedere, mirum in modum gaudentibus cunctis, Archidiaconus hæc audiens reatu ſuo oppreſſus obſtupuit, quod audiebat ad veſperas proceſſurum, quem putabat eodem die moriturum: confuſione, & pudore opertus de more cum omni Clero venit, coram Epiſcopo adſtitit, eique incenſum obtulit, cui ait Mauſona: Præcedeſme. Illi vero ignorantes cauſam reſponderunt: non pro alio tibi dictum eſt, niſi quia eum præcedes ad Eccleſiam: & cum officium inciperet, ſtatim Eleutherius graviſſimo dolore in choro percuſſus eſt, ad domumque gravi ægritudine remeavit: quod dum genitrix ejus ſanctiſſima fœmina agnoviſſet, ad Mauſonam properavit, eumque deprecata eſt cum lacrymis, ut pro ejus filio Deum oraret. Ad hæc reſpondit venerabilis vir: quod oravi, oravi; ex hinc die tertia Archidiaconus obiit: & ſic pœnam luit, qui alius mortem deſideraverat ipſius bona lucraturus. Hæc ex Paulo Diacono.

Plurimum quidem debet Luſitania Clariſſimis Viris D. Thomæ Tamayo, & Barnabæ Moreno de Vargas, quod e latebris, quibus multorum ſæculorum tractu abſcondebatur, adtulerunt ſcriptorem, quem Luſitania ſæculo ſeptimo peperit, & ſapientia, & virtutibus ſenem mirata eſt, Paulum ſcilicet Diaconum Emeritenſis Eccleſiæ. De Patribus Emeritenſibus, qui a ſæculo ſexto ad ſeptimi uſque finem floruere, acta ſua contexuit Paulus: neque fictis fabulis didiciſſe, nec aliorum relatu agnoviſſe, ſed auribus ſuis audiiſſe, oculiſque ſuis, quæ calamo exaraverat, aſpexiſſe ipſe fatetur.

HIS-

Digitized by Google

# HISTORIA ECCLESIÆ LUSITANÆ.

## SÆCULI VIII. & IX.

INFELIX Luſitaniæ, imo, & univerſæ Hiſpaniarum Eccleſiæ ſæculum! quæ fide, & diſciplina floruerat aut in ſuis Conciliis adunata, aut in ſuis ovibus, & Paſtoribus diſperſa, inter barbarorum malignantium rabiem decorem ſuum amiſit, optimumque mutavit colorem. Sedes ſine Epiſcopis, & aliquando Epiſcopi ſine ſedibus erant: incurſione gentili a ſuis Eccleſiis pulſi antra ſibi in domos elegerant Luſitani Antiſtites, ad Aſturiarum anguſtias confugere, ibique intra montium ambitum, qui quidem vix decem dierum ſpatio circumiri poterat, manſiones ſinguli obtinuerant, unde ſedibus ſuis honeſte providebant. Concilia ibidem ſtatuto tempore inierunt, Archidiaconos, Sacerdotes, & Abbates per Monaſteria, quæ adhuc permanſerant, conſtituerunt.

## CAPUT I.

### *De Luſitaniæ Epiſcopis.*

#### §. I.

#### *De Epiſcopis Bracarenſibus.*

BRacara Auguſta, quæ Metropolitica in alias Gallæciæ Eccleſias juriſdictione fruebatur ſæculo nono a victorioſiſſimo Rege Alphonſo Froylani Regis filio de Saracenorum manibus vindicata, ac erepta cum Eccleſiis ſui ter-



Digitized by Google

ritorii, ac Episcopatu urbi Lucensi Metropolitanæ data est; tamen ab Arabum vastatione Episcopos suos conservabat, qui honore tantum, & titulo sine subditis, quos regerent, ac pascerent, gaudebant. Sæculum octavum in Bracarensi Ecclesia incepit Felix, qui de Portugalensi Sede ad Bracarensem anno 693. in Concilio Toletano erat translatus; usque ad Bracaræ a Saracenis illatam vastationem vixit, qua Martyr occubuit. Post Felicem, quem Torquatum etiam appellant alii, Bracarensem Antistitem fuisse Victorem non tam Rodericus da Cunha in suo catalogo scripsit Pseudo-Juliani præsidio fretus, verum & Gaspar Alvares Lozada antiquitatum sedulus explorator. Victorem uterque aiunt cum Alexandro, & Marciano concivibus Bracarensibus 16. Kalendas Octobris apud Bacciam martyrium subiisse, quapropter fallebantur alii Victorem Bacciæ, non Bracaræ Antistitem opinaturi. D. Rodericus da Cunha cum aliis Arcadium numerat inter Bracarenses Præsules ab anno 780. usque ad 790. hunc ad Elipandum Toletanum Antistitem Nestorii errores proferentem scripsisse dicunt ad meliorem frugem reducturum, sed ab Elipando fuisse præversum; solidum tamen eorum monumentum quis credat nullibi inventum? Ferdisendum quoque, aut Froarengum adfert anno Christi 830. & Era 868. qui scripturæ Alphonsi Casti Regis in favorem Ecclesiæ Lucensis, ac Ovetensis subscripsit; ast certum quis existimet, cum ibidem sedes, cujus esset Episcopus, non memoretur. Inter incertos numerare opus est Nostranum, quem meminit idemmet Illustrissimus Rodericus ad annum Christi 830. in Concilio quodam Ovetensi ab Alphonso Casto congregato: cujus sedis Antistes esset Nostranus, qui illi Præsulum cætui adfuit, apud Conciliorum collectores nulla mentio, nullumque vestigium. De Dulcidio par esto judicium, quem D. Maurus Ferrer in Historia S. Jacobi ait subscripsisse scripturæ Regis Ramiri, cum anno 846. D. Jacobi, cujus præsidio ad Clavigium Mauris victoriam eripuerat, Compostellano templo voti ream universam Hispaniam fecit. Cantabrienſem potius legunt alii,

Digitized by Google

quam Bracarenſem. Inter tot, quos octavo, & nono ſæculo memorat Rodericus, nemo eſt qui e catalogo expellat Argimirum, qui anno Chriſti 900. cum ceteris Luſitaniæ, & Gallæciæ Epiſcopis ſub Alphonſo III. Rege, quem Magnum appellant, Ovetenſem S. Jacobi Eccleſiam conſecravit, & anno 901. Ovetenſi Concilio interfuit. Cardinalis de Aguirre quædam acta edidit, quæ ex libro antiquiſſimo Eccleſiæ Ovetenſis eruta ad ipſum miſit Clariſſimus Vir Antonius de Llanes, & Campomanes Archidiaconus Tineenſis, quibus ſubſcripſit Era 810. Argimundus Bracarenſis Eccleſiæ Epiſcopus: verum eruditiſſimus Herrera oſtendit fuiſſe conficta, ut cum ipſo, & aliis ſuo loco oſtendam.

## §. II.
## *De Epiſcopis Emeritenſibus.*

MAximus Emeritenſem Eccleſiam regebat Era 751. anno videlicet Chriſti 713. cum a Muſa Arabe capta eſt. Inter tot illius celeberrimæ Metropoleos calamitates ſæculo octavo nullus reperitur Antiſtes, qui Chriſtianis aut alibi diſperſis, aut inter ipſos Arabes in Emeritenſi Dioeceſi occultis ſubveniret. Poſt annum Chriſti 862. quo Emeritenſis Populus Mahometi Eccleſiam vexantis jugum excuſſit, Regemque Ordonium ſibi renuntiavit, Ariulphus Epiſcopus electus eſt. Id temporis Hoſtigeſius Epiſcopus Malagæ, & Servandus Comes, qui Mahometi Regis Cordubenſis conſuetudine pollebant, Concilium Epiſcoporum a Mahometo Cordubæ convocari curarunt, ut Sanſonem Presbyterum Cordubenſem virtute, & ſcientia clarum, ſed utriuſque erroribus infenſum damnarent. Sanſon tres dies ante Concilium adunatum Chriſtianæ Fidei profeſſionem in ſcriptis Epiſcopis tradidit approbandam: ſed jam in Synodo ſedentes minis Hoſtigeſii, & Comitis territi Catholicam Sanſonis confeſſionem improbarunt; ſed diſſoluto cœtu, in propria remeantes alii verbo, alii ſcriptis ſententias ſuas retractarunt, Sanſonemque catholicum declararunt. Qua de re certus Ariul-

Digitized by Google

phus Emeritenſis, qui Concilio illi non interfuerat, Sanſonis fidem vindicavit, Hoſtigeſii, & Servandi perfidiam damnavit. Poſt Ariulphum Emeritenſem Cathedram habuiſſe Landum tradidit Morenus, ipſumque Beati Magni Eremitæ ad fauces in Diœceſi Placentia commorantis acta pro canonizatione probaſſe; Morenum ſequutus eſt Tamajus in ſuo Martyrologio.

## §. III.

## *De Epiſcopis Oſſonobenſibus, & Pacenſibus.*

ERa 751. anno Chriſti 713. Oſſonoba, & Pax Julia a Muſa Arabis Duce captæ ſunt; pactum quidem inter Arabes, & Luſitanos intervenit, ut religionem Chriſtianam, quam ſervabant, retinerent: ſed ſine Epiſcopis manſit Algarbium uſque ad annum 1188. quo Sanctius I. illud Mauris victor eripuit, & Silvenſem Epiſcopum nominavit. De Pace Julia certum eſto judicium octavo ſæculo Iſidorum, quem Pacenſem appellant, illius Sedis Epiſcopum floruiſſe. Epiſcopus iſte chronicon ſcripſit a tempore Heraclii uſque ad annum 754. quod D. Franciſcus Prudentius Sandoval in lucem prodidit; ſed iis nævis affectum eſt, ut inoffenſo pede currendum non ſit. Librum alium exaravit ſub titulo *Dierum ſæculi* de præliis inter Mahometanos temporibus Abdelmelich, Belgi, Thoaba, Homeia, & Juzif: aſt temporum viciſſitudinem eſt paſſus literatorum detrimento, qui ex ipſo facem acciperent Hiſpaniarum res a Mahometanorum ævo tractaturi.

## §. IV.

## *De Epiſcopis Eborenſibus, ac Olyſiponenſibus.*

EX Mauro Raſi Era 753. anno Chriſti 715. pridie Idus Martii Mauri Eboram invaſerunt; ibi regnabat Joſeph, quo regnante, Chriſtianis fuit libera, & parebat. Eboræ extruxit ædes Joſeph, cumque regnum ereptum iri augurarentur, Chriſtianis potius ob fidem, & continentiam, virtutes ſapientioribus Mauris ſatis perſpectas unicam filiam credere

Digitized by Google

voluit in bellum versus Abderrahemenen Moabiæ filium profecturus, eam quod fœminei sexus, & in puerili adhuc ætate esset, qua facere injuriam Eborensibus non posset, tutius ibi depositam in angusto ædificio asservatam iri existimavit, quam apud Arabes suos infidos, impuros, & incontinentes. Nec diu Eborenses Christiani sub Rege Arabe pace sunt fruiti, nam Abderrahemenes auspiciis Miramiloni Meuruflorum reguli in Hispaniam trajecit, cum Josepho prælio dimicans victum interemit; devictis Mauris castra movit adversus Christianos occupavitque Eboram, Sanctarenam, & Olysiponem. Hinc infelix Eborensium, & Olysiponensium status sine Episcopis, & Pastoribus, qui saluti necessaria providerent. Memoria tamen proditur Christianos Olysiponenses templa sua servasse S. Verissimi, quod *dos Santos Vetus* hodie vocant, & S. Felicis, vulgo *de Chelas* olim Romanorum tempore fabulosæ Vestæ consecratum, quibus sacra sua obituri recondebantur.

## §. V.

## *De Episcopis, Egitanienſi, Lamecenſi, ac Viſenſi.*

ERa 753. Mense Martio, anno Christi 715. a Mauris direpta est Egitania; hinc ad annum usque 1200. Episcopo caruit. Lamecenses, ac Visenses populi de Lameci populatione certi in pace Musæ Duci Abdelazin se subdiderunt. Id temporis Mironius Lamecensem Sedem Episcopus regebat: nec alius octavo sæculo ejus urbis Antistes memoratur. Sæculo nono jam exeunte, acta Concilii Ovetensis an. 901. congregati Argimirum ferunt, qui anno Christi 893. Ecclesiam Monasterii *Vallis Dei* apud Ovetum consecravit cum aliis Episcopis, de quibus infra Moralis adducetur testimonium, & anno 900. dedicationi Ecclesiæ S. Jacobi Compostelanæ interfuit. Cum Argimiro eidem confessui adfuit Theodomirus Visensis Præsul, nec alium ejus Sedis Episcopum sæculo 8. & 9. quis inveniet. Regius Academicus Emmanuel Pereira da Silva Leal nescio quo fundatus monumento Theodomirum Egitanienſem Episcopum memoraverit,

Digitized by Google

cum omnia Concilii illius acta, quæ adamuſſim edita ſunt, Viſenſem inſcribant, non Egitanienſem.

## §. VI.
## *De Epiſcopis Colimbrienſibus.*

ERa 754. capta pacifice Olyſipone, Abdelazis Colimbriam profectus, eam ſubdi renitentem diripuit, omnemque adjacentem regionem inter flumina Alvam, & Mondam ad Eminium uſque Mahamet Abhamar tradidit, qui Colimbriæ Regis nomine ſuis etiam in poſteris eſt inſignitus. Colimbriæ Maurorum tempore fuere Chriſtiani, qui Arabi Principi vectigalibus mancipabantur, ut ex monumentis infra deſcribendis negabit nemo. Eorum ſaluti conſulebat, fidemque firmabat Servandus Epiſcopus, qui Colimbriæ Rege Marvan Ibenzorah ſcripturæ donationis ſubſcripſit, qua Theudus Athanarici filius Colimbriæ Comes ex Regum Gothorum genere Laurbanienſe Monaſterium ſub Aydulfo Abbate Era 808. Anno Chriſti 770. locupletavit. Poſt Servandum Nauſtus tantum reperitur, qui Colimbrienſi Eccleſiæ præeſſet. Anno Chriſti 876. Epiſcopatum rexiſſe fertur ex monumento quodam circa terrarum limites, quos ipſi Sedis Capitulum Era 914. deſignaverat. Anno 900. Ovetenſem S. Jacobi Eccleſiam dicavit, & anno 901. Ovetenſi Concilio ſedit Era 940. anno Chriſti 902. ſcripturæ ſubſcripſit, qua Alphonſus Magnus Theonando Archipresbytero Eccleſiæ S. Stephani, ac Martini oppidi *de Adilano* redditus donavit. Anno Domini 907. Epiſcopatui renuntiavit, ac anno 913. vixiſſe creditur, cum Jepes in appendice tom. 4. adferat monumenta, quæ Nauſtus ſine ſede ſubſignaverat. Fr. Emmanuel Pereira Monachus Benedictinus Nauſti Epitaphium apud S. Andreæ *de Trobe* templum a ſe inventum ſcripſit.

HIC QUIETUS REVIVAT FELICI SORTE
NAUSTINUS EPISCOPUS SACERDOSQUE,
LÆTUSQUE CŒLIS AMEN ::: TE INTULIT
ALMA FIDES DECENS CULMINI PONTIFI-

Digitized by Google

CALI COLIMBRIENSIS PER ANNOS XXXI. QUIESCENS IN HOC TUMULO DIE UNDECIMA DECEMBRIS ERA CCCC::: SIT VESTRA CUNCTORUM.

P. Gregorius de Argais inter Colimbrienſes Epiſcopos Theodomirum numerat, eumque Concilio primo Ovetenſi anno 821. Alphonſo Caſto Rege interfuiſſe. Eminentiſſimus quoque de Aguirre ex libro antiquiſſimo Eccleſiæ Ovetenſis hujus Concilii acta tranſcripſit, cujus in fine cum Theodomiri ſubſcriptione hæc habentur: *Actum privilegium 17. Kalendas Julii Era* 859. ſed hujuſmodi acta conficta eruditiſſimus Herrera exiſtimavit. Quis enim ſibi perſuadeat Hiſpanienſes omnes Hiſtoriographos inter Alphonſi Caſti geſta clariora Concilium iſtud tacuiſſe? quid de Principe memoratu dignius? quid felicius? Colimbriæ Chriſtianos floruiſſe octavo ſæculo monumentum iſtud Regis Alboacen Colimbrienſis teſtatur latinitate barbara deſcriptum.

*Alboacem Iben Mahumet, Alhamar Iben Tarif, bellator fortis, vincitor Hiſpaniarum, dominator Cantabriæ Gothorum, & magnæ litis Roderici. Quoniam nos conſtituit Allah, Illelah ſuper gentem Nazarat, efecit me dominatorem Colimb. & omni terræ inter Goadalvam, & Mondecum, & Goadatha per ubi eſparte meum mandatum. Ego ordinavi, quod Chriſtiani de meas terras pecten dupliciter quam Mauri, & de Eccleſiis per ſingulas XXV. peſantes de bono argento, & per Monaſteria pecten L. peſantes, & Bispantes pecten cent peſantes: & Chriſtiani habeant in Colimb. ſuum Comitem, & in Goadatha alium Comitem de ſua gente, qui manteneat eos in bono juſgo ſecundum ſolent homines Chriſtiani, & iſti component rixas inter illos, & non matabunt hominem ſine juſſu de Alcaide, ſeu Alvacile Saraceno: ſed ponent illum apres de Alcaide, & monſtrabunt ſuos juſgos, & ille dicebit bene eſt, & matabunt culpatum. In populationibus parvis ponent ſuos judices, qui regant eos bene, & ſine rixas. Si autem contingat homo Chriſtianus quod matet, vel injuriet hominem Mau-*

Digitized by Google

*rum Alvacir, seu Alcaide faciat de illo secundum jusgo de Mauris, si Christianus esforciaverit Saracenam virginem sit Maurus, & recipiat illam, sin matent eum, si fuerit de Marito matent eum, si Christianus fuerit ad Mesquidam, vel dixerit male de Ailah, vel Mahamet fiat Maurus, sin matent eum. Bispi de Christianis non maledicant Reges Maurorum, sin moriantur, Presbyteri non faciant suas Missas, nisi portis cerratis, sin pecten X. pesantes argenti, Monasteria quæ sunt in meo mando habeant sua bona in pace, & pecten prædictos L. pesantes. Monasterium de Montanis, qui dicitur Laurbano non peche nullo pesante, quoniam bona intentione monstrant mihi loca de suis venatis, & faciunt Saracenis bona acolhença, & nunquam invenit falsum, neque malum animum in illis, qui morant ibi, & totas suas hæreditates possideant cum pace, & bona quiete sine rixa, & sine vexatione, neque forcia de Mauris, & veniant, & vadant ad Colimbriam cum libertate per diem, & per noctem, quando melius velint, aut nolint, emant, & vendant sine pecho, tali pacto, quod non vadant foras de nostras terras sine nostro aparasmo, & bene velle, & quia sic volumus, & ut omnes sciant facio chartam salvo conducto, & do Christianis ut habeant illam pro suo jusgo, & mostrent cum Mauri requisiverint ab illis. Et siquis de Sarracenis non sibi observaverit nostrum jusgo in quo fecerit damnum componant pro suo avere, vel pro sua vita, & sit jusgo de illo: sicut de Christiano usque ad sanguinem, & vitam. Fuit facta carta de Jusgo Era de Christianis DCCXXXI. secundum vero annos Arabum CXXXXVII. Luna XIII. Dulcheia.* (ultimo scilicet Arabum anni mense.) *Alboacem, Iben Mahamet Alhamar, Iben Tarif rogatu Christianorum firmavi pro more*: O. *&c. dederunt pro robore duos equos optimos, & ego confirmavi totum.*

Monumentum istud Auctorum omnium, quos adii sententiæ adversatur circa Arabum Hegiram ab anno Christi 622. inceptam, quo Mahometes fugam arripuit. Nam si anno

anno 622. anni 147. lunares, quibus Arabes utebantur in ſupputationibus, addantur, annus Arabum centeſimus quadrageſimus ſeptimus in annum chriſtianum 765. minime in annum 771. incidet; & ex anno Chriſti 628. Hegira incipiet. Quapropter conjectandum mihi eſt Arabes Colimbrienſes de aliorum more annos etiam ſuos ſupputaſſe ex anno Chriſti 627. quo Arabes Muſulmani Mahometum Dominum, ac Regem ſuum ſub arbore renuntiarunt: centum enim & quadraginta ſeptem anni lunares tunc in Era chriſtiana 771. adimplentur.

## §. VII.

### *De Epiſcopis Portugalenſi, Britonienſi, ac Dumienſi.*

EOdem anno, quo Abdelazis Colimbriam invaſit, Portugale ſuo dominio ſubjugavit, & uſque ad ſolum depopulavit. Epiſcopo caruit ad annum uſque 872. quo Alphonſus Magnus Maurorum poteſtati ademit. Id temporis in Epiſcopum Portugalenſem, Clero, Populo, & Rege annuente, electus eſt Gumadus, qui Alphonſi literis Ovetum perrexit S. Jacobi Eccleſiam dicaturus, ibidemque Concilii Ovetenſis Patribus adſcriptus eſt. Non imparem fortunam ſubiit Britonia, quæ a Rege Alphonſo Caſto Mauris erepta Lucenſi Eccleſiæ cum Bracara, & Auria attributa eſt, ſed a Chriſtianis anno 872. omnino poſſeſſa, a Saracenorumque aggreſſibus liberata, poſtea Epiſcopo ſuo paruit Theodoſindo, qui & Eccleſiæ S. Jacobi dedicationi, & Ovetenſi Synodo adfuit, & ſubſcripſit. Dumii Epiſcopus in hiſtoria ſæculi noni occurrunt Martinus, & Rudeſindus. Martinus, tempore Alphonſi cognomento Caſti Eccleſiam S. Jacobi ab eodem Rege fundatam dedicavit: & ipſius meminit Fr. Bernardus de Brito, *Part. 2. Monarch. Luſit.* & Illuſtriſſimus Rodericus, apud quos tantum reperi. Rudeſindus interfuit conſecrationi Eccleſiæ Monaſterii *Vallis Dei* prope Ovetum, ex antiqua inſcriptione ab Ambroſio de Morales: *Conſecratum eſt templum hoc ab Epiſcopis ſeptem, Rudeſindo Dumienſi, Nauſto Conimbricenſi, Siſnando Irienſi, Ranulpho Aſturicenſi, Argimiro Lamecenſi, Recca-* *Lib. 15. cap. 23.*



Digitized by Google

*redo Lucenſi, Ellecano Cæſarauguſtano ſub Era* 931. *die* 16. *Kalendas Octobris.*

# CAPUT II.

## *Lucenſis, ac Ovetenſis Eccleſia Luſitaniæ Metropoles.*

EMerita, ac Bracara ab Arabibus ſubjugatæ priſtinam, qua ſplendebant, Metropoleon majeſtatem amiſerunt: aſt poſtquam Piiſſimus Rex Alphonſus Caſtus per Gallæciæ confinia Saracenorum manibus eriperet non tam Bracaram, quam cetera oppida, quæ ipſi cohærebant; benignam erga ſe ipſum cognoſcens Salvatoris clementiam, & ejus Genitricis auxilium, ad Lucenſem urbem regreſſus, Eccleſiæ S. Mariæ Lucenſi ceteras donavit, & conceſſit civitates, Bracaram ſcilicet Metropolim cum ſuo Epiſcopatu, & quæ in circuitu erant. Nomina autem Eccleſiarum memoratæ civitatis Bracaræ erant: *ad portam occidentalem Eccleſia S. Petri cum villis ſuis Ordiales, Ferrarios, Gontbevici, Cogordas. Sub Colina Eccleſia S. Fructuoſi de monte modico cum villis, turris capitolina, quæ id temporis vocabatur ab incolis Colina. Eccleſia S. Thirſi cum villa Tornarios, Eccleſia S. Vincentii cum villis, Inſidias, & Ceſpitelos. Eccleſia S. Eulaliæ extra murum cum villis. Ad portam orientalem, Eccleſia S. Chriſtinæ, Eccleſia S. Clementis cum villa de Molinos, Eccleſia S. Mariæ de Hatrones, S. Eulaliæ de Tolones cum villis, quæ in circuitu erant. Eccleſia S. Mariæ, quæ dicitur Cæmiterium Regale.* Etiam donavit Aurienſem urbem cum ſuo Epiſcopatu, Parochiis, & Monaſteriis.

Lucenſis Epiſcopus ad annum uſque 901. Gallæciæ, & Luſitaniæ jura dabat Metropolita: hoc anno Joannes Oſcenſis, Vincentius Legionenſis, Gomerus Aſturicenſis, Hermegildus Ovetenſis, Dulcidius Salmaticenſis, Jacobus Caurien-

Digitized by Google

sis, Nauſtus Colimbrienſis, Argimirus Lamecenſis, Theodomirus Viſenſis, Gumadus Portugalenſis, Argimirus Bracarenſis, Didacus Tudenſis, Egila Aurienſis, Siſnandus Irienſis, Reccaredus Lucenſis, Theodoſindus Britonienſis, & Eleca Cæſarauguſtanus, ii omnes Luſitaniæ, & Gallæciæ Provinciarum Epiſcopi Regis Alphonſi Magni victoriis onuſti literis cum Optimatibus, cum Regina, & filiis Regis Ovetum urbem regiam convenerunt ejuſdem Epiſcopum Hermegildum totius Gallæciæ, & Luſitaniæ Metropolitam electuri. Latum eſt edictum, quo Metropolitanæ Bracarenſis Eccleſiæ jura cuncta conſtituit, & translata fuere ad Eccleſiam Lucencem. Joannes IX. Romanus Pontifex per Severum, & Synderedum Presbyteros, quos ipſemet Rex Alphonſus Romam miſerat, literas ſuas ad Alphonſum dedit, quibus Ovetenſem Eccleſiam aliarum omnium Metropolitanam conſtituit.

Horum Epiſcoporum urbes licet aliquando Aſturiarum Reges obtinuiſſent, propter impotentiam retinendi ab Arabibus occupatæ, aut retentæ, aut diruptæ remanſerunt uſque ad tempora Alphonſi, qui cepit Totetum, avi ſcilicet Regis Alphonſi Henrici: & earum Epiſcopi tam in civitate, quam in Dioeceſi Ovetenſi partitis territoriis, ut poterant, victitabant. Ad Bracarenſem Epiſcopum pertinebat Eccleſia S. Mariæ Lucenſis non longe ab Oveto, ad Colimbrienſem Eccleſia S. Joannis ad Oceani Littora, ad Portugalenſem S. Crucis *de Androga*, ad Britonienſem S. Petri *de Nora*, ad Viſenſem S. Mariæ *Novelhoto*. Cardinalis de Aguirre ait Epiſcopos Oveti conveniſſe 18. Kalendas Julii Era 910. anno ſcilicet Chriſti 872. Joanne VIII. Romano Pontifice, qui ad Alphonſum Regem literas miſit: ſed ipſius Concilii hiſtoria ante annum 901. quo Joannes IX. Romanam regebat Eccleſiam, illud non eſſe adunatum commendat. Anno ſalutis 872. die 19. Kalendas Januarii Joannes VIII. creatus eſt, quapropter ejus conſenſu 18. Kalendas Julii ejuſdem anni Ovetenſis Synodus celebrari nequibat. Undecim menſibus tranſactis a Compoſtellanæ Eccleſiæ dicatione Synodus iſta eſt con-

*Tom. 4. pag. 356.*

Digitized by Google

vocata. Anno ſcilicet Chriſti 872. Magnus Alphonſus nondum S. Jacobi templum ſumptibus ſuis erexerat, ſed anno 879. ex ejuſdem Eccleſiæ monumentis Piiſſimus Rex ex perpolitis lapidibus, & maiori mole, quam Alphonſus Caſtus conſtruxerat, illam condi curavit. Eidem Concilio ſubſcripſit Dulcidius Salmaticenſis Epiſcopus, qui tamen anno 883. nondum Epiſcopus erat, ſed Presbyter ab eodemmet Alphonſo Cordubam legatus miſſus fuerat, ut ex Albaydæ chronico conſtat.

## CAPUT III.

### *Romani Pontificis Primatus per Luſitaniam.*

ADrianus I. Romanus Pontifex, audito Elipandi Toletani Præſulis errore de adoptione Jeſus Chriſti filii Dei ſecundum carnem falſis argumentationibus digeſto ad omnes Hiſpaniarum Epiſcopos, præſertim Gallæciæ Provinciæ Catholicam direxit Epiſtolam Elipandi doctrinam damnaturus, maloque Hiſpanienſium quorundam animos irrepenti medicinam præſtiturus. Epiſtola iſta anno 783. Bracaræ lecta eſt propter quoſdam ejus Eccleſiæ Presbyteros, qui Elipandi ſcientiæ plus nimio credentes ejus dogmata pariter erant amplexati: omneſque Hiſpaniarum Antiſtites id temporis ab Arabum populationibus ſoſpites qua reverentia, qua humanitate eam ſuſceperunt. Præter hancce Adriani Epiſtolã, alia inventa eſt a Gretſero, quam ipſemet Pontifex ad Toletanos, Bracarenſes, alioſque per Gallæciam Sacerdotes ſcripſit errores, de quibus infra ſuo loco agam, Apoſtolica auctoritate eradicaturus. Romani quoque Pontificis Primatum ſæculo nono demonſtrant Joannis IX. duæ Epiſtolæ ad Alphonſum Magnum de Ovetenſis Eccleſiæ conſecratione, novoque Metropolita Compoſtellano creando, quarum ſupra memini.

Digitized by Google

# CAPUT IV.
## *De Luſitaniæ Regibus.*

EGicæ mortuo ſucceſſit Witiza, qui licet regni initio clementiam, ac benignitatem in ſubditos ſimulata pietate exprimeret, tamen ad proprium ingenium reverſus omni ſcelerum, ac libidinum genere eſt inquinatus, Theodofredum Toleti Ducem Regis Roderici patrem Cordubam relegavit, & exulantem erutis oculis excæcavit, ne, quia populo erat gratus, & Receſvintho Regi natus, regnum aliquando impeteret. Idem moliebatur Pelagio Fafilæ Ducis filio, ſed ille in Cantabriam ſe conferens, fuga ſibi ſalutem adeptus eſt. Witiza hactenus occulte malus, depoſuit pudorem, publice effrænata libidine uxores multas, concubinaſque multas ſecum domi retinuit, Regni optimates, ut ejus moribus imbuerentur, hortabatur; eoque modo populum vivere impune permittebat. Adtamen Epiſcopos, & Sacerdotes timens, ne tam effræni cupiditati occurrerent, & populum ab obſequio perditiſſimi Principis anathematibus excluderent, iis decrevit, ut quot quiſque mallet, & poſſet, uxores, aut concubinas domi haberent, & ne ſacris Canonibus id inhibentibus parerent. Subditorum rebellionem veritus omnes Hiſpaniarum civitates præter Toletum, Legionem, ac Aſturicam mœniis exuit, omnem armorum uſum ſuſtulit, ne eſſet, quo reſiſterent.

Theodofredus Cordubæ relegatus conjugem duxit Recilonem ex Regio Gothorum ſanguine; ex ipſa filium habuit Rodericum: huic Witiza eandem oculorum cæcitatem, quam patri ſuo, irrogare cogitabat. Sed cautus ille Romanorum opem adverſus Regem impium fuga imploravit: quorum auxilio propter Receſvinthi avi gratiam monitus adverſus Witizam arma movit, & prælio cepit, ac Regno jam expulſum eadem affecit pœna, quam ille patri ſuo Theodofredo per nefas intulerat, ſibique Hiſpaniarum domina-

Digitized by Google

tum Gothicæ gentis ſuffragiis, & Senatus Romani auxilio vindicavit. Witiza ſolio deturbatus, oculorum amiſſo lumine, Cordubæ exul miſeram vitam duxit. Rodericus malis avibus aſſumptus in regnum, ſive morum tyrannide, ſive intemperata libidine Witizæ filios Siſibertum, & Ebam non tantum regno paterno ſpoliavit, verum & opprobriis, ac injuriis preſſos miſit in exilium; Juliani Comitis filiæ Florindæ, aut alio nomine Cabæ, quæ in aula regia inter ceteras Illuſtrium Matronarum filias de more educabatur, dum pater regia auctoritate legatum in Africa agebat, ſtuprum intulit. Hæc prima mali Hiſpaniarum labes, & tot calamitarum origo.

Julianus Comes filiam a Rege ſtupratam ægerrime ferens, privatum damnum malo publico ultus eſt: in Africam ad Muſam Africæ Præfectum ſeſe recepit, atque ei ſe totius Hiſpaniæ dominatum traditurum ait, ſi opem, & neceſſarias copias in prælium daret. Muza rem omnem ad Ulit Arabum Imperatorem Miramolinum refert: qui dolum ſuſpicatus, Juliani promiſſis non facile credendum exiſtimavit; fidem primum in militibus paucis exſpectandam, ſi pollicitis inhæreret, tum demum amplior exercitus crederetur. Itaque juſſu Ulit centum equites, & quadringenti pedites Juliano traduntur, quos ille per anguſtias Herculei freti traduxit, gintilitiiſque ſuis copiis ſociavit. Quo exercitu Bæticæ, ac Luſitaniæ oram depopulatus, Arabes præda, & bellicis exuviis divites Muſæ reſtituit. Hic de Juliani fide certus, duodecim millia militum duce Tarif Strabo illi dedit, quos Julianus clam in mercatorum navibus ad montem Calpen expoſuit, qui locus a Duce Arabum dictus eſt Gebel Tarif, id eſt, Mons Tarif, hodie vocabulo corrupto *Gibaltar*. Hoc exercitu Hiſpalim maris carentem, & alias urbes diripuit, totam Bæticam, & magnam Luſitaniæ partem prædis, ac rapinis infecerunt. Hæc omnia cum primum agnovit Rodericus Inachum conſobrinum ſuum cum exercitu collecto Saracenis obviam miſit; ſed Gothi armis longa pace inſoliti, hoſtibus bello aſſiduis facile ceſſerunt: quapro-

Digitized by Google

pter maiores ſpiritus, ac vires Julianus, & Arabes recuperarunt; nam prope infinita eorum multitudo, Hiſpanienſium divitiarum avaritia illecta, ſeſe ex Africa in Hiſpaniam effuderat.

Rodericus vero animadvertens inimicorum audaciam, & multitudinem augeri, necnon regnum ad exitium labi; conſcripto exercitu, & convocatis Regni optimatibus, ſed non adunatis omnibus, contra hoſtes caſtra movit; inventiſque iis ad fluvium *Guadalete*, rebuſque omnibus ad certamen paratis prope Xeritium die Dominico pridie Nonas Septembris claſſicum ſonari juſſit. Per octo dies incerto Marte utrinque prælialum eſt, licet Gothi, & longa pace, & duorum annorum fame fracti priſtinum robur amittent. Prælio interfuit Rodericus ſuæ fortunæ ipſe teſtis, corona aurea, regali purpura, calceis gemmis, auroque ornatis, curruque eburneo inſignis. Gothorum enim ſolemne erat Reges adeſſe conflictibus, ut milites pro Rege ſuo tuendo fortius dimicarent. Ubi ad octavum diem venerunt, Gothis longo labore deficientibus, Rodericus ut rerum aleam tandem jaceret, equo ſuo Orelia vectus, ac ſuos ad Gothicæ gentis gloriam aſſervandam cohortatus multa ſtrage Saracenos effudit. Sed Gothi eorum impetum ſuſtinere non potuerunt, quod in tanta multitudine integri, & validi feſſis ſemper ſuccederent, & quod Witizæ Regis filii, quibus Rodericus exercitus cornua commendaverat, victoriam hoſtibus ſpe Regni ſibi facta proderent. In hoc certamine omnis Gothorum nobilitas periit, tota Hiſpania præter Aſtures, & Cantabros, in Saracenorum dominium venit. Gothi per tercentos quinquaginta circiter annos Hiſpaniam obtinuerunt, ac per centum viginti & octo ferme Luſitaniã, cujus excidium cadit in annum ſeptingenteſimum decimum quartum.

De Roderico Rege quid actum ſit, dubium eſt; alii occiſum in acie affirmant, equum ipſius, & inſignia regia in volutabro inventa produnt, corpus vero nuſquam apparuiſſe: alii negant; & ſcribunt Rodericum ultimam ſortem expertum Emeritam confugiſſe, ibique ad Caulianenſe Monaſteri-

Digitized by Google

um dies aliquot commoratum ſacra exomologeſi peccata ſua expiaſſe in lacrymis, & pœnitentia, indeque Romano ejuſdem Monaſterii Presbytero Comite, ne in Saracenorum manus incideret, ſecum Beatiſſimæ Virginis imaginem, quam Cyriacus Monachus ex Græcia aſportaverat, adducens Luſitaniæ partem, quæ Portugalia nunc dicitur, petiiſſe. Accedentemque ad oppidum, quod vulgus *Pederneyra* appellat, ſpeluncam in monte non longe ab Oceano inveniſſe, ubi ſacram imaginem collocavit, per annumque cum Romano nulli hominum cognitus dies tranſegit; donec Viſeum ſe contulit, ubi in Sacello D. Michaelis vitam finivit, & ejus corpus humatum eſt. Hujus rei ſcriptores non alio nituntur monumento, quam D. Fuæ Roupinho, qui in charta donationis facta anno 1182. Eccleſiæ Beatiſſimæ Virginis de Nazareth, quam fundaverat, hiſtoriam hancce deſcripſit, quam ipſe fatetur ſe in ſcriptura reperiſſe, quæ in illius ſpeluncæ altari demolito invenerat. Poſt ducentos ferme annos in Luſitaniæ templo quodam apud Viſeum civitatem hac inſcriptione lapis eſt repertus.

HIC JACET RODERICUS, ULTIMUS REX GOTHORUM. MALEDICITUR FUROR IMPIUS JULIANI, QUIA PERTINAX, ET INDIGNATIO, QUIA DURA VESANUS FURIA, ANIMOSUS FURORE, OBLITUS FIDELITATIS, IMMEMOR RELIGIONIS, CONTEMPTOR DIVINITATIS, CRUDELIS IN SE, HOMICIDA IN DOMINUM, HOSTIS IN DOMESTICOS, VASTATOR IN PATRIAM, REUS IN OMNES, MEMORIA EJUS IN OMNI ORE AMARESCET, ET NOMEN EJUS IN ÆTERNUM PUTRESCET.

Dum Hiſpania tot miſeriarum ulceribus laceratur, nec ullum calamitatis genus deerat, Saraceni ſingulis regionibus Præpoſitos impoſuerunt, qui a pauperibus vinitoribus, & agricolis Chriſtianis, quos ſub tributo permiſerant remanere, cenſus colligerent, & tributa. Chriſtiani ii, qui inter Ara-

Digitized by Google

bes degebant, Mozarabes dicebantur, ideſt Arabibus mixti: unde officium Eccleſiaſticum quo illi a S. Iſidoro, aut Leandro inſtituto utebantur, & omnis Hiſpania uſa eſt, Mozarabe nuncupatur. Poterant in Hiſpania Arabum Reges, quod Duces. Gentis Gothicæ fortitudo erat contrita, nec alicubi reſiſtebat, paucis exceptis, qui in Aſturiarum montes ſe contulerunt, quos Dominus reſervaſſe videtur ne Sanctorum lumen coram Domino in Hiſpaniis extingueretur. Ab Urbano Toletano Epiſcopo, a Frodoario Accitano, ab Euanio Archipresbytero Toletano doctrina, & exemplis Chriſtiani in tuenda fide, ac perferendis adverſitatibus confirmati ſunt. Joannes Hiſpalenſis Antiſtes Arabicam linguam maxime callens poſterorū ad formationem ſacras ſcripturas Arabice tranſtulit. Inter tot Hiſpanienſium anguſtias populo ſuo miſereri non oblitus eſt Deus, Pelagio Fafilæ Cantabriæ Duci ſubiit in mentem, ut e Cantabris, ubi latebat, Aſturias iret, atque vires ad opem patriæ ferendam intenderet. Erat ei ſoror facie decora, cujus amore perditus Munuza Chriſtianus quidem, ſed fœdere Saracenis conjunctus, & ab ipſis Gigionenſi territorio præpoſitus, cum alio modo ejus potiri non poſſet, Pelagium legationis ſpecie ad Muſam miſit, intereaque ſororem promiſſa conjugii fide maculavit. Pelagius ad propria rediens illatam injuriam indigne tulit, aſt interim diſſimulavit, atque ſecum ſororem ferens in Aſturiarum interiora properavit, omnem tamen vindicandi opprobrii occaſionem meditatus. Munuſa ereptam ſibi conjugem, ſeque abjectum ſentiens Pelagium veluti novis rebus intentum apud Saracenorum præfectum accuſavit. Hic Pelagii conatibus ſtatim occurendum ratus, Munuſæ exercitum ad opprimendum illum tradidit; Pelagius de militum inimicorum copiis certus Pioniam fluvium trajecit, & in Vallem Canicem pervenit, ubi Chriſtianos plurimos hoſtium terrore latentes reperit, quos facta ſpe divini auxilii, ad audendum aliquid pro patria adloquutus, lætos admodum ad quodvis pro recuperanda patria, fideque Chriſtiana vindicanda ſuſcipiendum periculum reddidit, adeoque ſibi devinxit, ut omnes commu-



Digitized by Google

ni ſuffragio eum Ducem deſignarent, Regemque renuntiarent; ad quem quotidie ex Gallæciæ littoribus, ac Luſitania tamquam ad aſylum a Deo erectum confugiebant. Miſſæ præterea occultæ legationes urbes, quæ Arabum jugo erant mancipatæ, ſolicitatum, obteſtatumque ne communi patriæ, & religionis cauſæ deeſſent.

Hoc anno 717. Ulit Miramolinus Muſam., & Tarif barbarorum Duces vocavit rerum in Hiſpaniis geſtarum rationem reddituros. Muſa filium ſuum Abdelaſim Hiſpaniæ præfecit, qui Cordubæ ſedem fixit. Tarif, cognito quod Pelagius a Chriſtianis Rex eſſet ſalutatus, Alchaman virum rei bellicæ gnarum cum multo milite illum adverſus deſtinavit, cui Oppam olim Hiſpalenſem Antiſtitem addidit, vel lenociniis, vel promiſſis, vel etiam minis Pelagium ab inſtituto averſurum. Quorum adventus cum nuntiatus eſſet Pelagio, cum omnibus ſuis in Auſivam montem profectus, mille ſecum ſelectiores in ſpeluncam quandam magnam duxit, reliquos bello minus idoneos in præcipitiis montium rei eventum expectantes reliquit. Statim Oppas ad Pelagium pergens dolere ſe ex animo illius ſortem dicebat, qui cum tam exiguo, ac imbelli exercitu ſe obviam ire tantis copiis vana ſpe crederet. Gothicæ gentis vires, & bellicam gloriam Arabum poteſtate fractam, atque ad nihilum eſſe redactã, quid ſe facturum confideret, cujus potentia nulla erat: ne ſe, ac miſeram gentem in unius horæ diſcrimen victorum manibus inglorius traderet, ſed rebus ſuis cautus proſpiceret, triumphantis potius clementiam adepturus, quam fortunam ſubiturus, quam iratus hoſtis pollicebatur.

Ad quæ Pelagius intrepidus ita reſpondit: ſatis eum verborum Chriſtiano nomini dediſſe, deſineret jam fictis exhortationibus miſeros ludificari, atque ad non tuendam fidem avertere. Se exiguo ſuo agmini non confidere, ſed Deo credentem, in ipſumque ſperantem tam numeroſis inimicorum copiis reſtiturum: hoc numine fultum non hoſtium minas, non tela, non arma quæcumque timere. Quod animadvertens Oppas regreſſus ad barbarorum Duces ait verba nihil

Digitized by Google

profuiſſe, ſolam in armis ſpem eſſe. Continuo ii ſpeluncam, in qua cum ſuis latitabat Pelagius opem divinam ex animo implorans, omni tormentorum, ac telorum genere oppugnarunt, ſed Dei ſingulari providentia tela repente in ſuorum perniciem vertebantur, nullo Chriſtianorum incomodo. Fertur propriis telis circiter viginti Maurorum millia cecidiſſe. Id tam ingentes vires Chriſtianis addidit, ut ſpecu egreſſi, magnam in reliquos cædem fecerint, Alchaman Ducem occiderint, Oppam captum tenuerint, de quo quid ageretur, memoriæ non eſt proditum; eum tamen militari more ultimum ſubiiſſe ſupplicium ſcelerum magnitudo indicat. Hunc tam inſignem triumphum Deo Auſpice, & Auctore, conſequuti ſunt Chriſtiani anno Domini 718. Munuza fugæ ſe comiſit, ſed ab Aſturibus in vico Olalies dicto captus, & interfectus eſt. Alahor, quem Zuleima Ulit frater, & in ejus mortui locum ſucceſſor imperii, Hiſpaniæ pro Muza præfecerat, audita ſuorum ſtrage a Pelagio facta, ſuſpicatus Witiſæ filiorum, & Juliani Comitis fuiſſe inſidias, bonis omnibus, & vita illos multavit.

Pelagius Rex, confluentibus undique ad ipſum victoriæ nuntio Chriſtianis, fortior factus, Legionem Mauris ademit, & fortiter contra Saracenos audendo, quaſi ſignum aliquod ad bene de republica Chriſtiana ſperandum attolleret. Idem dimiſſis Gothorum Regum inſignibus, pro ſtemate cepit leonem rubrum in campo albo, quo adhuc Legionenſes Reges utuntur. Multis rebus præclare geſtis, multiſque captis Barbarorum oppidis anno 735. mortuus eſt, & ſepultus apud Canicas in Eccleſia S. Eulaliæ. Toletum patriam habuit, ſed apud Norbam Cæſaream in Luſitania primis infantiæ rudimentis eruditus. Primus, qui in Hiſpaniis *Domni* titulum, quo optimates viri utuntur, introduxit. Pelagio ſucceſſit Favila ejus filius ex Gaudioſa Cantabra, qui cum inconſultius venationi operam daret, ab urſo laceratus eſt. In Favilæ locum ſuffectus eſt Alphonſus cognomento Catholicus filius Petri Cantabriæ Ducis ex genere Reccaredi Catholici Regis, & Pelagii gener, filiam enim ejus Ormiſendam

Digitized by Google

matrimonio ſuſceperat, & ex ea tres filios genuit Froilam, Vimaranum, & Aurelium, ac filiam Odoſindam, præter quos habuit Mauregatum ex ancilla. Non tam Religionem Chriſtianam obſervavit, quam feliciſſime ampliavit, in Gallæcia Lucenſem civitatem, Tuden, Bracaram, & Portugale, in Luſitania Salmanticam, Abulam, Pacem Juliam, Viſeum, Numantiam, & Segoviam Chriſtianis reſtituit, in multiſque locis Epiſcopos inſtituit: poſt novendecim regni optimi annos obiit, ſuumque in ſolio ſucceſſorem poſt ſe reliquit filium Froilam natu maiorem. Raſis Maurus ſcripſit Alphonſi Catholici tempore toto biennio in Hiſpaniis non pluiſſe indeque omnes earum provincias nimia rei frumentariæ, & aliarum rerum inopia laboraſſe. Hiſtorici pene omnes ferunt in Alphonſi Regis tranſitu pſalentium voces in aere eſſe auditas: *ecce quomodo tollitur juſtus, & nemo conſiderat, ablatus eſt a facie iniquitatis, & erit in pace memoria ejus.*

Froila poſt patris ſui obitum rempublicam gubernandam ſuſcepit in ſævitiam propenſior, quam ad humanitatem; tamen conjugalem licentiam, qua Hiſpanienſes Sacerdotes a Witiſæ temporibus uſi erant, omnino prohibuit, eoſque caſtitatem, & continentiam, quam Canones ſacri præcipiunt, ſervare coegit. Cum Omar filio Abderamis Cordubæ Duce Luſitaniæ fines invadente in Gallæcia collatis ſignis, victor extitit, hoſtium quinquaginta quatuor millia proſtravit, Ducem cum aliis, qui ſupererant, in fugam abire compulit. Victoria iſta decorus Froila totam Luſitaniam peragravit, Cetobrigam veniens Arabi Duci ivit obviam, quem in fugam convertit. Nec minus ei ceſſit cetera Hiſpaniarum portio, quam Luſitania. Ingens gloria, niſi tantum decus obſcuraſſet admiſſo ſcelere in Vimaranum fratrem, quem, quod omnibus ob eximiam corporis dignitatem, morumque candorem eſſet gratus, veritus ne populi favore regnum uſurparet, ſuis ipſe manibus impie jugulavit. Vimaranum iſtum ferunt ſuum indidiſſe nomen oppido in Portugalia de *Guimaraës*, litera tantum *V* mutata in G. Interea Froila uxorem accepit Moninam filiam Eudis Aquitaniæ Ducis, ex qua duos fi-

Digitized by Google

lios habuit D. Alphonſum Caſtum, ac D. Ximenam.

Abderames injuriam a Froila Mauris illatam ulturus, Hiſpaniam cum magno exercitu trajecit, primum fugato, deinde occiſo Juſef Mauro regnatore, ac Duce veterano, Luſitaniam occupavit, Pacem Juliam, Eboram, Olyſiponem, Scalabim, & omnem terræ flexum, qui intra Tagum, & Promontorium ſacrum excurrit. Hinc fertur Promontorium illud S. Vincentii appellari cœpiſſe, quod Chriſtiani Valentia a Saracenis expulſi S. Martyris corpus illuc per mare traduxerint. Abderamis victoria, & Froilæ ſcelus adverſus Vimaranum fratrem comiſſum Hiſpanienſium odium in ſe concitavit; ipſe vero invidiam ex eo facto ſuccenſam reſtincturus Veremundum occiſi fratris filium Regni ſucceſſorem adoptavit, ſed fructu nullo. Cum Deo pariter & hominibus eſſet inviſus, & in alia ex aliis mala incideret, ſuorum, an Aurelii conjuratione poſt undecim Regni annos Canicis occiſus eſt, & in Ovetenſi Eccleſia, quam fundaverat, ſepultus eſt. Aurelius Froilæ Regis interfector, & Vimarani fratris vindex, Alphonſo Froilæ filio propter ætatem imbecillem prætermiſſo gentis Hiſpanienſis conſenſu ſex annis, & totidem menſibus regnum obtinuit. Adverſus Saracenos nullum habuiſſe prælium legitur; tandem rebus humanis ſublatus apud Canicas humatus eſt.

Silo nomine Odoſindæ uxoris ſuæ, & Alfonſi Catholici filiæ Legionis, & Aſturiarum Regnum accepit: Regni initio cum Saracenis fœdus iniit oppreſſurus, qui res novas moliebantur, & ejus dominatum detrectabant: poſtea tamen adverſus Mauros arma movit, & Luſitaniam ingreſſus, iis Emeritam ademit, unde S. Eulaliæ corpus ad Ovetum tranſtulit. Cum neque ei nati eſſent, neque ſuſcipiendi ſpes, Alphonſum Froilæ filium regni conſortem fecit, Odoſinda Regina ipſius amita hortante. Novem annis regnaſſe ex Alcobacienſi codice, & alio chronico perantiquo, atque etiam ex Hiſtoria Compoſtellana ſcripſit Vaſæus: & Oveti ad D. Joannis Euangeliſtæ, quam condiderat, Eccleſiam ſepultus eſt.

Digitized by Google

E vivis ablato Silone, communi omnium ſuffragio Alphonſus Caſtus regium ſolium aſcendit. Sed Mauregatus Alphonſi Catholici filius ex ancilla, & illius patruus Saracenorum ope, illum e throno ejecit, atque in Cantabriam fugere ad ſuos coegit. Maurorum auxilia turpiſſimo pretio, & ignominioſo Chriſtianis fœdere impetravit, annuo ſcilicet tributo quinquaginta Virginum natalibus illuſtrium, & totidem ex plebe, quæ ſingulis annis ex Aſturiis, Gallæcia, & Luſitania mittebantur Cordubam, & eorum nefandiſſimæ libidini ex pacto præſentabantur. Unde Deo, & hominibus propterea maxime odioſus, expletis in regno quinque annis, in quorum computatione anni Alphonſi Caſti etiam numerantur, apud Praviam urbem ſepultus eſt. Mauregato in regno ſucceſſit Veremundus cognomento Diaconus, quod in minori ætate in eum ordinem aſſumeretur. Mariana viros maiori antiquitatis Hiſpanicæ eruditione ſequutus, chroniconque Alphonſi Magni nomine compoſitum, Veremundum non Vimarani Froilæ fratris filium, ſed Froilæ Alphonſi Catholici fratris opinatur. Modeſtus quidem erat ingenio, ſed otium plus diligebat, quam ferebat regni conditio: maxima tamen dignus laude, quod Alphonſum Froilæ patruelis filium a Mauregato ſpoliatum armis, in Cantabriamque pulſum ad regni conſortium advocaverit, & virgines, quas Mauregatus ipſe pacto Saracenis promiſerat, iis repreſentare ignominioſum eſſe Chriſtianis judicaverit: magnum exercitum hac de cauſa bello Chriſtianorum agros populantem Aſtures uſque prægrandi provincialium damno Alphonſus obviam factus ad Ledos oppidum debellavit. Regnavit annos tres, & menſes ſex, ei nati fuere Ranimirus, & Garcias ex uxore Uſenda, ſeu Imilone, quam per nefas matrimonio ſuſceperat, ſed maturiori conſilio per totam vitam ab ipſa abſtinuit.

Veremundo mortuo, & Oveti ſepulto, ſolus Alphonſus regni potitus eſt. Vir omnibus virtutibus Rege dignis exornatus, qui a perpetua vitæ caſtitate cognomentum iſtud meruit; fama enim refert a Bertæ conjugis conſortio purioris vitæ deſiderio eſſe ſeparatum. Jacobus Meyerus de rebus

Digitized by Google

Flandricis, & Platina in vita Leonis Papæ III. necnon Ado Vienenſis ad an. 799. quos ſequutus eſt de la-Clede ab Alphonſo Rege ope Caroli Magni Olyſiponem a barbaris fuiſſe receptam ſcribunt, Alphonſumque victoriæ inſignia, multas loricas, multoſque captivos Mauros Carolo Magno per legatos miſiſſe; ſed Vaſæus in Hiſpaniæ chronico ait Olyſiponis ab Alphonſo Caſto receptæ nullam in annalibus Hiſpanorum, quos viderat, mentionem extare. In Luſitania vero plures recuperaſſe civitates eſt certum ex omnibus quod maxime; Viſeum, Lamecum, Colimbriam, Portugale, Bracaram, & omnia quæ in circuitu erant, a Mauris victor ſuæ poteſtati ſubjugavit. Mahometes quidam Emeritenſis Abderamenen Haliatæ filium fugiens in fidem Alphonſi receptus eſt, aſt poſt biennium rediit ad ingenium, fidem violavit, & non multo poſtea perfidiæ pœnas capite dedit. Id temporis Omar Emeritæ Præfectus Chriſtianos vexabat, Beneventum obſederat, ſed Alphonſi adventu ſolvere coactus eſt, quem Bernardus Carpienſis nepos Regis Alphonſi ex Ximena ſorore, & Sanctii Comitis de Saldanha, ex quo ſtirpem ſuam ducit celeberrima in Portugalia Saldaniorum familia, propria manu truncavit. Bernardus iſte cum multis, magniſque obſequiis Alphonſum ſibi obſtrinxiſſet, & illum in dubiis certaminibus ab Abhaca Luſitaniam impetente oppreſſum liberaſſet, enixe rogavit eum, ut Sanctium ſuum Patrem quem in arce Lunæ vinctum concluſerat, vinculis ſolveret: quod cum conſtans Rex ei negaret, ſe ab illius fide alienavit, & cum aliis optimatibus junctis in Saldaniam ſuæ ditionis diſceſſit, unde crebris excurſionibus Regis ditiones magnis damnis affecit.

Alphonſus plurimis a Mauris partis victoriis in Gallæcia, Aſturiis, & Luſitania animam jam agens Regem acclamari fecit Ranimirum Veremundi Regis Diaconi filium, licet regnum ſucceſſionis jure ad Bernardum Carpienſem nepotem ſuum ex Ximena ſorore rediret. Oveti, ubi regiam ſedem collocaverat, ad Beatiſſimæ Virginis templum, quod extruxerat, ſepultus eſt, poſtquam regnaverat annis uno, &

Digitized by Google

quadraginta. In illius temporibus ſepulcrum Sancti Jacobi in Gallæcia revelatum eſt. Quidam viri Theodomiro Irienſi Epiſcopo retulerunt luminaria in ſilva, quæ ſuper Beati Apoſtoli tumba excreverat, noctu ardentia ſæpe ſæpius aſpexiſſe, ibique Angelos ſibi frequentius apparuiſſe. Id audiens Præſul ad memoratum locum acceſſit, & ardentia luminaria ipſemet procul vidit; divinitus inſpiratus nemus adiit, & accurate circunſpiciens, domunculam quandam marmoream tumbam intra ſe habentem invenit; quapropter Deo grates impendens Regi Alphonſo, quid audierat, & quid oculis viderat, nuntiavit. Rex auditæ rei gaudio diffuſus, dicto calle illuc abiit, & in honorem tanti Apoſtoli Eccleſiam reſtaurans Epiſcopalem Irienſis Sedis cathedram in Compoſtellam Epiſcoporum, optimatum, atque regio ſuo conſenſu commutavit.

Ranimirus Alphonſi Caſti ſucceſſor non bellica gloria, quam pacis maior in Vardulis erat, quo tempore Alphonſus defunctus eſt. Locorum diſtantia, Principiſque mutatione allectus Nepotianus Comes regnum in Aſturiis invaſit, auctoritate, & copiis potens. Re audita, Ranimirus cum exercitu, cujus magna pars erat Luſitanorum, Gallæciam perrexit Nepotianum impetiturus; ad Narceiæ flumen utrinque dimicatum eſt, ſed a Ranimiro ſtetit victoria, qui Nepotianum in fuga a Comitibus Somna, & Scipione comprehenſum ad Præmarienſem tractum oculis orbari juſſit, & in Monaſterium compelli, ubi ei idem fuit vitæ, ac ærumnarum terminus. Poſt hoſce inteſtinos regni motus Abderamanus nomine ſecundus, qui Saracenorum in Hiſpaniis imperium obtinebat, ad Ranimirum legatos miſit centum petitum virgines, quas ex fœdere olim cum Rege Mauregato inito, tributi nomine referebat Hiſpania, & niſi petitis pareret, novum bellum fieret. Legati ſtatim expulſi ſunt: & gentium jus valuit, ne violarentur. Omnes, quorum ætas apta erat, armis cingebantur, Maurorum agros cœperunt vaſtare. Sed hoſtes cum numeroſiſſimo exercitu obviam euntes dubio certamine cum Ranimiro confluxerunt; donec pugnam nox di-

Digitized by Google

diremit. Christiani noctis causa, & auxilio ultimo discrimini erepti Clavigium se contulerunt, ubi de rei eventu soliciti noctem totam cum lacrymis, & precibus ad Deum effusis transegerunt. Mox Regi dormienti D. Jacobus in somniis apparuit, & de exitu pugnæ jussit esse securum, triumphum Christianorum proculdubio fore, se Jacobum esse, sub cujus tutela erat Hispania; animis salutari confessione expiatis, & Sacro Corporis Dominici Sacramento refectis ad prælium postero die accederent. Rex Episcopis, & regni optimatibus somnium narravit, qui læti audierunt, atque Apostoli jussa diligenter exequuti sunt. Alacres ad bellum comparati Dei, ac S. Jacobi auxilium implorantes Saracenos adeo prostraverunt, ut supra sexaginta eorum millia in conflictu ceciderint. D. Jacobus inter certandum equo candido, albo vexillo, & in eo cruce purpurea visus est. Hinc Hispanorum fuit consuetudo, cum ad certamen præsertim cum Mauris procederent, Dei, ac Jacobi tutelam precari; hinc etiam celeberrima S. Jacobi in Hispaniis voti institutio cõmuni Regis, Episcoporum, magnatum, ac plebis consensu perpetuo, ut pro singulis boum jugis, certa tritici mensura, & singulis vini modiis altera vini singulis annis S. Jacobo solveretur.

Abderameni exercitu profligato, nova ex septentrione Normannorum classis Gallæciam appulit, exercitum ad littus exposuit, qui cum Gallæcos affligeret, Ranimirus obviam factus cum copiis, multa clade eos vexavit, septuagintaque naves incendit. Qui cladi superfuerunt, Nerio promontorio superato, Olysiponem, quæ ad Maurorum potestatem redierat, petierunt, & omni belli incomodis depressserunt. Ex Olysipone Hispalim accesserunt, ubi multis Maurorum millibus cæsis, spoliis divites Hispaniam reliquerunt. Dum Normanni Maurorum vires Olysipone, & Hispali impetebant, Ranimirus ceteram Lusitaniæ partem a Mauris captam vincendam suscepit; Portugale ademit Cid Atauso, Eminium Mulejo Assem, Lamecum Zeulemæ Iben Mucæ, Viseum Tariso Iben Rases, Colimbriam Alhamaro, qui omnes earum civitatum, ac territorii Reges apellabantur, & sub Ranimiri



Digitized by Google

clientela permanſerunt, ut ex quadam donatione infra cap. de Monachis conſtabit. Qui cum ſeptem annis Hiſpaniæ regno præeſſet, victoriis plenus Oveti obiit, atque in Beatiſſimæ Virginis Mariæ templo cum uxore Paterna ſepultus eſt.

Ranimiro patri ſucceſſit ejus filius Ordonius ex Urraca uxore religioſiſſima. Hic Vaſcones rebelles ad obſequium ſubactos redegit, & Saracenos magna vi limites ſuos infeſtantes expulit, civitates Tuden, Aſturicam, Legionem, Amaiam populis frequentes reddidit. Emeritam in Luſitania mœnibus nudatam, quod á dominatu regis Mauri rebellaſſet, habitatoribus quoque replevit. Muſa Gothus, profeſſione Mahometanus adverſus Abderamenen Cordubæ Regem inſurrexit, Cæſar Auguſtam, Oſcan, Toletum que occupavit, quarum civitatum populatione non contentus, in Catalauniam arma movit; & hoc eventu elatus Hiſpaniarum regem ſalutari ſe juſſit. Mox Albaidam urbem Ordonii regis expugnavit, ac propugnaculis egregie munivit. Quod audiens Ordonius ad recuperandam urbem, & expellendos Barbaros accedens, urbem obſidione cinxit; cum que auxilium obſeſſis ferret Muſa, Ordonius agmine bipartito, partem ad continuandam obſidionem reliquit, partem contra Muſam duxit; quo cum collatis ſignis cruentum prælium iniit, & ex Saracenis duodecim equitum millia perierunt, Muſa tribus vulneribus graviter ſaucius fugiens mortem evaſit. Inde Ordonius Cauriam, Salmanticam, & alia Luſitaniæ oppida expugnavit, & id temporis ſub eodem Rege Chriſtiani Sanctarenam, victis Mauris, in ditionem ſuam duxerunt. Ordonius Oveti podraga obiit, & magnum ſui deſiderium populis poſt ſe reliquit Princeps optimus: nec non ex uxore Munia Alphonſum natu maiorem, Veremundum, Nunium, Odoarium, & Froilam.

Anno Domini 866. Ordonii Patris regnum ſuſcepit Alphonſus, qui ob præclaras animi dotes, & corporis ac res in pace, ac bello geſtas Magnus appellari meruit, morienti patri non adfuit, ſed ejus nuntiata morte Ovetum regiam urbem acceſſit ſolium hæreditatis jure aſcenſurus. Plurimum

Digitized by Google

gratiæ consequutus est, quod opes virtute sua partas, & thesauros a patre relictos, non ad privatum commodum, sed ad levandam egenorum necessitatem distribueret. Froila Veremundi filius Gallæciæ Comes divitiis, & clientelis potens, regii pueri contemptu Gallæciæ regnum impetivit. Rex sine viribus æmulo cessit & in Cantabriam discessit: ast tyrannus cum regiam potestatem per vim susceptam ad populorum salutem minime referret, sed publicas res, & privatas comprimeret, Oveti cives in ejus vitam conjurarunt, peremeruntque. Mox Asturias profectus Alphonsus Regnum composuit, & de sontibus supplicium sumpsit. Postea Imundarum, & Alchamam Duces Legionem obsidentes ingenti suorum exercituum clade abire in patriam coegit. Causa Christiani nominis proferendi fines, necnon barbarorum ulciscendæ perfidiæ cum Vasconibus, & Francis fœdus iniit, quod ut magis esset firmum ex Regio Francorum sanguine uxorem duxit Amelinam, ex qua Garsiam, Ordonium, Froilam que genuit deinceps Reges, & Gundisalvum Ovetensis Ecclesiæ Archidiaconum. Toletanos, qui studio se Regibus Cordubensibus probandi in Christianorum limites irruperant, ad Durium usque devicit, Maurorum exercitum cum Almundaro Cordubæ Regis filio, & cum Ibengunino præcipuo copiarum Duce, audita suorum strage, retro abire compulit.

Trium annorum spatio cum Abulahito inducias habuit, quo tempore tranquilitas fuit, eo que transacto, copias collegit Alphonsus, & Mauros invasit. Tago transmisso Emeritam usque in Lusitania Saracenorum loca vastavit, & nemine obviam ei facto, se se spoliis onustus in patriam contulit; ubi S. Jacobi Ecclesiæ dedicandæ incubuit, & Ovetensi celebrando Concilio Oventensem Episcopum in Metropolitam evecturus. Ejus Regno Lusitaniæ Christiani Religionem Christianam libere, & absque Saracenorum jugo coluerunt. Portugale, Bracaram, Viseum, Lamecum, Britoniam, & Aquas Flavias, quas instauraverat, & a multo tempore vacuæ incolis erant, habitatoribus frequentes fecit: Colimbriam, Septimancas, universos que Gothorum campos

Digitized by Google

in Vaccæis Mauris eripuit. Romanus Pontifex Joannes 9. cum id temporis cum paganis bella committeret, & valde ab ipsis opprimi fateretur, ad Alphonsum litteras misit petitum, ut ad ipsum optimos Mauriscos, quos Hispani *Cavallos Alpharaches* vocant, cum armis mitteret. Cum annis quadraginta & octo Regnum obtinuisset omnium subditorum votis desideratissimus Rex, cui nihil maiori curæ erat quam suorum populorum gloria, tranquilitatis studio Regnum abdicavit, & Garsiæ filio suo de manu tradidit, Ordonio alteri filio Gallæciæ Principatum, & Lusitaniam attribuit; inde cum Compostellam religionis causa invisisset, Zamoram veniens ibidem obiit. Asturicæ primum cum uxore Ximena, seu alio nomine Amelina sepultus est, postea tamen Ovetum cum conjuge quoque translatus est.

Licet hujusmodi Reges Lusitaniæ, utrisque Hispaniarum provinciis, quas Mauris adimebant, imperarent; in iis Comites erant, qui civitates, populos que Christianos, etiam sub Maurorum ditione degentes regerent. Quorum plurimi in veteribus monumentis inscripti inveniuntur. Ii Regibus suis parebant. Hermenegildus id temporis Magni Alphonsi fuit Portugaliæ, & Tudæ Comes, Pelagius Bragantiæ, Alvarus Egitaniæ, Theudus Colimbriæ, Arias Minii Comes. Ovetense concilium legat qui velit eorum subscriptiones cognoscere. Prætermittendum quoque non est id temporis Regum filios, quos ætate ista Principes, aut Infantes appellamus, Reges etiam nominari, Regis que titulo publicis scripturis subscribere consueviſſe, ut infra ex Ranimiri donatione Joanni Abbati Laurbanensi facta palam erit.

## CAPUT V.

### *De Lusitanis, qui in Maurorum persecutione martyrium passi sunt.*

QUo tempore Barbari Hispanias occuparunt, oppressoruntque, victores patriæ religionis libertatem nostris concessere. Sacerdotes, Monachi, Sacræ que Virgines insi-

Digitized by Google

gni habitu a reliquis discernebantur, atque juxta ritum suum detonsi in publico apparebant, quin accusarentur, non tantum in Lusitania, sed quod magis erat, Cordubam eadem consuetudine adibant, quo propter civitatis amplitudinem, & quia in ea Mauri regiam sedem collocarant, numerosa Christianorum multitudo fluere consueverat. Hispanis sua erant templa per Lusitaniam, Bæticam, Gallæciam, & alias provincias, modo Mahometem impium illius Barbaræ gentis auctorem, maledictis publice, aut privatim non incesserent, quod capitale erat, eorum templa non intrarent, graviora vectigalia solverent. Sed veteris odii semina ad maturitatem fuere perducta; & nostri depellendi illud jugum consilia communicabant. Mauri ad Christianorum nomina cœperunt exhorrere, se que vel ipso indumentorum contactu maculari, ac pollui persuadebant: piorum ritus observabant, ora, vestes que notabant, contumeliis rixæ initium provocabant. His multis injuriis Christiani lacessiti legem, ac statuta Saracenorum palam execrabant. Id in causa, cur impii Reges, & Magistratus Christianorum gentes insectarentur, eo que gravius, quod non pauci Hispani Maurorum partium fierent, & suos audaciæ incusarent, negarentque publice eos, qui e nostris in certamine occubuissent, Martyrum honore dignos esse: quod nulla perpetrarent miracula, quod nulla tuendæ fidei necessitate, sed obstinati voluntate, & audacter periculum illud subirent; opprobria que in adversarios imprudenter jactarent, cum religionem patriam retinere iis esset concessum. Recafredus Episcopus, & Servandus Comes Martyribus persequendis, & Christianis comprimendis præcipui fuerunt duces.

Viri piissimi nulla ætatis, aut sexus differentia in vincula conjecti sunt. Abderamenis jussu convenerunt Episcopi Hispanienses, Ariulpho excepto Emeritensi, qui interesse recusavit, & eorum, quos Recafredi, & Servandi artes sefellerant, sententia damnati fuere, qui fœdus cum Mauris olim factum discinderent. Spectaculum sane miserum erat. Quo se verterent? quid tenerent? multi animis conciderunt;

Digitized by Google

alii robore divino pleni in conflictu perſeverarunt. Multi, ex quo teterrima ſæviit perſecutio, carceribus prius mancipati, vitam, & ſanguinem tandem profuderunt. Inter quos fuit Sanctiſſimus Levita Seſnandus Luſitanus: ex oppido Pacenſi ortus Cordubam diſcendi ſtudio advectus eſt, ibique apud beatiſſimi Aciſcli baſilicam, qua corpus ejuſdem Martyris requieſcebat, digne enutritus, martyrium aggreſſus eſt. Qui dum in carcere religatus maneret, fertur, quod prophetico illuſtratus ſpiritu patibuli ſui horam præſcius nuntiaverit. Nam quodam die cum reſponſum cuidam amico ſe interroganti aptaret, ei que reciprocationis ſchedam ſcriberet, tribus, aut quatuor jam digeſtis verſiculis, ſubito nimia hilaritate perfuſus, cæleſti quodammodo gaudio vegetatus, e loco ſeſſionis ſuæ conſurgens, aſtanti puero ſchedulæ portitori, cui miles Chriſti reciprocari intendebat, ſemiſcriptam ut erat accommodans, multis audientibus ait: recede modo fili, ne impetu ſatellitum opprimaris, quoniam jam poteſtas tenebrarum vinculis me extrahere præcipiens nunc decollandum ſibimet exhibebit. Poſt hanc prophetiam immobili ſemper greſſu ipſo perſiſtente, eodem momento vociferantes lictores adveniunt, eumque præcipiti furore ad locum, quo martyrium erat conſummaturus, pugnis, alapiſque cædentes perducunt. Perrexit Dei famulus lætantibus animis de corona victoriæ certus, qui ad cæleſte convivium exhortantibus Sanctis fuerat invitatus. Sic namque judici præſentatus, eadem quâ prius conſtantia in ſancta confeſſione perdurans, delicatus ephebus glorioſa morte peremptus eſt, atque inhumatus præ foribus palatii derelictus eſt ſeptimo decimo Kalendas Auguſti feria quinta Era 889.

Eadem Era & eadem perſecutione carcere concluſus eſt Tiberinus Presbyter Luſitanus Pacenſis, ſed martyrium morte non conſumavit; cum S. Paulo viro Cordubenſi carcere detentus eſt: quem imploravit Tiberinus, ut cum coronatus Chriſto perveniret, ſolutionem ſuam coram Domino obtineret, & longævum carceris ſqualorem amoveret: erat enim Tiberinus pene viginti annos ergaſtulo clauſus, S.

Digitized by Google

Eulogius ipſe, qui in Sanctorum memoriali de ipſo Tiberino ſcripſit, ſe neſcire fatetur ob quod crimen accuſatus ab inimicis eſſet coram Rege. Tiberinus adhuc florentiſſima juventute præpollens, ac virili præditus venuſtate, ſubterraneæ ſpeluncæ deputatus, pene decrepitus, & ſenio confectus, inde eductus, publicis demum carceribus mancipatus eſt, ubi Martyres Chriſti ad horam uſque mortis degebant; in quibus parricidarum, homicidarum, latronum, & ſcortatorum improbi auſus, & execranda temeritas, ac diverſorum criminum rei ſub arctiſſima macerabantur cuſtodia. In his poſitus Tiberinus cauſam ſui carceris beato Paulo commiſit, cui Martyr de corona victoriæ confiſus, ſatisfacere optioni ejus promittens, non poſt multos dies martyrii ſui fidelis ſponſor eum carcere abſolutum Deo fautore propriæ urbi reſtituit.

Era 894. anno Domini 857. Helias Presbyter jam ſenex ex Provincia Luſitana, cum Paulo, & Iſidoro Monachis etiam Luſitanis adhuc juvenili ætate florentibus pro fidei Chriſtianæ profeſſione perempti ſunt 15. Kalendas Maii; quorum corpora patibulis elevata, poſt multos dies Bætico ſimu condita ſunt. Id temporis Servandum, & Germanum Martyres occubuiſſe Luſitanos tradiderunt quidam; ſed potius cum Martyrologio Romano ad diem 23. Octobris paſſos ſub Diocletiano Imperatore contendam, quorum acta Lucius Marineus ſic deſcripſit, & in hunc locum prætermiſi. Qui cum viri nobiles eſſent, dæmones expellebant, & per impoſitionem manuum multos languores curabant in Luſitania ad Emeritam urbem. Quod cum Præſes audiſſet, eos ad ſe vinctos catenis adduci juſſit, & in Mauritaniam Provinciam profecturus ſecum ducere decrevit. Illi autem labores iteneris, catenas, & famem gaudentes animi virtute tolerabant. Tandem cum ventum eſſet in locum, qui dicebatur Uſianus apud Gades, juſſit Præſes ut colla eorum carnifices amputarent. Ducti igitur ad collem flexis genibus orantes Deum, gladium ſacris cervicibus exceperunt, quorum Servandus Hiſpali cum Juſta, & Rufina, Germanus vero Emeritæ ſepultus eſt.

Digitized by Google

Anno circiter 814. obiit venerabilis Eugenius Abbas Laurbanienſis, qui Mauri cujuſdam perſecutione vexatus dies ſuos clauſit; Chriſtianus quidam Mauro æris erat debitor, & ut ſolveret, in diem certum promiſit prius debitam quantitatem adquiſiturus: Abbas Eugenius pro Chriſtiani fide ſtetit ſponſor: quod Mauro placuit. Die accedente, & tranſacto, nulla de Chriſtiano notitia erat Arabi, in Eugenium ſponſorem invectus eſt, & in poteſtatem ſuam redegit, cujus ſervitutis incommodis afflictus venerabilis ſenex Deo ſpiritum reddidit; & Laurbanienſi Monaſterio, quo fuerat translatum, ejus corpus ſepultum eſt.

## CAPUT VI.

### *De Viris Sapientia Illuſtrioribus Luſitaniæ.*

PRimus inter celeberrimos Luſitaniæ ſcriptores poſt ſæculum 7. ſeſe offert Laimundus Ortega ex Pace Julia ortus: plurimum debetur Fr. Bernardo de Brito, qui ex Alcobacienſi archivo illius labores in lucem protulit. Laimundum fuiſſe fertur a confeſſionibus Roderici ultimi Gothorum Regis, anno que 878. de Antiquitatibus Luſitaniæ ſcripſiſſe opus, quod incipit *Luſitaniæ initium* & finit *Luſitaniæ gentes ſub Mauris annis plurimis quieverunt.* Eruditus Ciſterſienſis Monachus teſtes adducit, ne ipſum Laimundi Hiſtoriæ ſarcinatorem fingentem credant; & teſtatur ipſe codicem illum Gothicis caracteribus inſcriptum in ſui Monaſterii Archivo inveniſſe. D. Niculaus Antonius in Bibliotheca veterum Hiſpaniarum Scriptorum Fr. Bernardi de Brito teſtimonio de codice a ſe invento non detrahit, imo credit, nec dubitat: verum non levia adfert argumenta, quibus illum contendit non ab Auctore Gothorum tempore florenti, ſed ævo poſteriore fuiſſe conſcriptum. Ipſe codicis finis *Luſitaniæ gentes ſub Mauris annis plurimis quieverunt*

*Prolog. 1. p. Mon. Luſit.*

Digitized by Google

*runt* nimis indicant ſcriptorem, qui Saracenorum dominatum in Hiſpaniis per plurimos annos, aut ob oculos habuit, aut audivit, & non alium Roderici in periculo ſocium.

Inter Luſitaniæ ſcriptores ſæculo nono Hausbertum patria Hiſpalenſem alii collocant Dumienſis Monaſterii prope Bracaram Monachum. Antonius Lupianus in Catalaunia natus, & pulſandis organis in patria ſua inſignis lectione Hiſpanæ hiſtoriæ leviter tinctus Hausberti chronicon eatenus a nemine viſum, aut auditum ſe reperiſſe gloriabatur, & e Bibliotheca S. Dionyſii Pariſienſis clam abſtuliſſe, in Hiſpaniam que aſportaſſe, in quo innumeras novitates, paradoxa plurima, concilia Hiſpaniarum non nominata, Sanctos plures veluti Hiſpanos, ſedes Epiſcopales numquam auditas, & alia id generis ſine numero monſtra in lucem edidit. Quis ſibi perſuaſum habeat ſæculo nono exeunte, aut medio Hauſbertum floruiſſe apud Dumienſe Monaſterium, quod id temporis Era 868, anno ſcilicet Chriſti 830, teſtante ſcriptura Alphonſi cap. 5. apud Sandovalium, a paganis omnino deſtructum erat cum Bracara, Parochiis, & aliis Monaſteriis, quæ Bracarenſi Diœceſi cohærebant? Porro id chronicon Gothicis characteribus ſcriptum noluit umquam Lupianus exhibere alicui emunctioris naſi, aut ſatis gnaro in legendis antiquis literarum formis; quamvis ſæpe quidam inſtarent, ac rogarent. Poſtquam deprehenſum fuit a viris eruditis, invenerunt ii intra codicem illum nihil aliud eſſe, quam chronicon Euſebii Cæſarienſis cum continuatione S. Hieronymi: eumque librum pro Hausberti chronico diu Lupianum venditaſſe. Et licet Gregorius Argais profeſſione Benedictinus chronicon iſtud magnis voluminibus illuſtrandum ſuſciperet, nec propterea maiori fide dignum fit; a Lupiano ſeductum Argaim per nimiam ſimplicitatem peccaſſe ſcripſit Cardinalis de Aguirre.



Digitized by Google

# CAPUT VII.

## *De Erroribus per Lusitaniam.*

MIraculi instar erat in tantis Hispaniarum tenebris, tanta que malorum sub Arabibus colluvie Christianam non offendi Religionem, non fœdari: Qui in gravissima populorum servitute literis locus? silebant Patrum consessus, quibus disciplinam Ecclesiasticam, & reipublicæ vulnera sanare, veteri consilio decretum fuerat. Proceres, & populus prosequisque, ut libitum erat, ita vitam suam informabant, atque de rebus divinis nullo prohibente pro voluntate, & pro arbitratu singuli sentiebant; quæ magna pernicies est. Ex barbaræ gentis consuetudine pravas sæpe opiniones in Christianos effluere propemodum opus erat. Nestorii error in Concilio Ephesino sopitus, quasi veteris incendii sintilla in Lusitania, Gallæcia, & Asturiis suscitatus est. Christum Dominum quasi purum hominem adoptivum Dei filium esse venenosa fauce susurrabat Elipandus Toletanus Præsul. Hic ex antiqua Gothorum gente prognatus auctoritate sua Pontificiæ plurimos seducebat, Toleto profectus Lusitaniam, Gallæcos, & Astures obivit, eorum quosdam Episcopos, & Sacerdotes literis, aut sermocinationibus ad se traxit; pravaque opinione infecit. Felicis Urgelitani Antistitis eadem sententia fretus maiores excepit vires; Felix enim maximum sanctitatis nomen apud Hispanos consequutus erat. Cum Adosindam Reginam Silonis Regis viduam in suam sententiam adferre intenderet Elipandus, & prudentissima, Christianaque semina emergentem quæstionem coram Sacerdotibus exponi curasset, Etherius Uxamensis Episcopus, & Beatus Presbyter Monachus, qui ex Bracarensi territorio ad Astures accesserat, ibique jam a tempore degebat, palam Elipandi errorem aggressi sunt.

Ægre tulit Elipandus suam sententiam hæreseos incusari; ad Fidelem Abbatem scripsit conquestus, quod cum

esset Archiepiscopus Toletanus, quem ceteri in Hispania consulere soliti erant, a Monacho Beato, & Etherio Episcopo hæresis nota afficeretur. Catholicam Beati, & Etherii doctrinam, quam hæresim dicebat ille, brevi a se extinguendam proclamabat. Fidelis Abbas de Elipandi literis eos fecit certiores, qui suam statim catholicam de recenti controversia sententiam Elipando exposuere, seque ab hæreseos nota, qua eos inficiebat Elipandus, liberarunt duobus libris Apologeticis, qui in Bibliotheca veterum Patrum a Petro Stevartio ex Bibliotheca Toletana in lucem deprompti sunt. Nec tantum Etherius, & Beatus in Hispaniis adversus Elipandum, & Felicem insurrexerunt, verum & ultra Hispanias in ipsos anathema prolatum est. Prima contra hæresim suscitatam facta est Synodus Forojulii Aquileiensis Provinciæ a Paulino Aquileiensi convocata anno Christi 791. Anno sequenti 792. Ratisbonæ Synodus altera eosdem anathemate confixit; indeque Adrianus I. Papa, ad quem ductus Felix ab Angilberto Abbate errorem suum ejuravit. Tertia convocata est Francofordii a Carolo Magno ex Episcopis Galliarum, & Germaniæ sui imperii anno Christi 794. Adfuere Adriani I. Legati Theophilactus, & Stephanus; lecta est ibi ejus Epistola ad Hispanienses Antistites: data est præterea Synodica Epistola ab Episcopis Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ, & Britanniæ ad eosdem Hispaniarum Præsules, quæ catholicum dogma confirmat, & hæreticorum argumenta diluit.

Has Synodicas literas una cum aliis Adriani, & libello sacrosilabo Episcoporum Italiæ Piissimus Imperator Carolus Magnus misit ad omnes Hispanienses Episcopos, addiditque Epistolá suam, quæ Fidei professionem continebat, & Elipandum, ejus que gregales ad errorem ejurandum hortabatur. In ea Religiosissimus Cæsar Romanorum Patricium, Filium, & Defensorem Sanctæ Dei Ecclesiæ se inscribit. Adriano I. e vivis sublato, Leo III. in Romanum solium evectus anno IV. sui Pontificatus, & Christi 799. Romæ ex quinquaginta, & septem considentibus Episcopis Synodum celebravit occasione libelli, quem adversus Alcuini literas, quibus ipsum

Digitized by Google

ad meliorem frugem admonebat, Felix ſcripſerat. Felicem itaque in hæreſim relapſum, ſive ipſam, quam fictus ejuraverat, contumacius propugnantem Romanum Concilium Leone III. Præſide anathemate perculit. Ado Vienenſis in chronico ait Felicem auctoritate Sanctorum Patrum convictum, & damnatum iterum cum errore ſuo, perpetuoque exilio apud Lugdunum eſſe relegatum, & in errore ſuo fuiſſe mortuum. Quid Elipando contigerit palam non eſt. Licet diu veritati reſiſteret, credendum potius Patrum ſententiæ obtemperaſſe, neque ex Hiſpania moviſſe pedem, neque ad Reginum, Romam, aut Francofurtum ſe contuliſſe, & in Eccleſiæ communione eſſe mortuum.

Nec ſola Felicis, ac Elipandi hæreſis Hiſpanias noſtras infecerat, verum & alii errores ex Chriſtianorum cum Mauris conſuetudine orti ſunt. Quidam propugnarunt, neque Sabbatis, neque Veneris diebus fore jejunandum: alii quod ſi plenilunium decima quarta ſcilicet lunæ die Sabbato contingeret, alia die dominica videlicet decima quinta die lunæ minime Paſcha celebrandum, ſed prætermiſſa eadem decima quinta die, in alia ſequentis ſeptimanæ dominica, quæ eſt vigeſima ſecunda lunæ dies. Contra Nicænam agebant Synodum, in qua firmatum erat, ut ſi luna decima quarta Sabbato contingeret, ſequenti die dominica luna decima quinta celebraretur. Errorem iſtum improbavit Adrianus I. in Epiſtola ad Elipandum, & Sacerdotes Bracarenſes, & Gallæcos alios, quam in lucem prodidit Gretſerus jam ſupra citatus. Ibidem alios quoque improbavit Adrianus, quod rudes, aut ineruditos vocarent eos, qui pecudum, aut ſuillum ſanguinem non ederent; & ſub anathematis vinculo illigatos ait in laqueos incidere diaboli, qui pecudum, aut ſuillum ſanguinem, vel ſuffocatum manducarent. Nec mirum quod in Hiſpaniarum Eccleſiis ſæculo octavo, Chriſtiani lege abſtinentiæ a ſanguine animantium, & ſuffocatis tenerentur; & totius conſolationis alienos judicaret Papa, qui uterentur. Cum aliæ etiam Eccleſiæ Græca, Gallicana, & Germanica idem ſanciverint, non quod eam

*Tom. 6. Ep. Pontificum.*

Digitized by Google

legem vigere putaverint, sed quod conveniens visum erat eam reciperare in Apostolorum reverentiam. Sicut abrogatis veteris legis ritibus, Christiani e Judæis conversi ipsos aliquandiu observarunt, licet ea non amplius adstringerentur; eamque statuerunt disciplinam, qua fidelibus & erga Apostolos venerationem, & temperantiam commendarent. In Galliis Concilium Aurelianense secundum anno 533. Can. 20. decrevit: *Catholici qui ad idolorum cultum, non custodita ad integrum baptismi gratia revertuntur; vel qui cibis idolorum cultibus immolatis, gustu illicitæ præsumptionis utuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi qui bestiarum morsibus extincta, vel quolibet morbo, aut casu suffocata vescuntur.* In Germania Concilium Wormatiense Can. 64. statuit: *Animalia, quæ a lupis, seu a canibus lacerantur, non sunt comedenda, nec cervus, nec capra si mortui inveniantur .... Aves vero, & alia animalia, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda.*

Circa animarum salutem in diversas etiam abiere sententias: alii nihil humano arbitrio tribuentes a solo Deo animarum salutem provenire: voluntatem veluti inanime quoddam instrumentum inclinari quocumque Deus vellet, opinabantur; & Manichæorum fatum, aut coactionem ad bonum aut malum inducebant. Alii vero penitus iis adversabantur, & Pelagium in medium proferebant libero arbitrio plurimum concedentes; preces, & orationes inutiles prædicabant, quia sine Dei auxilio, sed solius arbitrii viribus tentationes vinci posse propugnabant. Quamplures adeo a vera religione aberraverant, ut cum Judæis, & non baptisatis paganis, tam in esu, quam in potu communem vitam gererent, & cum iisdem connubia agerent. Presbyteri quidam continentiam nihili æstimantes eas sibi ducebant uxores, quas ipsi earum viris eripuerant. Quæ omnia Adrianus I. supra citata Epistola damnavit per Lusitaniam, Gallæciam, & ceteras Hispaniarum provincias.

Digitized by Google

# CAPUT VIII.
## *De Monachis.*

PRæter alia Monaſteria, quæ ſæculo ſeptimo fuere extructa, & ſub Maurorum poteſtate floruere ſanctitate, fertur Ancirardum ex Germania veniſſe in Luſitaniam, in Extrematura plura condidiſſe Monaſteria; & præſertim in ripa fluminis Tagi prope Scalabim ſancte degiſſe in alio, quod ibidem fundaverat; indeque reverſum in Italiam non procul a lacu Tugurino vulneribus a latronibus confectum quarto Februarii Martyrem occubuiſſe. Primus qui Ancirardi meminit Monachorum in Luſitania Parentis, fuit Julianus in ſuo chronico, quem poſtea Hieronymus Romanus Higuera ſequutus eſt. Bollandiſtæ de Sanctis prætermiſſis in Appendice 4. Februarii Ancirardum in Luſitaniam numquam profectum ſcribunt, & inter Pſeudo-Juliani fabulas memorant, & ad diem 21. Januarii tradunt Ancirardum eundem eſſe ac S. Meinradum Eremitam in Germania, qui paſſus eſt martyrium in Helvetia. Licet Mauris Hiſpaniis dominantibus, Chriſtiani ſuos ritus colerent, & Monachi adhuc inſtituta ſua obſervarent; non facile credendum ſæculo exeunte nono, quo Hiſpaniarum Miramolinus in Chriſtianos perſecutionem ſuſcitaverat, ex Germania virum adveniſſe, qui in Extrematura Luſitana Maurorum jugo mancipata, & ſæpe ab ipſis vexata tot cœnobia conderet, & plantaret.

Quid hic prætermittam Monachorum Laurbanienſium cœtum apud Montem maiorem prope Colimbriam ſub Joanne Laurbanienſis Monaſterii Abbate Ranimiri I. Legionis Regis patruo degentem? Quot grates iis piiſſimis viris pro Chriſtiana religione ſervata impendet Colimbria, & quæ in circuitu erant oppida? Poſtquam Ranimirus Colimbriam, & adjacentem tractum de Alhamat manibus tulerat, Joanni Abbati, & Monachis Laurbanienſis Monaſterii Montis maioris oppidum donavit, eo pacto, ut in prædicta villa mil-

Digitized by Google

lites, & Monachi degerent, qui a Maurorum incursionibus tuerentur. En Ranimiri donationis verba: *In nomine Individuæ, Sanctæque Trinitatis, donationis, & testamenti charta hæc est, eam facere statui Rex Ramirus adjutus divina inspiratione vobis Joanni Abbati, & vestris Monachis de Laurbano pro honore Sanctorum Mametis, & Pelagii Christi Martyrum Sanctorum de possessionibus illis totis, quas tuli ego de manibus Albamat Dominus Colimbriæ prope Monte magiore dum currit fluvius Mondeco, & reliquæ de reliquis Mauris quatenus de proventibus possitis alimentare vos illarum hæreditatum, & Monachos, & milites, quos tali pacto vos habere tenetis in villa Monte magior, quod illum bene locum defendatis de Mauris; totasque vestras, quas hæreditates habuistis in vestro, quod modo est, Monasterio pene depopulatum propter Mauros, sint de vestro jure. Et ego pro meæ redemptione animæ, meorumque parentum in terra do vobis de Sancta Maria quotannis solidos quingentos, boves quinquaginta, centum oves, totidemque capras; & vos pro me orabitis, & meo pro regno, meaque pro gente, & Abbas meus patruus Joannes Montem obtinebit magiorem omnibus cum juribus suis. Si aliquis vero homo fuerit quisque ille, testamenti chartam istam temptaverit ut irrumpat, sit imprimis segregatus a Domini nostri Corpus, & Sanguis Jesus Christi, & pœnas cum sceleratis luat tartareas demersus baratro. Testamenti series fit mense Martio Era 886. Ramirus Rex confirmat, Ordonius Rex confirmat, Sisnandus Silvius confirmat, Mahomat Cid. Atauf Dominus Cale, Domini Regis vassalus contra hoc non veniam; Haluf Iben Mahomat contra hoc non ibit; Abdala Iben Zevi contra hoc non ibit; Zecleima Iben Muça Dominus Lameta Regis Ramiri vassalus contra hoc non veniam. Tarif Iben Rages tenens Viseum contra hoc non ibit. M. Achin Iben Atah Dominus Eminbate Regis Ramiri vassalus cum armis, nec cum auxilio castrum supradictum molestabit non. Atah Iben Achin contra hoc non ibit.* Hæc constant ex Fr. Bernardo de Brito. *Monarch. Lusit. 2. P. lib. 7. c. 13.*

Digitized by Google

Montem maiorem gubernandum ſuſceperat Joannes Abbas, Monachos ſecum habuit ibidem commorantes, militibuſque præfecit Veremundum nepotem ſuum. Adoleſcentem quemdam nomine Garcias Janhes e puero enutriverat, quem militiæ dotibus inſignem per Ranimirum Regem equitem creari curavit; ſed tot benevolentiæ ſignis ingratus juvenis non tam Joannis amori, & beneficiis renuntiavit, quam Chriſtianam fidem dereliquit, Cordubam cum aliis profectus ad Abderamenem ſe contulit Mahometi legem amplexurus, Montem maiorem, aliaque oppida, quæ Ranimirus Rex adquiſierat, adepturus. De novi militis adventu congratulatus eſt Abderamenes, eum Saracenorum more circumcidi juſſit, & Culemæ nomine impoſito cum multo milite miſit in Luſitaniam. Qui Montem maiorem accedens, illum obſedit, omniaque itinera cuſtodibus circumcinxit, ne Chriſtianis illic cõmorantibus eſſent auxiliatores. Joannes Abbas de Maurorum obſidione certus cum Monachis ſuis, & militibus Luſitanis omnes ſuas impenderunt vires Saracenorum inſidias expugnaturi; & eo felici exitu, ut Culema Chriſtianorum robur demiratus Joannem adierit, hortatuſque fuerit, ut oppidum ſibi traderet, multa inde ab Abderamene munera conſequuturus, & præſertim ſi ad Mahumeti ſectam ſeſe converteret. Promiſſis reſtitit Abbas: & Culema omnem recuperandi Montis maioris ſpem amiſit. Et cum Joannes, ac ceteri Chriſtiani nullum auxilium a Theodomiro Laurbanii Priore, & aliis conſequi poſſent, in conſilium accedentes ſecum ſtatuerunt pueros, ac fœminas intra villam occluſas occidere, omnemque ſuppellectilem comburere, ne in Arabum inciderent poteſtatem, & iis obviam ire in agris, ne indecora fama eorum manibus perirent.

Occiſis pueris, ac fœminis, omnibuſque amiſſis, quæ ſibi erant chariora, villæ januas aperuerunt, Mauroſque in agris diſperſos aggreſſi ſunt, qui licet impetu primo Chriſtianos milites multarum dierum obſidione attritos contemnerent, maiorem jam ſuorum calamitatem experti reſtiterunt; ſed ſubito conflictu exagitati agmina in ordinem redigere

non

Digitized by Google

non potuerunt. Joannes fidei zelo accensus inter ceteros eminebat nulli periculo, nullique parcens labori: & cum Culemam copias suas componentem cerneret, factus obviam eum gladio truncavit. Ceteri infideles Ducis morte perterriti fugam arripuerunt, Mundamque inter pertranseundum ejus aquis obruti sunt. Christiani per quatuor leucarum spatium Mauros sequebantur donec propter noctis advenientis tenebras in valle, quam *Ceiça* vocant a certaminis cessatione, sistere coacti sunt. Transacta nocte, & ad orientis solis illecebras ad Joannem accesserunt milites ex Monte maiore, lætissimumque nuntium adtulerunt, pueros, ac fœminas, quos occidisse certum erat, a mortuis surrexisse, ac vivere. Joannes novitatem demiratus, ac Deum tantorum munerum largitorem agnoscens Monachos, ac milites misit, ut captorum spolia inter se dividerent, villamque se conferrent chara pignora, quæ amisisse crediderant, recuperatum. Omnibus valedixit in ea solitudine reliquam vitam inter vacandum Deo transiturus. Abbatis absentiam ægre ferebant, sed nullis precibus ab illo instituto dimoveri potuit: sacellum in valle de *Ceiça* condidit, in quo Beatissimæ Virginis imaginem a villa asportatam collocavit. Abbatialem Laurbanii curam Theodomiro Monacho commisit: & sancto fine ibidem quievit, cujus corpus in eodem sacello humatum est, & hac inscriptione sepulchrum exornatur viri non solum perfecti animi, verum & grandis corporis undecim scilicet palmorum.

JOANNES MONASTERII LAURBANIENSIS QUONDAM ABBAS, RANIMIRI PRIMI LEGIONIS REGIS PATRUUS, QUI AN. DCCCL. MONTEM MAIOREM TUTATURUS ABDERRAMEN II. CORDUBÆ REGEM (TRUCIDATIS LXX. SARRACENORUM MILLIBUS) PARVA CHRISTIANORUM MANU DEBELLAVERAT: MULIERESQUE, AC PARVULOS SUO CONSILIO OCCISOS HUJUS SACRÆ VIRGINIS INTERVENTU AD VITAM RESTITUTOS CONSPEXERAT: HIC TUMULATUS JACET.



Digitized by Google

# CAPUT IX.

## *De Supplicio ferri candentis per Lusitaniam.*

NIhil memoratu in Lusitania occurrit dignius quam innocuos per ferrum candens, aut ferventem aquam probare. Id Colimbriæ evenisse Era 828. in causa Elosindæ, quam conjux Ariovigildus Christianus thorum cum Arabe Mogcimet polluisse falso crediderat: ex monumento constat, quod Fr. Bernardus de Brito fideliter in lucem edidit.

*Era DCCCXXIX. instinctu hostis humani generis, qui semper hominum invidet successibus accidit quod vir nobilis Ariovigildus de stirpe Gothorum poneret zelotypiam super suam uxorem Elosindam, & traduxit illam ad Comitem Theodoricum: quoniam faceret de illa judicium, accusando de malsairo, dicendo quoniam creimaret illam, quando fecerat sibi torto cum homine Saraceno nomine Moigemet: & illum traducebat ad Alvazil, quoniam faceret de illo, sicut erat jusgo de illa: sed Elosinda dicebat satis contra, quod inique ponebat sibi malsairo tale, per quem prenderet ferro caldo, & Deus judicaret. Judicatum est quoniam prenderet, & priso sicut est jusgo coram populo de Mauris, & Christianis, & libera est illa, & Moigemet: at vero Alvazir jussit creimare Ariovigildum quoniam dicebat. Est jusgo facere tibi totum, quod facerem de illo, quando alteslares malsairo, & facta est multa tribulatio super hoc, quoniam priserunt cum, ut creimarent sequenti die. Venit tunc Eugenius Abbas de Laurbano, & rogavit per illum, & multum satis laboravit pro liberare illum, pro medietate de suis bonis, & avere quod dedit Moigemet pro tortum, quod dixerat, & omnes Christiani pecharon LXXX. solidos, & liberatus est a morte. Elosinda vero facta est vidua Christi, absque amplius vixerit cum Ariovigildo.*

Digitized by Google

A tempore Gothorum Regum purgatio istæc introducta est: Egica enim Rex legem condidit, quæ est 2. lib. 6. tit. 1. legum Wisigothorum, ut si per examen aquæ ferventis innoxius quis apparuerit, petitor nullam pertimesceret causam. Stephanus V. octavo ineunte sæculo, scribens ad Humbertum Moguntinum Episcopum ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacros non censuisse Canones ait, & superstitiosa adinventione non esse præsumendum, quod Sanctorum Patrum documento sancitum non erat: cujus Epistolæ meminit Gratianus causa 2. quæst. 1. cap. 20. In Hispaniis tamen nec auditum, nec in observantia erat Stephani decretum; cùm in Lusitania usque ad annum 1216. aliquæ purgationes hujusmodi sæpe in historia cuiquam versato occurrant. Honorius tandem III. anno 1225. cum Livonienses quosdam audisset conquerentes, quod Templariorum fratres, & alii, qui temporalem in eis potestatem exercebant, si quando de aliquo crimine infamabantur, eos ferri candentis judicium subire compellerent, si iis exinde sequeretur adustio, civilem pœnam infligerent, omnino judicium illud prohibuit. Quid clarius quam improbasse ritum, quo Deus tentaretur, miraculum ab ipso postulando absque necessitate? Lusitani, ac reliqui Hispani hanc purgationis legem didicerunt ex Hebræis, qui cum de uxoris fide suspicabantur, illam ad judices deferebant, testabantur se non raro eam admonuisse, ne cum certo quodam viro secreto colloqueretur, sed frustra. Muliere autem innocentiam suam tuente, poscebat vir, ut ad amaritudinis aquas propinandas damnaretur, de quibus Numeror. cap. 5. ut Deo res manifestanda committeretur.

Digitized by Google

# HISTORIA ECCLESIÆ LUSITANÆ.

## SÆCULI X. & XI.

## CAPUT I.

### *De Epiſcopis.*

#### §. I.

#### *De Epiſcopis Bracarenſibus.*

INTER incertos Bracarenſis Eccleſiæ Antiſtites numeratis Salvanato, Gundiſalvo, Juliano, ac Sigifrido, quos Pſeudo-Juliani, & Luitprandi auctoritate fretus D. Rodericus da Cunha in ſuo catalogo memoravit, ſæculis 10. & 11. de Heronio, Hermigildo, ac Petro facti ſumus certiores. Heronius, ſive Herus Era 973. ſubſcripſit ſcripturæ, aut donationi S. Rudeſindi Epiſcopi in gratiam Monaſterii S. Salvatoris de Cella nova in Gallæcia, anno ſcilicet Chriſti 935. licet Bracarenſis Eccleſia adhuc a tempore Alphonſi Caſti ad Lucenſem Metropolim pertineret, Herus Metropolitæ titulo inſignitus ſcripturæ illi ſubſignatus eſt. Epiſtola, quæ a Luitprando fertur ad Heronium miſſa ſimul cum chronico inter ſuppoſita ab exactioribus criticis æſtimatur. Poſt Heronium in Bracarenſi Sede creditur ſucceſſiſſe Hermigildum, quem D. Fr. Prudentius de Sandoval Tudenſis Epiſcopus de ſuæ Eccleſiæ antiquitatibus tradidit interfuiſſe Concilio cuidam Provinciali apud Navegum anno Chriſti

Digitized by Google

969. cum Theodomiro Mondonienſi, Rudeſindo Dumienſi, ac Cellæ novæ, Gundiſalvo Legionenſi, Siſnando Irienſi, ac Viliulfo Tudenſi. Eodem anno apud eundem Sandovalium in Hiſtoria Compoſtellana chartæ Oſſorii Guterrii fundatoris Monaſterii Laurentiani S. Salvatoris ſubſcripſit Hermigildus.

Ex anno Chriſti 1067. uſque ad annum 1093. Bracarenſem Eccleſiam rexit Petrus, qui ſedem ſuam plurimis privilegiis, ac poſſeſſionibus ampliavit. De Petro extat notitia in celeberrimo libro Fidei Bracarenſis Archivi, quem Fr. Antonius Brandaõ ita allegat: *Hæc ſunt quæ acquiſivit Petrus Bracarenſis Epiſcopus. Hoc igitur teſtamentum eſt hæreditatum, quas bonæ memoriæ Petrus Bracarenſis Epiſcopus probitate ſua acquiſivit. Cum enim Sedes Bracaræ ruinæ, & deſolationi ſubjaceret, & paſtorem qui eam procuraret non haberet, ipſe venerabilis Petrus paſtorale officium in ea ſuſcepit, & de hæreditatibus multis, quas Bracara Metropolis antiquitus habuerat, iſtas in ſcriptis ſupra commemoratas pro poſſe ſuo recuperavit, qui nimirum dum vixit ad honorem Eccleſiæ ſuæ recuperandum vehementer deſudavit.* Ex eodem libro conſtat Petrum ante ſuæ vitæ finem invitum a Pontificatu fuiſſe dejectum, & in Monaſterio uſque ad mortem commoratum. Tunc Bracarenſis Eccleſia ob ſegnitiem inutilis Paſtoris pauperrima remanſit, & propter diſcordiam inter Principes ortam, interrupta, & injuriata funditus conſtitit. Ab Herrera fertur Urbanum II. ad Bernardum Toletanum Præſulem dediſſe literas, ut Petrum a ſua Sede deponeret, quod pallium ſuſciperet a Guiberto Antipapa, qui ſumpto Clementis nomine in Concilio Brixienſi adverſus Gregorium VII. Henrici Imperatoris uſus auctoritate certavit. Hunc Petrum fuiſſe illum Hiſpanum Antiſtitem alio nomine Paulum cognomento Monium, quem Gregorius VII. in Ep. ad Alphonſum Caſtellæ Regem ſcripſit ad Apoſtolorum limina profectum eſſe, & in ejus communionem receptum, conjectatione oſtenditur ex tempore, quo vixiſſe narratur.

Digitized by Google

In mortui Petri locum Clero, & Populo volentibus (in eodem libro Fidei ſcriptum eſt) necnon Archiepiſcopo Toletano, qui id temporis per Hiſpanias Sedis Apoſtolicæ legatione fungebatur, ac Rege Alphonſo, Comiteque Henrico ſimul concordantibus Giraldus Monachus Gallus ex Monaſterio Moiſſac anno Chriſti 1096. fuit ſuffectus, ac in Bracarenſi Sede collocatus. Suæ Sedis jurium acerrimus vindex, & cuſtos Romam ſe contulit ea, quæ temporum viciſſitudine amiſſa fuerant, noviter impetraturus: a Paſchali II. Summo Pontifice honore acceptus pallio decoratus eſt, ac in integrum Metropoleos Bracarenſis antiqua jura fuere reſtituta. Anno 1101. cum Richardus Cardinalis Paſchalis II. Legatus prope Palentiam apud oppidum Fuſſelenſe Epiſcoporum Concilium convocaret litem inter Clericos, ac Præſules ſedaturus, Giraldus, qui Roma Bracaram jam acceſſerat, interfuit, & coram ceteris Epiſcopis pallium ſibi a Romano Pontifice conceſſum, ac ſuæ Eccleſiæ privilegia præſentavit, & ſuffraganei Pontifices venerabili Giraldo Bracarenſi Metropolitano, juſtitia dictante, & Cardinali Richardo præcipiente, obedientiam, & reverentiam promiſerunt. Quantum ſupremo Eccleſiæ Antiſtiti gratus eſſet Giraldus, teſtantur ejus literæ ad Comitem Portugaliæ Henricum: *commonemus etiam ut ipſum fratrem noſtrum Giraldum veneratione debita complectaris, atque ad recuperanda ipſius Eccleſiæ bona devotus adjutor exiſtas.* Inter viſitandam ſuam Diœceſim in Tranſmontana Provincia morbo correptus tandem obiit; & cum ejus corpus ad Bracarenſem Sedem ferrent per Tamacam, hujus fluminis undæ diviſæ ſunt, & ſicco pede tranſierunt. Aliis quoque miraculis non ſolum in vita, verum & poſt obitum perpetratis Giraldi virtutem teſtatus eſt Deus. In Bracarenſi Eccleſia omnium veneratione maxime colitur. Bernardus Archidiaconus Bracarenſis ejus vitam, & miracula deſcripſit, quæ Baluſius imprimi curavit. Hiſtoriographi pene omnes Hiſpani Menſe Decembris ad annum 1109. Giraldi mortem incidiſſe contendunt; ſed eruditus Herrera ait anno 1108. eum ab humanis excidiſſe,

*Tom. 3. p. 304.*

Digitized by Google

quod ex Historia Ecclesiæ Compostellanæ constet Mauricium Giraldi in Episcopatu successorem Mense Octobris 1109. Bracarensem Ecclesiam rexisse. De S. Giraldo agit antiquissimum Lusitaniæ Breviarium S. Simonis da Junqueira Canonicorum Regularium editum anno 1514.

## §. II.

### *De Episcopis Colimbriensibus.*

ERa 943. anno scilicet Christi 905. Froarengus Colimbriensem regebat Ecclesiam, cujus nomen legitur in scriptura donationis, qua Monasterium S. Facundi Saguntinum Alphonsus Magnus ditavit. Hunc fuisse credam, quem Rex Alphonsus Legionensis in donatione ad Monasterium S. Stephani *de Riba Sil* in Gallæcia Colimbriensem fuisse Episcopum memorat, & ibidem cum aliis Episcopis sepultum, & præsertim cum Gundisalvo Orosio etiam Colimbriensi Episcopo, qui inter Froarengum, & Didacum Episcopatum tenuisse conjecturatur. Era 950. anno Domini 912. Didacus Colimbriæ Antistitem agebat, & scripturæ subscripsit, qua Ordonius Rex eodem anno privilegium protulit in gratiam Monasterii S. Martini Compostellani, ut ex Jepio constat: inde etiam certum fit Naustum ejusdem Ecclesiæ Præsulem adhuc in humanis egisse, sed sine sede, quam reliquerat, subscripsisse. In Didaci sedem electus est Froarengus II. cujus subscriptum nomen reperitur in diplomate, quo ipse Ordonius Rex anno 915. S. Jacobi Compostellani privilegia, & jura a Regibus Decessoribus suis data firmavit. Eodem anno in Mense Aprilis suo nomine robur indidit monumento, quo Presbyter quidam Frandilanus Laurbanienſi Monasterio donavit Ecclesias S. Martini Senobrienſis, & S. Christinæ. Anno 915. exeunte, Froarengo II. successit Gomaldus, & firmavit scripturam, qua Lucidus Ecclesiam S. Mariæ de *Formozelhe* Colimbrienſi Sedi reliquit, & ex ejusdem Sedis Archivo constat. Ex eodem etiam palam est factum anno 922. Episcopatui renuntiasse, & apud *Castrumaire* non longe a Durio solitudinis vitam peregisse.

Digitized by Google

Gomaldi locum excepit Gudeſindus, de quo eſt certa notitia ex donationis charta, cui ſubſcripſit in gratiam Monaſterii Laurbaniẽſis Era 980. cũ Ranimirus Rex prædicto Monaſterio oppidum *de Alvalat*, & *da Pedrulha* prope Colimbriam tribuit. Anno Chriſti 935. cum S. Rudeſindus Epiſcopus Monaſterio S. Salvatoris *de Cella nova* in Gallæcia plurima ex ſuis bonis offerret, in teſtem vocatus eſt Gundeſindus, & ſubſcripſit. Era 1006. anno Domini 968. Veliulfus Colimbriæ Eccleſiam regebat, & conſtat ex donatione quadam ad Laurbanienſe Monaſterium ab illuſtri fœmina, quæ inter Alvam, & Mondam fluvios terrarum dominio pollebat. Anno Chriſti 981. Era 1019. Veliulfus Colimbrienſis adhuc erat Epiſcopus. Cum Domnus Gondiſalvus Moniz in Luſitania Dinaſta, & Comes, qui Luſitaniæ oppidis, ac civitatibus Mauris ereptis præfectus erat, Laurbanienſibus Monachis villam *de Traxede*, ac Monaſterium ibidem conditum cum omni ſacra ſupellectile donatione relinqueret, coram Veliulfo Epiſcopo, & aliis Luſitaniæ Præſulibus id ratum habuit. Veliulfi ſucceſſor extitit Pelagius, & anno 986. Era 1024. donationi D. Veremundi II. Legionenſis pro Monaſterio Cellæ novæ in Gallæcia interfuit. Ipſius meminit Fr. Bernardus de Brito, & Ambroſius Morales. Poſt Pelagium nullus alius occurrit Colimbrienſis Præſul niſi Petrus, qui anno 1080. donationem Alphonſi VI. erga Monaſterium S. Facundi, & Primitivi firmavit.

*Monarch. Luſit. 2. P. lib. 7. c. 26. Moral. lib. 17. c. 1.*

Anno a Virginis partu 1086. Era 1124. Paternus ex Tortoſana Eccleſia ad Colimbrienſem translatus eſt. Dum Tortoſæ præerat, Concilio Jacenſi interfuit. Ex monumento quodam vero, & authentico, quod Fr. Antonius Brandaõ ad finem tom. 3. Monarchiæ Luſitanæ deſcripſit, de Paterno Colimbrienſi Præſule hæc enarrantur: *D. Ferdinandus I. Caſtellæ, ac Portugaliæ Rex reverſus ad locum S. Jacobi orationis cauſa invenit Donnum Patrinum Epiſcopum venientem ad ſe miſſum a Rege Cæſar-Auguſtæ urbis, qui ſupra fatus Epiſcopus eo tempore Tortoſanæ urbis ſedem tenebat, ſed propter ſocietatem paganorum officium, & ordinem*

*nem ſuum minime adimplere valebat. Rogauitque eum Rex cum Seſnando Conſule (Colimbriæ) ut veniret Colimbriam, & moraretur ibi. Spopondit autem Epiſcopus venire, ſed in diebus ipſius Regis non venit, quia cito mortuus, cui beata ſit requies. Deinde ſucceſſit D. Alphonſus Rex in regno patris ſui ... poſtea prædictus Epiſcopus venit Colimbriam, in qua omnem Epiſcopatum cum omni Diœceſi accepit, qui ſimul cum Conſule prædicto pueros nutrivit, & eos docuit in Sede Epiſcopali S. Mariæ prædictæ civitatis, atque ad ordinem presbyterii applicavit, & ordinavit eos communiter habitare ſecundum regulam S. Auguſtini. Deinceps placuit Conſuli, nec non & Pontifici ſtudium eorum, quæ habebant in ordinibus tenendis, & domibus ædificandis ſecundum poſſibilitatem eorum, fecerunt ei teſtamenti chartam, ut habitarent in ſupradicto loco, & poſſiderent eum, & ut non præponatur eis alius dominator, ſed eis eligatur ſemper præpoſitus ſub regimine Epiſcopi, ſecundum quod rectum eſt. ... Facta Idus Aprilis Era* 1124. Hinc notum fit ſub Paterno in Colimbrienſi Sede Canonicam Auguſtinianorum regulam floruiſſe. Præter Paternum Epiſcopum, qui Canonicis in unum degentibus præerat, Martinus Presbyter a Paterno, Conſule Seſnando, & aliis in caput, & omnium Præpoſitum electus eſt; omnia quæ erant in prædicta Eccleſia, & Canonica tam de veſtimentis, quam de ornamentis Eccleſiæ, atque hæreditatibus, ejus curæ committebantur.

Anno 1087. poſt Paterni obitum Martinus Eccleſiæ Colimbrienſis Prior, in ejuſdem Epiſcopatum aſſumptus eſt, ac eodem anno ſcripturam firmaſſe traditur, qua Zoleima Presbyter ad Colimbrienſem Sedē bona ſua tranſmiſit. Anno 1092. Creſconius Monachus Monaſterii de Arouca, cui 8. Kalendas Maias Era 1020. cum omnibus ſuis bonis ſe tradiderat ſub Abbate Gudino religioſam vitam profeſſurus, Colimbrienſis Epiſcopus creatus eſt. Ex Monaſterio ſecum comitem adduxit Gondeſindum Presbyterum, cujus in his, quæ Dei erant, & regularis obſervantiæ tam conſortio, quam ſolatio per-



Digitized by Google

frueretur. Anno 1093. cum Suarius Fromarigues Eques Lusitanus sua bona Monasterio Ecclesiolæ Canonicorum Regularium concederet, Cresconius dedicationi Ecclesiæ ejusdem Monasterii interfuit, quæ in S. Salvatoris honorem dicata est. En donationis verba: *Ego Soarius Fromarigues peccatorum more depressus audiens divinæ scripturæ oracula, & adimplere aliquando cupiens Omnipotenti Domino puris mentibus de his, quæ mihi adtribuit, reddere evenit per sanctum spiraculum cordi meo, ut aliquid ex paupertacula mea conferrem pro remedio animæ meæ in amorem pii, ac Redemptoris Domini vestri Jesus Christi Salvatoris mundi, ex cujus nomine vocabulum sumpsit Ecclesia, quæ fundata est in villa, quæ vocatur Ecclesiola subtus monte Petroso, territorio Portugalensi, de qua ego jam dudum comparavi medietatem integram, & postea de alia medietate tertiam partem; & rogavi Domnum Cresconium Colimbrienscm Episcopum, qui dedicavit eam, & idcirco in ejus præsentia, & per illius manus facio dotem testamenti.* Era 1132. hæreditatem, quam a Gavini Froilasii testamento fuscperat, Monasterio de Arouca tribuit Cresconius, ubi ipse Gavinus sepultus erat. Hæreditas erat quidquid Gavinus habuerat in Arouca inter Durium, & *Fustem* montem, inter *Ribulum Pavia*, & *Flavi*, in villa *Tempezo*, in villa *Ribulo Mollites*, in villa de *Fostes*, & in villa *Ficcilanis*, & in villa Gondemari, & S. Stephani de *Ribulo Molides*, & *Canellas*, *S. Martini de Spelunca*, & *S. Crucis de Alvarenga*. Anno 1098. die 19. Junii animam Creatori suo reddidit, & in Ecclesia S. Joannis de *Almedina* Colimbrienfi sepultus est, cujus genus ex primoribus Lusitaniæ erat, & eo dignior quod S. Theotonii primi Prioris S. Crucis esset avunculus.

Inter Pelagium, & Petrum Colimbrienses Præsules quidam numerant Bernardum quemdam, cujus nomen invenitur in monumento asservato ad arcem do *Tombo* de divisione Interamnensis Provinciæ duodecim comitatuum a D. Alphonso Imperatore, Legionis, ac Castellæ Rege. En monumenti verba: *Era* 1064. *in Sede Bracarensi Cresconius, & loco*

*ejus Episcopus Didacus, in Sede Portus Episcopus Ausbertus, in Sede Aurienſi Petrus Episcopus, in Sede Colimbrienſi Bernardus.* Inter ſuppoſita, & non credenda monumentum iſtud referri oportet. Alphonſus Magnus Imperator Era 1064. aut anno quoque Chriſti 1064. Hiſpaniarum regnum nondum ſuſceperat, ſed poſt Sanctii mortem, anno Domini 1072. Rex fuit renuntiatus: in Bracarenſi Sede nullus id temporis floruit Creſconius, nec in Portugalenſi Auſbertus; igitur cum confictis Creſconio, & Ausberto Bernardus Colimbrienſis Epiſcopus memoretur neceſſe eſt.

## §. III.
## *De Epiſcopis Portugalenſibus.*

D. Rodericus da Cunha in ſuo catalogo de Portugalenſibus Epiſcopis Froarengum adfert Era 944. nec alibi hujus Antiſtitis notitiam quis inveniet; quapropter incertis merito adſcribitur. Era 950. Anno Chriſti 912. Hermogius Portugalenſi Sedi præerat, & privilegio Ordonii II. in gratiam Monaſterii S. Martini Compoſtellani ſubſcripſit: Era 953. Gennadii Aſturienſis Epiſcopi teſtamentum nomine ſuo firmavit. Ejuſdem meminit codex manuſcriptus vetuſtus Monaſterii Eccleſiolæ ad annum Chriſti 950. Anno Chriſti 1025. Eunegus Portugalenſem Sedem regebat Epiſcopus, cujus nomen Alphonſi V. ſententiæ in Bracarenſis Eccleſiæ favorem ſubſcribitur Era 1063. Eunego ſucceſſit Seſnandus ad Portugalenſem Epiſcopatum evectus; qui Rege Ranimiro III. cum Vaſconibus, ex quibus erat oriundus, ad Gajæ littora emicuit: Vaſconum enim claſſis id temporis duce nobili, ac forti viro Moninho Viegas ejuſdem Seſnandi fratre, ad Durii oſtium acceſſerat cum Mauris bellum initura. Portugalenſem civitatem, quæ a Saracenis lapidibus obruta erat, denuo condiderunt; muris, qua nunc Cathedralis Eccleſia viſitur, decurrentibus circumcinxerunt, inde hoſtium inſultus vindicaturi. Novæ moli extruendæ ſuam operam navavit Seſnandus, & propter inſignes Sacerdotis optimi dotes qui-

Digitized by Google

bus erat præditus, omnium consensu Episcopus est ordinatus. Omnium subditorum saluti invigilabat. Anno 1029. D. Ferdinandi Magni Regis Legionensis comitia adiit, ubi plurima suæ Ecclesiæ privilegia, ac libertates adeptus est.

Anno 1030. Portugale reversus est; & Deo totus vacaturus Episcopali oneri renuntiavit senio gravis. Canonicis Monasterii de *Villa Boa*, quam *Valbonam* appellabant, a fratre suo D. Moninho extructi adscriptus est, ibi cœlestium rerum contemplationi deditus terrena obliviscebatur. Cum singulis hebdomadis Veneris die ad quoddam S. Salvatoris sacellum prope Monasterium pergeret incruentum Domini sacrificium in Dominicæ Passionis commemorationem celebraturus; Mauri post quinquennium transactum de Sesnandi consuetudine certi tempore, & hora itineri solita locum destinatum invaserunt, & inter sacrum peragendum ejus pectus sagitta transfixerunt. Corpus a Canonicis qui novitate confluxerant, sub eodem altari humatum est, hoc inscripto epitaphio.

III. KALENDAS FEBRUARII OBIIT IN DOMINO D. SESNANDUS EPISCOPUS PORTUGAL. A' MAURORUM TELIS CONFOSSUS, DUM SACRUM FACERET ERA 1073.

Inde anno Christi 1142. Era Cæsaris 1180. a D. Petro Ribaldis Episcopo Portugalensi Canonico Regulari Monasterii S. Crucis inter Diœcesim suam visitandam ad Monasterium translatum est; & in lapide Epitaphium jussit inscribi:

*Martyr, & Antistes jacet hic rite sepultus*
V. Idus Octobris in Era MCLXXX.
*Sesnandus nomine, quem Christus ad æthera sumpsit.*
III. Kalendas Februarii in Era MLXXIII.

*Benedict. Lusitan. tom. 2. tract. 1. P. 4. c. 12 §. 1. & tract. 1. P. 4. c. 3.*

A sanctissimo Martyre, & Episcopo Monasterium istud in posterorum memoriam *Villa Bona Episcopi* nominatum est. Post Sesnandi obitum, Portugalensis Sedes usque ad Venerabilis Regis Alphonsi tempora Episcopo caruit, & Archidiaconorum curæ erat, quorum meminit Fr. Leo a S. Thoma. Pelagius scilicet anno Christi 1088. dedicationi Eccle-

Digitized by Google

ſiæ S. Salvatoris do *Paço de Souza* Monaſterii Benedictini in territorio Portugalenſi interfuit, anno vero 1092. Rodericus Portugalenſem Diœceſim pro Epiſcopo regebat, ac id conſtat ex donationis monumento, qua Petrus Argemires eodem anno Monaſterium de *Pendorada* ditavit.

## §. IV.
## *De Epiſcopis Viſenſibus.*

ERa 943. anno Chriſti 905. Gundemirus Viſenſi Sedi præerat, in ſcriptura donationis Alphonſi Regis ad Monaſterium S. Primitivi Saguntinum eodem anno adhibitus eſt teſtis. Eruditus Herrera ait anno 915. Ordonium Regem ad bellum profecturum privilegia Eccleſiæ S. Jacobi firmaſſe, & iis ſubſcripſiſſe cum Froarengo Colimbrienſi Auſericum Viſenſem Gundemiri ſucceſſorem. Auſerico ſucceſſiſſe fertur Dulcidius, qui anno 935. donationem S. Rudeſindi in gratiam Monaſterii Cellæ novæ in Gallæcia ratam habuit; anno 943. in humanis adhuc agebat; nam Ranimiri Regis diplomati ſubſcripſit, quod pro Laurbanienſi Monaſterio exaratum eſt. Poſt Dulcidii obitum Hermigildus ejuſdem Sedis ordinatus eſt Præſul; ipſum in ſuæ donationis ad Laurbanienſe Monaſterium teſtem advocavit illuſtris fœmina Enderquina Palla anno 961. Fr. Bernardus de Brito Inquilam Viſenſem Antiſtitem refert ad annum Chriſti 981. quo Comes Gundifalvus Monis hæreditates quaſdam oppidorum, ac villarum Laurbanienſibus Monachis conceſſit. Inquilæ in Epiſcopatu ſucceſſor fuit Gomes, ſive Gomeſius, qui anno ſalutis 1050. Rege Ferdinando I. Caſtellæ cognomento Magno, & Leone IX. Romano Pontifice, Coyacenſi Concilio in Diœceſi Ovetenſi pro reformandis Eccleſiæ moribus interfuit, cujus acta deſcripſit Eminentiſſimus de Aguirre. Gomes cum ceteris Epiſcopis Canonem illum ediderunt, ut per Luſitaniam, ac reliquas Hiſpanias omnes Abbates ſe, & fratres ſuos, & Monaſteria; & Abbatiſſæ ſe, ac Moniales ſuas, & Monaſteria ſecundum Beati Benedicti regerent ſtatuta; & ipſi Abbates, &

*Tom. 3. pag. 22.*

*Monarch. Luſit. 2. P. lib. 7. c. 23.*

*Tom. 4. p. mihi 404.*

Digitized by Google

Abbatiſſæ cum ſuis congregationibus, & cœnobiis ſint obedientes, & per omnia ſubditi ſuis Epiſcopis.

Etiam ſtatuit Gomes de Eccleſiarum jure, ac veſtibus Clericorum, de pœnitentia adulteris, inceſtuoſis, furibus, homicidis, & maleficis imponenda; de ordinandis, & ne Presbyteri ad nuptias edendi gratia irent, & de iis qui defunctorum conviviis aſſiſterent. Ut veſpere Sabbati ab omni opere ceſſarent omnes, cum Judæis non habitarent, ne cum iiſdem cibum ſumerent; ut populus a potentibus cum juſtitia regeretur; de legibus quibuſdam Alphonſi, & Sanctii Regum per Legionem, Gallæciam, Aſturias, & Portugaliã obſervandis, ut omnes die Veneris jejunium adimplerent, de aſyli jure Eccleſiis conceſſo, ac Regis jure.

Poſt Gomeſium nullus fertur Viſenſis Epiſcopus, ſed Colimbrienſis Epiſcopi curæ illius urbis Eccleſia, veluti parœcia cõmiſſa eſt. Paſchalis II. ad Mauricium Colimbrienſem literas dedit ut Lamecenſem, & Viſenſem Eccleſias regeret, de Prioribuſque animarum ſaluti proſpecturis provideret. Inter Priores, qui uſque ad Venerabilis Regis Alphonſi Henrici tempora illi civitati præfuerunt, primus fuit Theodonius, qui cum Canonicis in eadem Sede anno 1092. ſub communi regula vitam agebat.

*Ex Archivo Colimbr. Sedis.*

## §. V.
## *De Epiſcopis Lamecenſibus.*

SÆculum decimum vix unum Epiſcopum in Lamecenſi Eccleſia profert Jacobum nomine, qui anno Chriſti 981. vigeſima ſecunda die Decembris ſcripturæ Comitis Gundiſalvi Monis in gratiam Laurbanienſium Monachorum in teſtimonium nomen ſuum inſcripſit. Poſtquam impiiſſimus Arabs Almançor Luſitaniam multo exercitu aggreſſus eſt, & Lamecum ſolo æquavit, ſub Colimbrienſibus Epiſcopis gubernanda permanſit, & ex quadam donatione Petri Argemires in gratiam Monaſterii Benedictini de *Pendorada* apud Fr. Leonem a S. Thoma, Creſconius Colimbrienſis, ſive Lamecen-

Digitized by Google

sis Episcopus ita inscribitur : *Domini Cresconii gloriosi Episcopi Colimbriensis, sive Lamecensis.*

## §. VI.
## *De Episcopis Dumiensibus.*

EOdem anno, quo Bracara a Rege Alphonso Froilani filio Mauris fuit erepta, Dumienses quidam Monachi qui Arabum insultibus superstites Asturias profugi petierant, Dumium reversi sunt, Monasterium restaurarunt, cujus Episcopi non jam sine erecta Sede, sicut & Rudesindus, ac Martinus, floruerunt. Anno 912. ac 915. Sabaricus, qui Monasterii S. Pauli Abbas fuerat in Hispania, Dumiensem Ecclesiam, & Monasterium regebat Episcopus, cujus subscriptio exhibetur in duobus donationum monumentis, quas Ordonius Rex dictis annis in gratiam Ecclesiæ S. Jacobi, & Monasterii S. Martini Compostellani confecit. In Sabarici locum suffectus est Rodericus, qui factus Dumiensis Episcopus Era 960. anno Christi 922. firmavit privilegium Ordonii Regis datum ædi S. Juliani de Samos ab Jepes transcriptum. Post Rodericum S. Rudesindi II. meminisse oportet.

Rudesindus avum habuit Hermenegildum Comitem Portugalensem, & Tudensem Regi Alphonso Magno sanguine conjunctum, patrem Arium Eminii Comitem, & matrem illustrem Lusitaniæ fœminam: ejus parentes de futura prole nimis incerti post multarum precum, & lacrymarum coram Deo semina Rudesindo gavisi sunt puero nato, quem singulares animi, & corporis dotes dignum fecerant qui per universam Hispaniam coleretur. Iduara Deo de filio nuper edito gratulatura in pauperes fuit profusior, in templaque liberalior. Vix viginti & octo annos Rudesindus attigerat, sacerdotio initiatus est, & in Dumiensem Ecclesiam assumptus est Præsul. Totus optimi Pastoris muneri se dedit, in subditos mitis, & gratus. Ex Dumiensi Ecclesia ad Mindoniensem translatus est, Rege Ordonio, & Clero annuente, & po-

Digitized by Google

lante: apud Mindonium Monaſterium do *Caveiro* condidit in ſolitudine fere inacceſſa. Ex Mindonienſi Sede, Sanctio Rege, in Seſnandi Compoſtellani Epiſcopi e ſua Sede depoſiti locum ſuffectus eſt. Sanctius de Rudeſindi meritis certus Gallæciæ eum præfecit, qui illam a Normannorum inſultibus liberavit, & Luſitaniam Maurorum inſidiis ademit.

Prope fluvium Limiam Monaſterium *Cellæ novæ* extruxit poſtea, quæ ſupereſſet, vitam ibi tranſacturus. Nec diu ſua vota diſtulit. Seſnandus Compoſtellanus Antiſtes ex ſuis demeritis ab Epiſcopatu dejectus Nativitatis Dominicæ nocte Eccleſiæ S. Jacobi clauſtra ubi Rudeſindus commorabatur, cum aliis invaſit: piiſſimum Antiſtitem gladio impetiit, & ſedi renuntiare vi, & armis coegit. Seſnandi deſideria adimplevit, ad *Cellæ novæ* Monaſterium, cui Abbas Franquila invigilabat, profectus in Monachum indutus eſt, omnibus religioſarum virtutum exemplar factus. Mortuo Franquila, Monachi in unum convenientes Rudeſindū quamvis invitum, & reluctantem in Abbatem elegerunt: quo munere adeo fruitus eſt, ut omnibus tamquam pater haberetur. Morti jam proximus, conventu poſtulante, Abbatem poſt ſe reliquit Manilanum virum virtutibus exornatum, & teſtamentum ſuum anno 978. ſcripſit a Rege Ranimiro, Principe Alphonſo prole Veremundi Regis, Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque regni optimatibus ſignatum. Ejus animam ad cœlos inter Angelorum choros hymnum *Te Deum laudamus* canentes aſſumpta n vidit S. Senorina ipſius conſanguinea, dum in choro cum ceteris Monialibus Completorium decantaret. Memoratu dignum eſt privilegium, quod Rudeſindus in gratiam Monaſterii S. Salvatoris de *Cella nova* in Gallæcia conceſſit anno Chriſti 935. quod refert Jepes: Veremundus Sereniſſimus Princeps, Epiſcopi, Comites, Presbyteri, ceterique regni proceres in teſtes fuere advocati. Cœleſtinus III. ſanctorum albo Rudeſindum adſcripſit.

Poſt Rudeſindum floruit Aſianus Dumienſis Epiſcopus, cujus nomen conſtat ex donationis ſcriptura, qua illuſtris fœmina, quæ inter flumina Alvam, & Mondam degebat, ſua bona

Digitized by Google

bona Laurbanii Monachis, villam ſcilicet de *Midoës*, & oppidum *Theodoris* attribuit. Aſianus ipſe, ſive alio nomine Armentarius ſubſcripſit duplici privilegio Veremundi II. Regis Era poſt 1028. anno Chriſti 990. D. Rodericus da Cunha inter Dumienſes Epiſcopos numerat Nonium quendam anno 1015. nullum tamen monumentum adfert, quo nitatur; & poſt accuratum examen de Antiſtite Nonio certitudinem invenire potui, qui Alphonſi V. ſententiam in Bracarenſis Eccleſiæ gratiam ſuo nomine roboravit Kalendis Septembris Era 1063. quam eruditus P. Argote de rebus Bracaræ memorandis excripſit, quamobrem Nonium Aſiano ſucceſſiſſe exiſtimo. Nonio ſucceſſit Soarius, qui Concilio Compoſtellano Era 1069. interfuit, & ſubſcripſit, non tantum Dumienſis, verum & Britonienſis Epiſcopus. Britonia enim ab impiiſſimo Almanſor omnino everſa, Dumienſes Antiſtites Britonienſes quoque dicti ſunt. In eo Concilio multa præclare conſtituit Soarius, ut Epiſcopi, & Presbyteri quotidie divinam hoſtiam ſacrificarent, ut Canonici unum refectorium, & unum dormitorium cum Epiſcopis haberent, quod cilicium penes ſe haberent, & illud induerent jejunii tempore, & quoties divino Numini Litaniis placando daretur opera.

Hiſpani quidam Dumienſes Epiſcopos Mindonienſes fuiſſe opinantur, ac ex Dumio in Mindonium Epiſcoporum Sedem translatam. Verum eodem tempore, quo Rudeſindus I. Sabaricus, & S. Rudeſindus II. vivebant Dumienſes Epiſcopi, Mindonienſes quoque Præſules floruere Theodorindus, ac Theodomirus: chartæ Oroſii Guterrii fundatoris Monaſterii Laurentiani S. Salvatoris poſt Ervigildum Bracarenſem, & Theodomirum Mindonienſem ſubſcripſit Chriſti nomine *Rudeſindus Epiſcopus Dumienſis* 15. Kalēdas Julii Era 1007. anno Chriſti 969. Hiſpanorum opinamento origo fuit: Dumienſes quidam Monachi Saracenorum crudelitatem intuentes Monaſterium deſeruerunt, in Aſturicos montes fugerunt, & non longe a Mindonienſi urbe prope littus Ribadenſe novum condiderunt cœnobium, Dumienſe dictum, & S. Martino Dumienſi dicatum, cujus corporis oſſis tantum radium ſecum



Digitized by Google

di literarum novitate fuisse perculsos, nullumque Gothorum Regem a Reccaredi tempore, qui ipsorum primus Catholicam Religionem amplexus fuerat, ad Witisam usque, & Rodericum Sanctæ Sedis fuisse vectigalem, quamvis eam veneratione maxima, fide, & obsequio prosequerentur: nec in Gothorum Historia, nec universalis Ecclesiæ id a scriptore aliquo referri. Gregorium VII. ab Hugone Candido in Hispaniis Legato fuisse inductum, ac deceptum putat.

Anno 1074. Alphonsum, & Sanctium Reges, & omnes Episcopos per Hispanias constitutos hortatus est Gregorius per literas, ut Romanum officium reciperent, non Toletanæ, vel cujusvis alius Ecclesiæ. Alphonsus a Regina Constantia stimulatus id observari Romanum Pontificem deprecatus erat: sed Clerus, & Populus totius Hispaniæ turbabatur, eo quod Romanum officium a Romani Pontificis Legato, & Rege suscipere cogerentur; statuto die, Rege, Archiepiscopo Toletano, Legato, Cleri, & Populi maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatum, Clero, Militia, & Populo firmiter resistentibus ne officium mutaretur; Rege, ac Regina suaso contrarium minis, & terroribus intonante. Ad hoc ultimo res pervenit militari pertinacia decernente, ut hæc dissensio duelli certamine sedaretur. Cumque duo milites fuissent electi unus a Rege, qui pro officio Gallicano (ita Romanum appellabant) alter a militia, & populis, qui pro Toletano pariter decertarent, miles Regis illico victus fuit, populis exultantibus, quod victor esset miles officii Toletani. Sed Rex adeo a Regina fuit concitatus, quod a proposito non discessit duellum judicans jus non esse. Cumque super hoc magna seditio in militia, & populo oriretur, demum placuit, ut liber officii Toletani, & liber officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur, & indicto omnibus jejunio a Toletano Antistite, Legato, & Clero, & oratione ab omnibus devote peracta, igne consumptus est liber officii Gallicani, & prosiliit super omnes flammas incendii, cunctis videntibus, & Dominum laudantibus, liber officii Toletani illæsus omnino, a

combuſtione incendii immunis. Sed cum Rex eſſet ſuæ voluntatis pertinax executor, nec prodigio commotus, nec precibus inclinatus mortis ſupplicia, (& direptionem minitans adverſantibus præcepit, ut officium Romanum in omnibus ſuæ ditionis finibus coleretur. Tunc cunctis plorantibus, & condolentibus incepit proverbium: *Quo volunt Reges, vadunt leges.*

Id temporis Romanum officium, quod in Galliis jam erat ſuſceptum, in Hiſpaniis noſtris cœpit obſervari, & officium Gothicum Mozarabum a Sanctis Patribus inſtitutum, provectum, miraculiſque confirmatum, necnon Summorum Pontificum approbationibus ſtabilitum mutatum eſt. Enim vero licet Gregorius VII. Romanum officium per Hiſpanias obſervari curaſſet, & juſſiſſet, accurate rem introſpiciens confeſtim Gothicum officium approbatione ſua dignum cenſuit, nec omnino prohibuit, mandans Richardo Sedis Apoſtolicæ Legato, qui tunc temporis cœnobio S. Victoris Maſſiliæ præerat, ut in Hiſpaniæ templis etiam permaneret. Itaque Toleti adhuc in ſex parochiis ſervatur, & in Cathedrali Eccleſia, in ſacello Cardinalis Franciſci Ximenes; Salmanticæ ſtatutis diebus, in ſacello Doctoris Talabricenſis; necnon apud Luſitanos in Sede Bracarenſi. Equidem poſſunt libere, liceiteque tum Parochi ii, tum beneficiis, & ædiculis ſacris addicti officium iſtud celebrare; nec obſtant Pii V. conſtitutiones, Motus proprii Breviariis, ac Miſſalibus Romanis juxta reformationem inſerta. Innititur id, quod aſſeritur, non modo antiquitati, quæ prætergreditur annos ducentos Motuum propriorum, quoniam ea ex parte fuit alia quædam declaratio ſpecialis, verum ſi attente quis perpexerit, illico cernet illic præcipi ut celebrentur officia juxta uſum Romanum recens reformatum, in Eccleſiis, aut Monaſteriis, in quibus primitus, & ſecundum inſtitutionem dici vel debebant, vel ſolebant, juxta Ritum Romanæ Eccleſiæ. Neque etiam Sanctiſſimus Pius V. viſus eſt prohibuiſſe, vel ſupreſſiſſe Gothicum officium, cum noluerit Græcis, aut Mediolanenſibus templis officia ſubducere a Baſi-

Digitized by Google

lio, aut Ambrosio instituta; quod numquam Ecclesiæ istæ ab altioribus primordiis Romanum, vel Gregorianum officium susceperunt, aut celebrarunt. Igitur quilibet Clericus peculiaris Mozarabs, vel in choro, vel extra cum debita integritate, & attentione recitans, munus suum egregie obit, & præceptum, quo jubetur horas canonicas dicere, absolutissime adimplebit, sicut & Clericus Græcus, aut Mediolanensis parebit Ecclesiæ, dummodo quilibet eorum suo officio se addictissime adstringat.

Eodem anno 1074. Petrum Bracarensem Episcopum cognomento Paulum Monium ad Apostolorum limina sese conferentem, & post redditam rerum rationem, quibus eum Guiberto Antipapæ adhærentem appellavit, in communionem, ac dilectionem suam recepit Gregorius. Ipsum cū literis Alphonso Regi commendavit & non tantum ab eo diligi, & in pacis vinculo suscipi postulavit, verum & ut antiquam ejus Episcopalem Sedem reparare, ac stabilire omnibus modis insisteret.

## §. III.

## *Urbani II. Epistola de Hispaniarum Primate.*

ANno Domini 1088. Urbanus II. Papa, Toleti urbe ad Christianæ Religionis libertatem redacta, studio Alphonsi Regis, & Christianorum labore expulsis Saracenis, Bernardum post tanta calamitatum tempora primum Toletanæ civitatis Episcopum in omnibus Hispaniarum regnis Primatem *privilegii sanctione* statuit, secundum quod ejusdem urbis antiquitus constat extitisse Pontifices. Præcepit, ut universi Hispaniarum Præsules eum respicerent, ad ipsumque siquid inter eos quæstione dignum exoriretur, referrent. Privilegium istud non tam Bernardo, quam omnibus ejus successoribus confirmavit. Tarraconensis Præsul Bernardo tam quam Primati parere recusabat, quapropter Urbanus ipse anno 1091. ad eum literas indignatione plenas misit, ut Toletano Primati esset subjectus. En primum Sedis Apostolicæ monumentum, quo Hispani utuntur Bracarensem Prima-

Digitized by Google

tum ad nihilum redacturi, & Toletanum exaltaturi. Uno verbo in præsentiarum lis est dirimenda: de privilegio Primatus concesso non contendimus, sed de jure super utriusque Ecclesiæ Bracarensis, & Toletanæ antiquatē, qua Primatus debet inniti, totum esto judicium.

Quot Ecclesiæ, Romanis Pontificibus concedentibus, Imperatoribusque aut Regibus postulantibus, ad eam dignitatis amplitudinem evectæ sunt, ut antiquioribus ceteris emineant? In nostræ ætatis exemplum adferre sufficeret Olyssiponensem Ecclesiam tot insigniis, tot privilegiis, & honoribus præ ceteris Lusitaniæ antiquioribus cumulatam. Aft si anteacta sæcula introspiciamus nec novum, nec inusitatum erit: Alexandrinæ, & Antiochenæ Ecclesiarum jura, honores, ac privilegia quis neget nisi prima Ecclesiasticæ historiæ limina non attigerit? Quo libertatis Ecclesiasticæ zelo, ac fervore Apostolicæ Sedis Legati Chalcedonensibus Patribus non sunt adversati, quod iis absentibus canonem vigesimum octavum ederent Constantinopolitanæ Sedis honorem supra Alexandrinam, & Antiochenam decernentes? Adversata quidem est Ecclesia Romana; aft anno 1215. Innocentius III. in Concilio Lateranensi magno sancivit, ut post Romanam Sedem omnium Matrem, ac Magistram Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Jerosolymitana quartum locum obtineret. En Constantinopolitanus Antistes ex privilegio præ antiquioribus aliis honore sublimatus, quod Imperatores concupierint, & postulaverint: quid igitur mirum, quod ad Alphonsi Regis instantes preces Toletum præ Bracara honoraretur?

Nihil dubitabat Urbanus quin Toletanus Antistes olim plenissima hac auctoritate in omnes Hispaniarum provincias frueretur, cum tam diserte ad Bernardum exponeret. Longe tamen semper fuit ceterorum Hispaniensium Præsulum mens: quapropter parere detrectabant. Vel Primatus generatim dicitur, & pro Sede Metropolitana usurpatur, quæ & Prima Provinciæ Sedes appellabatur in Conciliis, vel presse accipitur cum præcedentia, honore, ac prærogativis supra

Digitized by Google

Metropolitas alios cujuſvis gentis, aut regni etiam ordinatione antiquiores, qualem plerumque accipiunt Scriptores Eccleſiaſtici; & Græci Patriarchas, aut Exarchos vocitabant. Priori ſenſu ab ineunte ſæculo quinto habuit Toletanus intra Provinciam Carthaginenſem; antea enim Toletum, ex Plinio, urbs parva licet loco munita ad Provinciam Carthaginenſem, cujus caput fuit Carthago ipſa cunctarum, ex Strabone, in eo tractu urbium potentiſſima. Aſt barbaricis irruptionibus Carthagine vaſtata, eo ex tempore Metropolitica dignitas in Toletanam Eccleſiam paulatim transferri cœpit, ex antiquiſſimo chronico, quo eſt uſus S. Iſidorus. Et licet Carthaginenſes Præſules nollent exuere ſuæ Provinciæ Metropoliticam dignitatem, titulumque conſervarent, Toletani tamen Epiſcopi in medio Provinciæ poſiti, ac in civitate ſatis forti, ab hoſtibuſque nullum paſſa detrimentum, antecelluerunt, ac ſoli Provinciæ Carthaginenſis Metropolitæ habiti, & denominati ſunt; & præſertim a Regis Gundemari tempore, anno ſcilicet Chriſti 610. qui coram viginti ſex Epiſcopis decretum edidit, & cum iis ſubſcripſit, quo honoris Primatus per omnes Carthaginenſis Provinciæ Eccleſias Toletanæ Eccleſiæ Epiſcopo concedebatur, ſicut de Metropolitanis per ſingulas provincias antiqua traditio ſanciverat; & ſicut Bætica, Luſitania, ac Tarraconenſis Provincia ſingulos habebant Metropolitanos, ita & Carthaginenſis Provincia ſuum ſummum veneraretur Antiſtitem Toletanum. En Metropolitani honoris initium Toletanorum Præſulum.

*Lib. 3. cap. 3.* *Lib. 3.*

Si poſteriori ſenſu uſurpatur Primatus, paradoxon immane eſt, quod Toletana Eccleſia ſupra ceteras Hiſpaniæ Metropolitanas prioribus ſæculis Primatu ſuo præcederet. An in ſedendo, ſubſcribendo ve, aut alia Primatus jura exercendo, fundationisve ſuæ antiquitate? Minime profecto, præſertim ſi Conciliorum acta legere non pigeat, in quibus ordinationum Præſulum antiquitas attendebatur, & non Eccleſiarum prærogativa. In Toletano primo præfuit Patruinus Emeritenſis, in tertio Mauſona Emeritenſis, in quarto Iſidorus Hiſpalenſis, in quinto Eugenius Toletanus, in ſexto Sil-

va

Digitized by Google

va Narbonenſis, in ſeptimo Orontius Emeritenſis, qui ordinationum ſuarum antiquitatem habuerunt, circa alia jura numquam ampliorem juriſdictionem obtinuerunt. Quapropter Archipræſul Petrus de Marca de Primatu Lugdunenſi ait: *Tantum civitas Toletana aberat olim a Primatu, ut ſub Principum Romanorum imperio nondum aſſequuta eſſet Metropoleos dignitatem.* Et quænam Toletanæ Eccleſiæ antiquitas? an Bracarenſi vetuſtior? an Eugenius I. Toletanus Antiſtes ante Ratiſtenſem Petrum ſuam moderatus eſt Sedem? Eugenianæ miſſionis ætas pendet ab incerta Dionyſii Pariſienſis chronologia, nam Maurolycus in Martyrologio 17. Kalendas Decembris ait Eugenium Toletanum Antiſtitem a Dionyſio fuiſſe ordinatum, Breviaria Hiſpanum, & Pariſienſe die 15. Novembris Eugenium Dionyſii diſcipulum memorant. Sed integram de Dionyſio diſputationem relinquam iis, quos negotium magis urget. Petrus Ratiſtenſis anno Eræ vulgaris 45. martyrium complevit. Mariana Eugenii martyrium conſignat Eræ vulgaris anno 99. alii cum Ribadaneira anno 120. alii ejus Epiſcopatum ab anno 68. alii a 112. auſpicantur; nullus ante 68. floruiſſe conſcribit: qui altiorem Eugenii antiquitatem repetunt, ad Dionyſium a Clemente Romano Pontifice Gallias miſſum accedunt; & Clementem ante annum 67. Petri Cathedram tenuiſſe quis aſſerat? Igitur Urbanus II. ad Archiepiſcoporum Hiſpanienſium querelas compeſcendas Bernardo Toletano parere detrectantium legationem Sedis Apoſtolicæ per univerſam Hiſpaniam eidem Bernardo commiſit, quo facilius auctoritatem colerent, quæ ipſius perſonæ, non ſedi collata, nec ad ſucceſſores transferenda videretur. *Noſtræ*, inquit, *ſolicitudinis vices in Hiſpania univerſa, & in Narbonenſi provincia miniſtrandas injunximus.*



Digitized by Google

# CAPUT III.
## *De Conciliis.*

### §. I.
### *De Concilio Aliobrenſi Provinciæ Bracarenſis.*

ERa 949. Anno Chriſti 911. Aliobrii in Gallæcia 4. Kalendas Octobris Epiſcopi, qui Metropolitæ Bracarenſi parebant, Comites, Optimates, pro diviſione Eccleſiaſticorum finium convenerunt. Interfuit etiam D. Ordonius II. qui, adhuc ſuperſtite patre D. Alphonſo Magno, Gallæciæ, & Luſitaniæ ab eodemmet Rege præfectus fuerat. Hujus Concilii acta utpote brevia latinitate barbara hic tranſcribuntur: *In Era 949. 4. Kal. Octobris facta eſt Congregatio magna in locum prædictum Aliobrio in præſentia D. Hordonii, & collecti omnes Epiſcopi, Comites, & Capitanei territorio Gallæcienſi in ejus præſentia fecit ſuggeſſionem D. Savaricus Epiſcopus pro locum S. Martini Epiſcopi Dumienſe Sedis territorio Bracarenſe, & oſtendit eos teſtamentum ipſius loci, quod dudum fecerat eidem memoriæ Domniſſimus Adefonſius Princeps Pater ipſius Hordonii Princeps tempore D. Rudeſindi Epiſcopi per omnes ſuos antiquiores terminos, & ſic petivit idem D. Savaricus Epiſcopus proviſores de ipſo Concilio, qui ipſos terminos providerent. Tunc ille motus miſericordia ordinavit proviſores Nauſti Epiſcopum, Froarengum Epiſcopum, Lucidus Vimarani, Nunuſque Tiberis, Creſconius Migiti, Vermudus Lucidi, Viſnara Ermigildus, Froilani Spandum, & Ordonium Egati, Alefonſum Velune, Vermudum Arnotori, Fromaricus Sendodi, Tanaoi Braleoni, & alios plures Abbates, & Præsbyteros de homines bonos, qui ſolent antiquitatem comprobare, & ocunucuninus nos jam ſæpe dicti proviſores ad ipſum locum aſcendimus in monte qui eſt inter ipſum locum, & villæ, quæ dicunt Inſi-*

Digitized by Google

*dias, invenimus ibi charaterem S. Vincenti, & exinde in alia petra invenimus crucem, & inde per petras fitas, qui ab antiquo pro terminis fuerunt constitutos, & exinde in via quam dicunt de Vereda, qui discurrit de Bracara, & invenimus ibidem congesta magna pitrinia, & exinde peragire, & petras fitas quousque ad arca qui sedet sculpta in petra, & exinde ad alia congesta petrinia, & inde peragirem, & petras fitas, quæ sunt secus viam de Vereda quousque in termino de pitanes, & inde per agirem & arcas principiat, qui divident inter Dumio, & Palmaria, & exinde per agirem Cesluor, qui divider inter Dumio, & Paratelas, & inde per totum agirem usque in termino de Lesmire, & inde per alia via de Vereda, quæ discurrit de Bracara quousque in terra tumeda, qui fuit manu facta, & exinde in arca pitrinia principiat ab antiquis constructa qui dividet inter Dumio, & villa de Froocosusque ad alia arca petrinia, qui dividet inter Dumio, & Colina, & inde per agirem, & petras fitas usque ad congesta, qui dividet inter Dumio, & Colina; & inde per agirem, & petras fitas usque in termino de Villa Pascasi, & invenimus ibidem petra scripta, ubi dicet S. Eulaliæ ibi dividet Dumio, Colina, & Villa Pascasi, & sic exivimus per signas certas usque in monte, ubi prius inchoavimus, & invenimus in ea ipsos terminos prædictos, quos obtinuit Spacundus, & alios quos obtinuit Mamirus, seu & Ecclesia vocabulo S. Fructuosi, quod dicunt Montelios, & quod potuimus prævidere in virtute sunt ipsi termini fortasse ab antiquis constructa ipsius loci jam facti, & manibus nostris confirmamus sub Christi nomine Nausti Episcopus quod prævidi confirmo. Sub Christi nomine Froarengus Episcopus quod prævidi confirmo. Lucidus Vimarani, quod prævidi confirmo. Nunus Gutierres quod prævidi confirmo. Cresconius Migiti quod prævidi confirmo. Vermudus Lucidi quod prævidi confirmo, Vimara Froilani, Spasandus Egani, Ermogius Cresconi, Petrus Velini, Adefonsus Velini, Hordonius Egani, Fromarigus Seudeni, Tanoi Brao-*

Digitized by Google

*leoni, Hordonius confirmans, Florinteus Presbyter ab ipsos Pontifices ordinatus hanc colmelum manibus nostris conscriptum.*

## §. II.

### *De Concilio Coyacensi Lusitaniæ, & Hispaniarum Generali.*

FErdinandus Rex in castro Coyanea Diœcesis Ovetensis Era 1088. ex Episcopis, Abbatibus, & totius regni optimatibus Concilium convocavit. Interfuere Froilanus Episcopus Ovetensis, Cyprianus Legionensis, Didacus Asturicensis, Syrus Palentinus, Gomes Visensis, Gomesius Calagurritanus, Joannes Pampilonensis, Petrus Lucensis, Crescónius Irensis. Canones tredecim protulere, qui per Legionem, Asturias, Gallæciam, & Portugaliam servarentur. 1. ut unusquisque ex Episcopis Ecclesiarum ministerium cum suis Clericis ordinate teneret in suis sedibus. 2. ut omnes Abbates se, & fratres suos, & Monasteria, & Abbatissæ se, & Moniales suas, & Monasteria secundum Benedictinam regulam moderarentur. 3. ut omnes Ecclesiæ, & Clerici essent sub jure sui Episcopi; nec potestatem aliquam haberent super Ecclesias, aut Clericos laici. Ecclesiæ essent integræ, non divisæ, cum Presbyteris, & Diaconis, ut non sacrificarent cum calice ligneo, vel fictili: & Presbyteri vestes in sacrificio essent Amitus, Alba, Cingulum, Stola, Casula, Manipulus. Vestes Diaconi Amitus, Alba, Cingulum, Stola, Dalmatica, Manipulus. Altaris ara tota lapidea, & ab Episcopis consecrata. Hostia ex frumento sana, & integra. Vinum mundum, & aqua munda, ut inter vinum, hostiam, & aquam Trinitas significaretur. Altare honeste esset indutum, & desuper lineum indumentum mundum. Subtus calicem, & desuper corporale lineum mundum, & integrum. Presbyteri, & Diaconi belli arma non deferrent, semper coronas apertas haberent, barbas raderent; cum mulieribus in domo non habitarent, nisi cum matre, aut sorore, aut amita, aut noverca. Vestimentum iis esset unius coloris, & competens. Presby-

Digitized by Google

teros, & Diaconos hujus Decreti violatores damnarunt Patres, ut ſexaginta ſolidos Epiſcopo ſuo perſolverent, & gradu Eccleſiaſtico carerent.

4. ut omnes Archidiaconi, & Presbyteri juxta Canones vocarent ad pœnitentiam adulteros, inceſtuoſos ſanguine mixtos, fures, homicidas, maleficos, & qui cum animalibus ſe inquinarent, & ſi pœnitere nollent, & ab Eccleſia, & a communione eos ſepararent. 5. ut Archidiaconi tales Clericos conſtitutis quatuor temporibus ad ordines ducerent, qui totum Pſalterium, Hymnos, Cantica, Epiſtolas, Orationes, & Euangelia ſcirent. Presbyteri ad convivia edendi cauſa non accederent. Clerici, ac laici, qui ad defunctorum convivia irent, aliquid boni pro eorum anima facerent; ad quæ tamen convivia pro defuncti anima pauperes, & debiles vocarentur. 6. ut omnes Chriſtiani die Sabbati adveſperacente ad Eccleſiam concurrerent, & Dominica matutina Miſſas, & horas canonicas audirent, opus ſervile non exercerent, nec itinera ſectarentur niſi orationis cauſa, aut mortuos ſepelendi, aut viſitandi infirmos, aut pro Regis ſecreto, aut pro Saracenorum impetu: ut nullus Chriſtianus cum Judæis in una domo maneret, nec cum eis cibum ſumeret. 7. ut omnes Comites, ſeu Maiorini populum ſibi ſubditum juſte regerent, pauperes injuſte non opprimerent, in judicio teſtimonium, niſi præſentium qui viderunt, aut audierunt, non acciperent: & ſi teſtes falſi eſſent convicti, illud ſupplicium acciperent, quod in libro Judicum de falſis teſtibus eſt conſtitutum. 8. ut in Legione, Gallæcia, Aſturiis, & Portugale tale eſſet judicium ſemper, quale erat conſtitutum in Decretis Alphonſi Regis pro homicidio, rauſo, ſayone, aut pro omnibus calumniis. 9. ut tricennium Eccleſiaſticas veritates non includeret; ſed unaquæque Eccleſia juxta Canones, & leges Gothicas omni rempore ſuas veritates recuperaret, ac poſſideret. 10. ut ille qui laboraret vineas, aut terras in contemptione poſitas, colligeret fruges; & poſtea haberet judicium ſuper radicem, & ſi victus eſſet laborator, fruges hæreditatis domino redderet. 11. ut Chriſtiani per omnes

Digitized by Google

ſextas ferias jejunarent, & hora congrua cibo reficerentur; & laborarent. 12. ut ſi quilibet homo pro quacumque culpa ad Eccleſiam confugeret, non auderet aliquis eum inde violenter abſtrahere, nec perſequi infra dextros Eccleſiæ, qui ſunt triginta paſſus; ſed ſublato mortis periculo, & corporis deturpatione, faceret quod lex Gothica jubebat: aliter in anathema incideret, & ſuo Epiſcopo mille ſolidos puriſſimi argenti perſolveret. 13. ut omnes maiores, & minores Regis juſtitiam non contemnerent, Regi obtemperarent, & in decretorum hujuſmodi tranſgreſſores indicta eſt pœna. Chriſtianorum abuſus propter Arabes, quibuſcum erant inter mixti, cauſa fuerat, cur Epiſcopi ii in unum convenerint.

## CAPUT IV.
## *De Luſitaniæ Regibus.*

ALphonſo Magno, de quo ſæculo 9. dictum eſt, anno 912. ab humanis ſublato ſucceſſit Garcias filius ejus primogenitus; tribus annis regnum obtinuit: initio adverſus Saracenos in bellum profectus, gravi eos jactura affecit, in captivitatem redacto Ayola ipſorum regulo, qui tamen cuſtodum incuria effugit. Denique nulla alia re inſigni per Luſitaniam, & ceteras Hiſpanias geſta, Zamoræ fato conceſſit: inde Ovetum delatus ad patrum ſuorum ſepulcrum ibidem tumulatus eſt. Nullo poſt ſe relicto filio hærede, regnum tenuit Ordonius II. ejus frater. Hunc Alphonſus pater adhuc regnans Gallæciæ, & Luſitaniæ præfecerat, & parentis facta felici æmulatione capeſſens ſolers, juſtus, & pius regnum provide gubernabat: Patre adhuc ſuperſtite, collecto ex Gallæcia, & Luſitaniæ parte ſuæ ditionis exercitu, hoſtili agmine in Bæticam uſque perrexit, & aliquantas civitates irrumpens loca campeſtria devaſtavit, plurimis habitatoribus interfectis. Regel civitatem inter omnes Saracenorum occidentales urbes opulentiorem, ac fortiorem pugnando cepit. Cum multo captivorum, & ſpoliorum appa-

Digitized by Google

ratu ad Visensem urbem victor accessit. Deinde regnum jam adeptus Talabricam obsedit, & occisis, qui obsessis in suppetitias venerant, hostibus simul & urbe potitus est; & principem exercitus Cordubensis captivum ducens cum magna præda ad propria reversus est gloriosus.

Post hæc autem tantis vastationibus arctati Arabes, ad Regem Cordubæ Abderamen, & Almotaraph Regem Tingintaniæ miserunt auxilia postulantes, qui nuntio lugubri annuentes agmen coegerunt, & Avolapaz Cordubensis cum multo milite Arabum, & cum alio Rege Tingintaniæ Almotaraph nomine, ad castrum S. Stephani in Dorii ripa pervenerunt. Quod audiens Ordonius, Christianorum exercitu composito, occurrit, prælio prostratos delevit, Regem Ulit, & Almohabat ducem magnum, & alios duces interfecit, ceteros aut occidit, aut captos possedit. A Maurorum expugnatione quiescere impatiens copias congregavit, & ultra Emeritensem urbem profectus est: totam Lusitaniam, quæ Maurorum erat imperio, horrifero impetu depopulatus castrum Colubri cepit, a Chaldæis Alhania nominabatur, occisis barbaris, eorum mulieres, & parvulos ferens cum immenso auri, & argenti, sericorum indumentorum pondere domum repetiit. Omnes Emeritenses Regi Badiosæ obviam facti pacem supplicarunt, multaque illi munera obtulerunt. Legionem veniens, & grates Deo impendens Episcopos convocavit, coram iis, & Magnatibus ibi Episcopalem cathedram collocavit in maiori Ecclesia Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli: ad Ecclesiæ dotem possessiones varias cumulavit, & in ea communi favore Principum a duodecim Pontificibus fuit diademate insignitus, & unctus.

Rex Cordubensis tantum suæ gentis interitum nimis dolens Ordonii regnum invasit; cui ille occurrit, & felici prælio prostravit. Abderamen cum magna suorum multitudine, & Africæ, quos conduxerat, Gallæciam ingressus est, sed malo exitu: quapropter Lusitaniam petiit, & ferro, igneque debellans, Portugale accessit, ubi Hermenegildus Comes S. Rodesindi avus sedem fixerat. Ordonius Hermene-

Digitized by Google

gildo opem ferens cum Saracenorum exercitu certamen conſeruit; cum per totam diem fortiter dimicaſſent, neuter victor, neuterque victus fuit, ſed utrique ad ſua redierunt cum jactura. Poſt hæc cum Mauri Navarrorum fines adirent, Garcias Sanctii filius eos nequiens tolerare Regi Ordonio nuntiavit, qui confeſtim cum copiis in auxilium properavit. Cumque in valle *Juncaria* ſibi adinvicem exercitus obviam fierent, multi ex Chriſtianis corruerunt. Duo Epiſcopi patria Luſitani Dulcidius Salmaticenſis, & Hermogius Tudenſis tunc fuerunt ab Saracenis capti, & pro iſto Hermogio datus eſt obſes ſobrinus ejus S. Pelagius patria Colimbrienſis, qui poſtea, ut infra dicetur, fuit Martyr; Dulcidius quoque dato obſide fuit liberatus. Ordonius autem eventu commotus ex ſuis agmina diſpoſuit, & Arabum terram, quæ Sintilia dicebatur, ingreſſus ſtrages, & plurimas cædes egit, plurima oppida gladio obtinuit. Zamoram rediens victor uxorem ſuam Muninam Domnam, quæ & Geloira etiam vocabatur, ex qua orti ei erant duo filii Alphonſus, & Ranimirus, defunctam invenit, & plus de morte conjugis eſt contriſtatus, quam de victoriis jucundatus.

Ordonio Regi a Joanne X. Romano Pontifice Janellus Presbyter miſſus eſt in Hiſpaniam legatus; S. Jacobi religione per omnes nationes pervulgata, & Siſnandi Epiſcopi Compoſtellani virtutum celeberrima fama, Pontifex, miſſo viro idoneo cum literis, preces communicari petiit, ut Apoſtolo propitiato opem vivens, & moriens impetraret. Siſnandus per Jannellum Romam redeuntem Pontifici obſequium detulit; & Ordonius literas cum muneribus adjunxit. Cum perſuaſum Romanis eſſet in Gothicis precationibus multa eſſe depravata, inſolentes ſacrorum ritus, atque opiniones de religione diſcrepantes invectas, Janellus in Hiſpanias Sedis Apoſtolicæ Legatus reverſus in eam curam incubuit, Eccleſiaſticos libros conquiſitos diligenter excuſſit, atque in ritu quamvis diverſo, contra quam ſuſpicabatur, omnia religioni conſentire deprehendit; Romamque cum Ordonii Legatis rediens Pontifici viſa, cognitaque coram Patribus

rei

Digitized by Google

retulit; qui attente discutientes, quid mutarent, aut improbarent, non invenerunt. Regis legati multis libris, qui Romæ clausi detinebantur, Hispanias repetierunt, nec dictu facile est, quo gaudio, amoreque ab omnibus in patria suscepti fuerint, quod de suæ fidei veritate, ac religione essent certi.

Post Munimæ mortem Ordonius aliam duxit uxorem ex Gallæciæ partibus Argontam nomine S. Rudesindi consanguineam, quam tamen repudiavit; sed pro repudio condigne Rex satisfecit; & ipsa in Monasterio *Salcede* in Gallæcia virtutum exemplis clara obiit. Tot belli decora fraude in Castellæ Comites Ordonius offuscavit; invidiæ stimulis percitus, quod majores gererent spiritus, & a ditione sua, ac legibus amoveri viderentur, velle se stimulat de Republica, & summis totius regni rebus consilia cum illis communicare, ad locum, qui *Tegulare* dicitur, in ripa fluvii Carrionis advocavit: venerunt ad eum Nunius Ferdinandi, Almondar Albus, & filius ejus Didacus, & Ferdinandus Ansuri filius, nemineque conscio, consiliariis exceptis, cepit eos, & in vinculis Legionem adduxit, ac in carcere detentos post aliquod tempus jussit occidi. Inde Garciæ Enieci Navarræ Regi fœderatus ejus filiam Sanctiam matrimonio suscepit; & novos Castellanorum motus veritus ad arma parabatur, in quorum apparatu Zamoræ ex morbo extinctus est anno salutis 923. & in Ecclesia Cathedrali sepultus est. Episcopatus duos in codice pervetusto instituisse fertur Legionensem, ac Mindonienſem in Gallæcia, & plura Monasteria donationibus locupletasse. Ex Argonta, & Sanctia nullum reliquit filium, ex Munima Sanctium, Alphonsum, & Ranimirum, Garciam, & Ximenam, ex qua illustrissimam dos *Telles*, & *Menezes* in Lusitania familiam ortum suum duxisse traditur; & singularem illius regiæ fœminæ eventum non est cur silentio prætermittam, si Comiti D. Petro in sua historia fides est adhibenda.

Ximena cujusdam regni optimatis amore insano flagrans tempore, quo Ordonius extra urbem regiam in exercitu com-



Digitized by Google

morabatur, patris domum deserere statuit cum optimate nuptias celebratura. Uterque desideriis cessit, noctu pretiosa suppellectile onusti per montium, & nemorum latebras, qua exploratoribus nulla esset via, fugam arripuere. Sed juvenis veritus pœnam, quæ ipsi, si in Regis manus incideret, parabatur; eam in solitudine dereliquit non amplius visurus. Quid faceret, quid cogitaret infelix adolescentula! lacrymæ, quibus genæ tumebant, satis non erant suæ atræ sorti dealbandæ: jam jam ab aliqno se inventam, & in parentis irati potestatem adductam existimabat, & famæ suæ jacturam, ac vitæ dispendium certa credebat. Oppidum in valle situm, quod *Menezes* appellabant, terrore percussa petiit; Agricolæ Telles nomine domum adiit; & se in famulam vellet accipere rogavit. Agricolæ ita placuit illustris fœminæ famulatus, ut conjuge sua orbatus, Ximenæ connubio jungeretur: & ex ipsa duos filios susciperet. Ordonius recuperandæ filiæ spem omnem amiserat: quodam die inter venandum fortuito ad domum Telles accessit ab venatione requiem respiratum. Ximena parentem agnovit: ast Ordonius licet matris, ac filiorum pulchritudinem miraretur, de suo sanguine eformatos nec credebat, nec opinabatur. Cibum petiit, quem Regi gratum filia ministravit; & in ferculo annulum fortasse posuit, quem pater olim ei in amoris tesseram tradiderat. Annulum agnovit Princeps: eventum explorat de se ipso anxius, & de Ximena filia jam certus, quam ad pedes in lacrymis evolutam, & veniam deprecantem cernebat, magis dubitabat, an parceret inventæ puellæ, an illatam injuriam vindicaret. Suos consuluit; & eorum consilium amplexus Ximenam, Telles, ac filios in regiam urbem secum adtulit, honoribus Principum dignis cumulavit, primis regni Magnatibus adscripsit, qui Telles de Menezes nomenclatura in posterum insigniti sunt.

Ordonii regnum frater Froila invasit: hic ex uxore sua Munina dona liberos genuit Alphonsum, Ordonium, Ranimirum, & alium ex concubina, cujus nomen ignorarunt Auctores. Nihil memorandum gessit. Id temporis Castellani

propter Ordonii ſcelus in Comites ſuos admiſſum a fide Legionenſium Regum defecerunt, rempublicam novam inſtituerunt, atque ex proceribus ſuis duos judices communi ſuffragio crearunt; quorum alter de rebus civilibus, alter de bellicis cognoſceret. Lepra percuſſus Froila inglorius obiit; & cum ejus filii nondum per ætatem regno apti eſſent, ab regni magnatibus Alphonſo IV. Ordonii filio regnandi ſumma delata eſt. Alphonſus ad ſolium evectus Luſitaniæ fratrem ſuum Ranimirum præfecit, qui apud Viſeum ſedem ſuam collocavit, & eo conſilio Luſitaniæ ditionem moderabatur, ut omnibus amori eſſet. Poſtquam per annos quinque Alphonſus regnum adminiſtraſſet, levitate magis, quam pietate commotus ſe regno abdicare intendit; & cum ejus filius Ordonius ex uxore Ximena regno non eſſet maturus, Ranimirum vocavit ei ſceptrum commiſſurus. Ranimirus Viſeo Zamoram properavit, Alphonſus regnum ei ceſſit monaſticam vitam ad Divi Facundi profeſſus.

Verum poſtea pœnitentia ductus ad regnum amiſſum aſpiravit; quod civilis diſſidii cauſa fuit, aliis Alphonſum, aliis Ranimirum in Regem appetentibus: dum civile bellum fovebatur; Saraceni Chriſtianis prælio ademerunt Lamecum, Brigantiam, Portugale, & terræ tractum, quæ intra Tagum, ac Durium excurrit. Quapropter Ranimirus Alphonſum, & Froilæ filios Alphonſo adhærentes carceri mancipavit, ac excæcavit: ſed pœnitens Monaſterium Divo Juliano ſacrum prope Legionem extruxit, in quo iis, quandiu vixerunt, omnia neceſſaria benigne ſuppeditabat. Regni initio infeſtis copiis Toletanos agros ingreſſus, Madritum cepit, muris exuit, ac ſpoliis onuſtus cum captivorum multitudine ad propria rediit. Anno 934. ſolis deliquium hora integra ſecunda poſt meridiem denſa caligine terras involvit; poſtea eodem anno ſolis lumen pallido colore eſt mutatum; hiatus in cœlo viſus: ſtellæ inuſitata ſpecie ad Auſtri plagam cadentes, exuſtæ terræ occulta ſyderum vi, aliaque Numenis iracundiam protendentia. Chriſtiani ad templa ſe contulerunt precibus Dei clementiam impetratu-

Digitized by Google

ri; Mauri quoque Meſquitas ſuas adierunt, Augureſque conſuluerunt, qui tot portentorum effectus fore indicarunt Regum Chriſtianorum infelicitatem, mortem, ac eorum imperii extinctionem.

Abderramen Cordubæ Rex Augurum reſponſis ſtimulatus agmen paravit Ranimiri ditionem invaſurus: Almanſor ejus exercitus dux magno exercitu, quem ex Africa traduxerat, in Luſitaniam ſe recepit, ubi incredibili tormentorum apparatu Chriſtianos eſt perſequutus. Viros obtruncabat, fœminis mamillas abſcindebat, parvulos lapidibus obruebat. Quod Ranimirus indigniſſime ferens exercitum compoſuit, cui omnes Luſitani bello apti ſeſe commiſerunt adverſus hoſtes pro patria certaturi. Certamen eſt initum, & pro Chriſtianis S. Jacobus pugnare viſus eſt, quamobrem in regni ſui protectorem Apoſtolum huncce Ranimirus elegit. Bellis iis confectis, totus ad pietatis ſtudia ſe convertit: plurima Monaſteria condidit, alia donationibus ditavit, inter quæ fuit S. Salvatoris, ac S. Mariæ in loco de *Guimaraës* ſub Abbatiſſa Muma Duña; cujus donationis verba excri-

*In Catalogo Epiſcop. Portug. P. 1. cap 13.*

pſit D. Rodericus da Cunha: *Ego ſervus Ranimirus tua diſpoſitione huic regno indeptus, elegi ex magnificentia noſtra tribuere in locum S. Salvatoris, & S. Mariæ ſemper Virginis in loco prædicto Vimaranes, ut conteſtarem tibi conlaca mea Muma Dumma, villa noſtra propria Mellares, quæ eſt juxta amne Durio cum ſuos villares, per terminibus antiquis utramque ripa Durio &c. Facta ſeries teſtamenti XV. Kalendas Junii Era DCCCCLXXXVIIII.*

Ranimirus Ovetum orationis cauſa profectus in morbum fatalem incidit, unde in Legionem delatus, & Eccleſiæ Sacramentis munitus, abdicato regno, quod a fratre ſuſceperat, in hæc verba prorumpens cum lacrymis: *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus revertar illuc: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciet mihi homo*: animam Creatori ſuo reddidit. Ex Taraſia Florentina Elia Sancii Abarca Navarrorum Regis filios habuit Sanctium, Veremundum, Ordonium, & Elviram. Sepultus eſt in Mo-

Digitized by Google

naſterio S. Salvatoris Legionenſi cum uxore ſua Taraſia. Inter fabulas a quibuſdam numeratur hiſtoria, quæ de confícta Ranimiri uxore Urraca fertur, & de Zara ſorore Alboazar Arabis in Luſitania reguli a Ranimiro ipſo non tantum cæco amore petita, verum & conjugio copulata. Ranimirum Taraſiam duxiſſe uxorem norunt omnes; Urracam vero ſibi junxiſſe certo non conſtat. Fortaſſe Zaram pulchritudine captus adamaverit, & ex concubitu, qui ſibi non licebat, Alboazarum Ramires, & Domnam Artidam Ramires genuerit, quæ Nonio Raſuræ nupta eſt; Alboazar vero Helenam Godinam conjugem accepit, ex quorum matrimonio orti ſunt Traſtamirus, & Ervigius, ex quibus originem ducunt Luſitaniæ illuſtres familiæ dos Cunhas, Mellos, Monis, & Ataides.

Patris defuncti regnum ſuſcepit Ordonius III. quem Sanctius frater auxilio Regis Navarræ avunculi, & Ferdinandi Gundiſalvi Caſtellæ Comitis fretus regno ſpoliare intendit. Sed conſiliis non ſuccedentibus, Ordonius rem indignam iniquo animo tulit, Urracam conjugem Comitis filiam repudiavit, eique Elviram ſuperduxit, ex qua Veremundum Podagricum genuit. Gallæcos rebelles, ac Sanctii fratris partibus faventes ad ſuas reduxit: inde Luſitaniam ingreſſus Chriſtianorum terras præſidiis communivit, & quæ ſub Maurorum erant poteſtate, ſuo imperio ſubjugavit: ad Olyſiponem uſque exercitum duxit; eam obſedit, & poſtea conſerto prælio oppugnans non tantum cepit, ſed etiam ſpoliavit, & nudatam fere dereliquit. Zamoræ tandem mortuus eſt, & Legione humatus eſt.

Ordonio III. ſucceſſit Ordonius IV. Filius Alphonſi IV. cui Ordonio malitia ſua, & cognomentum mali indidit, & regnum pariter cum vita ademit; ſiquidem a Sanctio Craſſo non longe a Corduba occiſus fertur. Huic nulli adſcribuntur anni, quia neque legitimus regni ſucceſſor, & alioquin tam malus, indignus judicatus eſt, qui inter Reges poneretur. Sanctius filius Ranimiri, & Ordonii III. frater tantæ pinguedinis impatiens, cum ad eam levandam nihil intenta-

Digitized by Google

tum reliquiſſet, ex conſilio Garciæ Regis Navaræ ad Abderramenen Cordubæ Regem facta cum eo pace profectus, atque honorifice ſuſceptus inter experimenta Medicorum, quorum erat apud Abderramenen magna turba, virtute cujuſdam herbæ ſanatus, atque macer factus eſt. Poſtea rediens multas ab eo copias in opem accepit regnum recuperaturus, quod Ordonius malus a Caſtellæ Comite adjutus invaſerat.

Id temporis Gallæcia ſuorum diſſidiis turbabatur; Sanctius Gallæcos rebelles ad Durium uſque domuit, & domitorum duces in Luſitaniam relegavit; & ipſi Comitem, ſeu alio nomine Conſulem Gundiſalvum præfecit: qui cum rebellium exulum copiis adverſus Sanctium ipſum ad Durium profectus eſt. Cum Rex Comitem bello petiturus videretur, ille ſupplex ad Regem acceſſit, ſeque, & omnia ſua illius fidei dedit ad omnia imperata ſemper præſto ſe fore pollicitus. Aliud tamen ore, ac fronte præ ſe ferebat, aliud pectore abſcondebat. Poſtquam veræ, ſinceræque Regis benevolentiæ indicia ſuſceperat, omne divinum, ac humanum jus prætergreſſus venenum Sanctio in pomo propinavit: quod ubi Sanctius hauſit, mortem properare ſentiens Legionem venit, ſed tertio poſt die in itinere obiit, & in Legionenſi S. Salvatoris Eccleſia juxta Patrem ſepultus eſt. Populus de ſui Regis mortis crimine Luſitaniæ optimates incuſavit, qui ut innocentes ſe oſtenderent, Gundiſalvum duello provocarunt. Domnus Froila Vermius ei obviam factus apud Salas prope Portugale conſerto certamine ipſum occidit.

Sanctio patri ſucceſſit D. Ranimirus ejus filius ex conjuge D. Taraſia: pacem iniit cum Alhaca Abderramenis filio. Hujus regno Normanni duce Gunderico Rege ſuo claſſe centum navium Gallæciam ingreſſi totam regionem, præſertim circa Compoſtellam, miſere devaſtarunt. Cum præda, & captivis onuſti ad naves in patriam redituri accederent, Gundiſalvus Comes cum Luſitanorum, & Gallæcorum exercitu eos oppreſſit, una omnes cum Rege ſuo occidit. Etiam Ranimiro Rege, Vaſconum claſſis cum duce Mo-

Digitized by Google

nisio Viegas, & fratre ejus Sesnando, qui postea fuit Portugalensis Episcopus, ad Gayæ littora accessit adversus Mauros bellatura. Colimbria tunc Legionis Regi parebat, sed ejus accolæ adeo cum Mauris fœdus obierant, ut unus populus, & una gens videretur. Sed sub Alcorrexi Hispalis Rege omnino ruptum est; nam ille potenti agmine Lusitaniam invasit, Colimbriam omnia depopulans pervenit, inde Minio prætergresso, Compostellam adiit; & peste superveniente, qua milites multi perierunt, ad sua reverti coactus est. Comites Castellæ cum adversus Ranimirum insurgerent Veremundum Ordonii III. filium Regem acclamantes, Ranimirus Veremundum, & ipsi faventes bello petiit; per integrum diem prœliatum est, neuter tamen victor, aut victus fuit. Colimbria nec Sanctio, nec Veremundo opem ferebat; a Præfecto suo Gundisalvo Monis Lusitaniæ Dynasta regebatur. Propter domesticam Hispanorum discordiam Mahometes Ibne Abehamur, cui sub tutela erat Hissem Rex Cordubæ, cum iis fœdus olim factum dirupit, & cum exercitu Lusitaniam venit. Ranimirus id temporis absque liberis obiit legione: & Veremundus regnum ad se devolutum adeptus est.

Abehamur, qui se Almansorem, ideſt defensorem jussit appellari, omnia devastabat; & quod memoratu indignum, Comes Véla, non aliter ac Comes Julianus quondam, Mauris opem suppeditavit. Primæ Lusitaniæ civitates, & oppida barbarorum ferrum, & ignem senserunt: Colimbria post longam obsidionem tandem cessit, Portugale, ac Bracara statim in hostium manus sine conflictu se tradidit: Britonia diu restitit; sed incredibili vi oppugnata, Almansoris indignationem passa, accolis suis interfectis, solo æquata est: pari Britoniæ fortuna Viseum, & Lamecum civitates in Beirensi provincia diremptæ sunt. Ecclesias, oppida, villas, domos, omnia miserando incendio impius deformavit. Vastata Lusitania a Durio ad Algarbium usque, dux barbarus populabundus in Legionem tramiit; ad Asturæ fluminis ripam, quo Legio in Asturibus abluitur castra posuit. Veremundus viribus imparibus,

Digitized by Google

raptim congregato exercitu, quo plurimi Luſitaniæ optimates confluxerunt, ſubitum in hoſtes impetum fecit: tumultus potius, quam pugna fuit; plerique inermes ceciderunt. Veremundus apud Ovetum ſe recepit morbo podagrico præpeditus. Almanſor vero Legioni capiendæ totus inſiſtebat; dum fere per annum oppugnaſſet, in porta occidentali prima irruptio facta eſt, quarta die poſt hoc ſecunda irruptio juxta portam meridionalem. Tunc Guillelmus Gundiſalvi Cuſitanus Colimbriæ Dynaſta, quem Veremundus exercitui ſuo præpoſuerat, graviter ægrotabat, ſed audiens murum effractum ad locum periculi armatum ſe deferri juſſit, ut mortem prius ſubiret ille, quam periculum civitas. Irruentibus igitur Saracenis idem Comes cæſus eſt, & civitas fuit occupata.

Inde Gallæciam ingreſſus Almanſor S. Jacobi Eccleſiam vaſtaturus, fulgure territus eſt, ab eoque loco, ubi eſſe Apoſtoli corpus credebatur, abſtinuit, quod violare intenderat. Nihil ominus campanas minores in triumphi ſignum ſecum tulit, & in Meſquita Cordubenſi pro lampadibus ſuſpendit. Almanſor enim cum militibus a Deo percuſſus pro ſacrilegio dignam ſubiit ultionem, immunda ſui plaga, videlicet dyſenteria, fere totus exercitus eſt conſumptus, reliqui ſubito perierunt. Quod agnoſcens Veremundus miſit copias peditum expeditas, qui imbelles, ac ægrotos in montanis facile trucidarunt. Et ita Almanſor eo ulcere ad propria redire coactus eſt. Rex Veremundus Garciæ Ferdinandi Comiti Caſtellano, & Garciæ Temuloſo Navarræ Regi legatos miſit, ut injuriarum non recordantes ad agenda bella fidei fœderati convenirent. Qui ſimul convenientes in loco Alcantanazor Almanſor venienti cum ſuo exertitu occurrerunt: & cum ſe mutuis cladibus impetiiſſent, major Agarenorum pars cecidit, noctis tamen tenebris advenientibus, neuter neutri campum ceſſit. Unde noctu fugam arripiens Almanſor dolore vexatus animam exhalavit, poſtquam viginti ſex annos Chriſtianis formidabilis imperium exercuit. Eodem anno Veremundus a podagra, qua graviter torquebatur, extremum

vitæ

Digitized by Google

vitæ clausit, peccatis pœnitentia expiatis, in oppido Berizo, ubi sepultus, & paulo post a filio Legionem translatus, & communi cum uxore Elvira sepulcro tumulatus est.

Veremundi Regis solium occupavit ejus filius Alphonsus V. nondum quinque ætatis annos egressus: ejus infantiæ optimis disciplinis imbuendæ consulebant Domnus Menendes Gondisalvi, & Domna Maior ex Gallæciæ, ac Lusitaniæ primoribus. Interea Lusitaniæ Christiani oppida, & civitates, quas Saraceni bello vastaverant, studio incredibili recuperabant. Domnus Alboazar Ramires filius Regis Ranimiri II. ex Zara cum Optimatum copiis Inter-Duriominiensem provinciam Saracenis omnibus nudavit; inde omnes etiam impendit vires ex Transmontana, ac Beirensi provincia eosdem projecturus: Brigantiam, & quamplurima alia oppida iis ademit; ut merito Christianæ religionis per Portugaliam restaurator appellari mereatur. Ejus filii Domnus Trastamirus, & Domnus Hermiron strenui in præliis parentis erant comites: Trastamirus natu maior apud Montem maiorem non longe a Colimbria sedem, & sua castra fixit inde Mauris obviam iturus. Domnus Hermiron junior in Transmontana provincia Saracenos exagitabat. Alphonsus pravo ductus consilio, cum esset puer, Tarasiam sororem suam cuidam Abdalæ Saraceno Regi Toleti uxorem dedit, ut ei auxilium præstaret contra Regem Cordubæ. Ipsa autem sancta fœmina renuens suasit Abdalæ, ne eam tangeret, alias Christus filius Dei illum percuteret. Rex vero barbarus ridens eam amplecti conatus est, sed illico ab Angelo fuit percussus quasi ad mortem. Quare vocatis familiaribus, virginem auro, argento, ac pretiosis vestibus onustam ad Legionem remisit, quæ in Monasterio S. Pelagii vitam calibem egit. Apud Viseum in Lusitania civitatem, quæ Arabum erat, & quam tenebat obsessam a sagitta cujusdam Saraceni lethaliter fuit transfixus Alphonsus, ac vitam finivit: & inde ad Legionem translatus est. Ex Elvira uxore filios habuit Veremundum, & Sanctiam.

*Roderic. Sanctius P. 3. Hist or Hisp. c. 23.*

Veremundus hujus nominis III. filius Alphonsi V. in pa-



Digitized by Google

rentis locum ſuffectus eſt. Sanctiam ſororem ſuam in uxorem dedit Infanti Garſiæ filio Sanctii Comitis, & Domini Caſtellæ, qui proditione fuit Legione interfectus; & poſt hujus mortem deſponſata eſt Ferdinando filio Sanctii. Inter Veremundum, & Ferdinandum exortum eſt diſſidium, in prælium venerunt, cumque apud Carrionem ad invicem pugnarent, Veremundus victus periit ſine liberis, quapropter Ferdinandus Alphonſi V. gener Legionis, Gallæciæ, & Luſitaniæ partis regna hæres adeptus eſt. Ferdinandus optimus princeps, & bellicoſus erat. Cum tranquillitate ſecura gauderet, congregato exercitu proceſſit, ut Portugaliæ, & Luſitaniæ partem occuparet, quæ tunc Arabum poteſtate detinebatur. Primo ingreſſu, cæſis plurimis, cepit Senam, eo pacto ut incolæ remanerent, & eſſent ſubditi ſub tributo. Inde Viſeum veniens obſedit eam, ſed quia civitas multis ſagittariis abundabat, Rex exploratis ingreſſibus, præcepit urbis januas ab armatis, & fortibus obſervari, & propter ſagittarum inſtantiam præcepit aſſeres clypeis ſuperponi, ne impugnantes a ſagittariis læderentur, & duplex lignum ſagittarum impetus hebetaret. Poſt civitatem fortiter oppugnatam, & coactam obtinuit, habitatores cepit, ac interfecit, & cum inventus eſſet ſagittarius ille, qui in alia obſidione ſocerum ſuum occiderat Alphonſum, eum captum juſſit Rex oculis, manibus, & pede altero orbari: poſtea *Geiſam*, *S. Martini oppidum*, *& Travancam*, *& Penalviam* ſubjugavit. Inde profectus eſt Lamecum, & quamvis loci difficultate inexpugnabilis videretur, caſtris tamen ligneis, & diverſis machinis oppreſſa illico capta eſt, accolas, ac divitias occupavit, partem habitatorum interfecit, partem, ut Eccleſias diruptas reſarcirent, reſervavit.

His peractis Colimbriam maiorem præ iis Luſitaniæ civitatem impugnare intendit, & ad petendum cœleſte ſubſidium Beati Jacobi Eccleſiam viſitavit, quo implorato, adverſus Colimbriam exercitum congregavit, ubi fixis tentoriis circumquaque machinas, & caſtra lignea poſuit. Sed quod civitas fortitudine, & magnitudine excelleret,

Digitized by Google

obſidionem contigit diutius protendi. Laurbanienſes Monachi id temporis manuum labori inſiſtentes, theſauros frumenti, hordei, millii, & ſiliginis, inſciis Arabibus, conſervarant, hæc omnia proprio victui ſubtrahentes. Verum quia protracta obſidio victualibus carebat, de receſſu ab omnibus agebatur. Sed monachi audientes occurrunt, & quæ a multo tempore conſervarant, Regi, ac obſidioni obtulerunt: quibus victualibus exercitus refocillatus urbi impugnandæ virilius incubuerunt, donec Mauri obſeſſi ſame, & pugna vexati viribus elanguidis defecerunt. Quapropter Chriſtiani machinis undique graſſantes auxilio B. Jacobi civitatis muros irruperunt: quo viſo, Arabes ſe, & omnia ſua Ferdinando tradiderunt, vitam tantummodo deprecantes, quod Regis clementiæ placuit. In obſidione opem inſignem ſuppeditavit Rodericus Didacus de Bivar, quem Cidi Campiatoris cognomine vocant; & a Ferdinando apud Colimbriam Eques fertur exornatus. Captæ urbi præfecit Rex Seſnandum Comitem, aut Conſulem jam ſuæ gratiæ, & honori reſtitutum, qui olim exul adhæſerat Abenadab Arabum Regi, & contra Chriſticolas Luſitaniam habitantes vaſtationes exercuerat.

Seſnandus Colimbriæ præfectus Maurorum, quibuſcum degerat, moribus inſtructus, omnes ſuas vires impendit eos fatigaturus: adverſus eos, qui in Colimbriæ circuitu erant, bellum indixit, & eo exitu, ut Abudab Leirenæ dominus vir potens, ac bellicoſus Ferdinando ſe vectigalem traderet. Poſt aliquot annos Benalfagi Extrematuræ Luſitanæ Princeps Montem maiorem communiri curavit inde adverſus Colimbriam incurſiones facturus; ſed Ferdinandus hæc audiens Cidum Rodericum Didacum de Bivar cum exercitu deſtinavit, qui poſt exantlatos in ſame, & itinerum periculis labores ad Montem maiorem tandem acceſſit, obſedit, & muris quaſſatis, habitatores in Ferdinandi dominatum redegit. Ferdinandus jam ſenectute confectus vitam ſuam bonis operibus, ac Deo gratis dedicavit. Eccleſias plurimas, ac Monaſteria poſſeſſionibus, & donariis locupletavit. Nec

Digitized by Google

minus Regina Sanctia ejus uxor bonis, & piis operibus abundabat. Morti ex ægritudine jam proximus exutus regalibus ornamentis pro venia exoravit, & ab Episcopis pœnitentia, & sacra Unctione receptis, indutus cilicio, & conspersus cinere duobus diebus in pœnitentia, & lacrymis supervixit. Ne post mortem de regno filii decertarent, ipse vivens regnum divisit, Sanctio maiori natu dedit a flumine Pisorica Castellam, Anagarum, & Iberum: Alphonso Legionem, Asturias, & Trasmeram usque ad flumen, quod dicitur Ove: Garciæ Gallæciam, cum ea Lusitaniæ parte, quam Mauris ademerat; filiabus Urracæ, & Geloiræ, seu Elviræ Zamoram, & Taurum. Omnes coram patre juramento fuere obstricti, ne post illius mortem de regno ita diviso contenderent: diu tamen in pace non extiterunt.

Garcias Portugaliæ Rex post patris mortem regnandi, & maioris dominii cupiditate affectus arma movere conatus est adversus Elviram sororem suam Tauri Dominam: Sanctius occurrit non tam sororis jura vindicaturus, quam a fratribus suis regna sibi lucraturus. Rodericum Didacum Bivar equitem consilio id temporis dignum consuluit, de Hispaniarum regnis recuperandis conatus suos exposuit; cui Cidus renuit in ejus memoriam revocans juramentum ab ipso Patri præstitum. Ast Sanctius nullo consilio a cogitatis cum posset dimoveri, Alphonsum fratrem Legionis Regem adiit per ejus ditionem in Garciæ regnum iter petitum: post multa inter sermocinandum transacta, tandem Sanctii placitis annuit Alphonsus. Collectis militibus Gallæcos, Lusitanos, ac Regem Garciam impetiit; & licet ab Garcia fratre in custodiam esset in bello ejectus, periculum tamen evasit; & forte eversa Garciam in prælio devicit, & occidit; quamvis alii credant Garciam ab Alphonso fratre compedibus ferreis illigatum in custodia periisse, & iisdem compedibus in Ecclesia S. Isidori Legionensi fuisse sepultum. Sic obiit Lusitaniæ Rex, qui primus Portugaliæ dictus est.

Sanctius dignum factis vitæ finem sortitus est, a Vellido Dolfo per insidias fuit interemptus. Alphonsus cogna-

Digitized by Google

mine VI. cum jam Legionis, & Aſturum regna ſuſcepiſſet, a fratris obitu obtinuit & Caſtellam, & Portugaliam; Toletum longa obſidione cepit, eandemque Chriſtianis incolendam dedit. A Ferdinandi I. tempore ad Alphonſi uſque Portugaliæ regimen Comitibus erat, ſeu Conſulibus a Rege præpoſitis. Colimbria Seſnando erat, & ex quodam Colimbrienſis Sedis monumento hæc conſtant: *Tempore illo, quo Rex Sereniſſimus Dominus Fernandus, ego Conſul Seſnandus accepi ab illo poteſtatem Colimbriæ, & omnium civitatum, ſive caſtellorum, quæ ſunt in omni circuitu ejus, S. ex Lameco uſque ad mare per aquam Durii uſque ad omnes terminos, quos Chriſtiani ad Auſtrum poſſident, quæ ille gladio, & Regali dominatione, adjuvante Deo, abſtulit Saracenis, & reſtituit Chriſtianis, deditque ſupradictus Rex mihi ſupradictam terram ad ædificandum, & populandum, & faciendum cuncta quæ mihi bene viſa fuerint: & ut omnia, quæ ego mandavero, & firmavero, ſint firma, & bene ſtabilita in omnibus ſæculorum temporibus. Poſt mortem igitur ſupradicti Regis obtinuit regnum glorioſiſſimus filius ejus Rex Dominus Alphonſus, qui omnia quæ mihi ſuus pater mandaverat, confirmavit, & coram comitibus, & cunctis maioribus ſui palatii ſcriptum privilegium roboravit. Itaque ego ſupradictus Seſnandus auctoritate regia fretus facio chartam fruitctis tibi Roderico Presbytero &c.* Sandoval in chronico Regis Ferdinandi Seſnandum hunc Colimbriæ Conſulem Iriæ fuiſſe Epiſcopum eſt opinatus; ſed ex Eccleſiæ Colimbrienſis ſcripturis fit palam ducem, & equitem fuiſſe ſæcularem. In donationis charta a Petro Eccleſiæ S. Martini prope Colimbriam facta id legitur: *In diebus illis erexit ipſe honorificus Rex principem ibi magnum Ducem, & Conſulem fidelem, dominum Seſnandum.*

Portugale, & quidquid intra Durium, & Minium protrahitur ſub Domno Moninho Hermigues regimine erat: Arouca ſub Memio Monis, qui Seſnando Colimbriæ Comiti etiam parebat; Lancobriga ſub Ega Monis. Id conſtat ex

Digitized by Google

ſcriptura Lucendi Presbyteri ad Domnam Todam Viegas, quæ in Monaſterii Araductæ archivo cuſtoditur: *Facta ſeries die quod erit Kal. Aprilis era M.CXII. regnante Adefonſo Principe in tota Hiſpania, in Colimbria Conſule Seſnando, in Portugale Monido Ermiguez, mandantes Arouca, & terra de S. Maria, Menendus Monis, & Egas Monis, in ſede Colimbriæ Mauricius.* Ad Aquas Flavias in Tranſmontana provincia Comes erat Rodericus Velaſques, cujus nomen in libro fidei Bracarenſis Eccleſiæ ſic legitur: *Facta charta Era MCXXIII. Kal. Auguſti regnante illuſtriſſimo Rege Alphonſo in Legionenſi, mandante Flavias Comite Roderico Velaſci &c.* Non eſt cur inter Portugaliæ veteres optimates ſilentio prætermittatur Nunus Menendi, quem Luſitani omnes & amore, & veneratione proſequebantur, utpote qui bello, & pace ceteris eminebat. De ipſo Gothorum Hiſtoria refert: *Era MC.VIIII. Kal. Februar. Portugalenſes commiſerunt prælium adverſus Regem Domnum Garciam, filium Regis Domni Ferdinandi, habebantque tunc caput in ipſo bello Comitem Nuno Menendi: periit ipſe ibi, & cuncti alii ſui fugerunt. Obtinuit Rex de illis victoriam in loco, qui dicitur Petrozo inter Bracaram, & fluvium Cavado.* Ex eadem Gothorum hiſtoria Era 1054. Bracaræ Comes erat Alvitus Nunis.

Poſt Seſnandi mortem ab Alphonſo Rege Colimbriæ præfectus eſt Martinus Monis, cui Seſnandi filia Elvira nomine nupta erat. Id conſtat ex libro cenſuum Colimbriæ civitatis Alphonſi tempore 22. Aprilis anno Domini 1093. *Ego Martinus Munionis præſes Conimbricæ, & gener Conſulis Domni Seſnandi, qui pro eo in ejus locum ſucceſſi, hoc quod domino meo Imperatori complacuit confirmo, & obſervare veraciter promitto.* Seſnandi memoria permanet in Monaſterio S. Georgii Canonicorum Regularium, in cujus veteri Eccleſia ſepulcrum erat columnis erectum, in quo Seſnandi filii pueruli corpus humatum fuerat, & ex illius Monaſterii archivi fragmento quodam id conſtat. De S. Georgii miraculo erga Seſnandum inter venandum ibidem facto ſer-

Digitized by Google

mo erit, cum de cœnobii illius conditione. Seſnandi corpus in atrio Colimbrienſis Sedis ad parietem conditum hactenus inſpicitur. In Gothorum Hiſtoria fertur Era 1131. die 2. Kalendas Maii Sabbato hora nona Colimbriæ Conſule Martino, captam fuiſſe ab Alphonſo Sanctarenam: eademque hebdomada pridie Nonas Maii ab eodem Mauris fuiſſe ademptam Olyſiponem, & poſtea idibus Maii Cintriam. Cum extra Hiſpanias tot Alphonſi victoriarum fama volitaret, Principes Raimundus Burgundii, Raimundus Toloſæ, & Henricus, qui poſtea Portugaliæ dominatum geſſit, Hiſpanias petierunt ſub Alphonſi vexillis adverſus Mauros præliaturi; Rex principibus de ſuis meritis congratulatus filias dedit in conjuges. Alphonſus enim maſculum filium non genuit, ſed ex uxoribus, quas habuit, plures filias poſt ſe reliquit. Raimundum, cui Urracam filiam uxorem deſtinavit, juxta Gothorum Hiſtoriam locis a ſe captis in Luſitania præpoſuit Alphonſus, & ſub ejus nomine Suarium Menendi Luſitanum Equitem id temporis non tam in Hiſpaniis, quam Romæ inſignem, qui Romanum Equitem de Imperatorum jure in Hiſpaniarum regna contendentem Romæ duello occidit, & inde Luſitaniam reverſus Bonus cognominari meritus, omnis terræ tractus, quæ Maia nominatur, a Durio uſque ad Limiam dominatum geſſit. Ex donationis ſcriptura in gratiam Tructeſindi Abbatis, & Montis maioris incolarum, quæ in libro teſtamentosum Monaſterii S. Crucis in ejuſdem archivo legitur, Era 1133. Raimundus Comes Colimbriæ præerat. Non Raimundum tantum in generum elegit Alphonſus, verum & bene de ipſo meritum Henricum, qui Taraſiam Regis filiam uxorem duxit, ex quibus Portugaliæ Reges oriuntur. Antequã de Illuſtriſſimo Comite Henrico ſermo fiat, donationis lex a Raimundo Montis maioris accolis lata exſcribatur.

*In nomine Patris, & Filii videlicet, & Spiritus Sancti, cui regnum, & imperium permanet in ſæcula ſæculorum. Ego enim honorabili ortu nobilis Comes Domo Raimundus una cum dilectiſſima conjuge mea Urraca nomine*

*filia Adefonſi Toletani Imperatoris vobis cunctis populatoribus de Monte majore, qui prius ad peſuriam veniſtis nomine Zalamæ Godini, David Petri, Alvito Petri, Suario Adefonſo, brandiæ baleſteiro, item Suario Tetonis presbytero, Ero Cidi, Abbati Tructeſindo, & ceteris commorantibus ibi, qui ad peſuriam veniſtis in Domino ſalutem. Mignus eſt titulus donationis, in quo nemo poteſt actum largitatis interrumpere neque extra legem facere, ſed quidquid donatur, vel offertur ſemper convenit accipere, quia ita valet donatio ſicut & emptio, & hujus noſtræ voluntatis conſenſus libenti, & grato animo nobis convenit, ut vobis ſupra nominatis faceremus chartam donationis, & facimus de propria noſtra hæreditate, quam vocitant Montem majorem, ut ab hac die illi, qui in eodem loco ad peſuriam veniſtis damus, & concedimus vobis cortes, hæreditates, vineas, terras, & ortas & exitus, intus, & exterius per ſuos antiquos terminos, ut ab hodierna die poſſideatis jure hæreditario ita vobis concedimus, & abſolvimus. Adjicimus, & damus Zalamæ Godini illam villam Miram cum ſuis terminis quomodo dividitur per aquam de Varzenela, & ex alia parte per Sanctum Romanum, & idem per littora maris, & unum molinum quod eſt in illum fontem de Caraboi, quæ omnia uſque in hodiernum diem in atondo, & preſtamo tenuit, ſimiliter ſicut illi ſupra in ſcripto hæreditates concedimus iia vobis omnibus hominibus poſſeſſoribus affirmamus ſicut ſupra cõmemoravimus, damus, & libenti animo concedimus, ut de hodie habeatis, & poſſideatis, vendatis, & donetis, & faciatis quidquid in veſtra fuerit voluntate, vos, & filii veſtri, vel nepotes veſtri, & omnis poſteritas veſtra per nunquam finienda ſæcula. Sub tali vero tenore vobis hoc datum & progenie veſtræ facimus, ut ſemper nobis, & omni poſteritati noſtræ ſubditi, & fideles ſitis abſque omni fraude, & ingenio. Et ſi hoc vos, aut filii veſtri, vel nepotes veſtri, aut poſteritas veſtra nobis, & filiis noſtris, aut progenie noſtræ fraudaverit, & de hoc mentioſus fuerit,*

Digitized by Google

*rit, licentiam habeamus accipiendi prædictas hæreditates... Si aliquis ex noſtra progenie, vel aliena hoc factum noſtrum, & datum infringere conatus fuerit, quiſquis fuerit qui talia egerit, primitus ſit excommunicatus, & anathematiſatus, & quantum infringerit duplet, & factum noſtrum uſque in finem ſæculi ſemper plenum habeat robur: facta charta donationis, & confirmationis die 5. Kalendas Martii currente Era MCXXXIII. regnante, & imperante Toleto Domno Adefonſo; Domino adjuvante, & auxiliante, ego Comes Raimundus totius Gallæciæ Princeps, & Dominus hoc meum datum.*

# CAPUT V.

## *De Sereniſſimo Comite Domno Henrico Portugaliæ Domino.*

HEnricus anno 1035. fertur in lucem prodiiſſe. De ejus origine variæ ſunt opiniones. Alii Panonium Hungariæ ſcilicet Regis filium; alii Græcum ex Conſtantinopolitanorum Imperatorum ſanguine ortum, plures Lotharingum dicunt. Duardus Nonius Leo ſcripſit Henricum patrem habuiſſe Guidonem Comitem Vernolienſem, & Brionenſem, Reginaldi, & Aliſæ Comitum Burgundiæ filium, Guillelmi Comitis Burgundiæ fratrem. Auctores Galli fere omnes Hiſtoriæ fragmentis enixi a Monacho Floriacenſi ejuſdem Henrici ſincrono ſcriptis, & pralo cuſis Francofurti anno 1596. certo adferunt Henricum fuiſſe filium Henrici Burgundiæ ex Sybilla uxore, nepotem Roberti I. Burgundiæ Ducis, & pronepotem Roberti Galliarum Regis. Is ad bellum ſacrum tendens, in Hiſpaniam appulit adverſus Chriſtianæ religionis hoſtes præliatum, & Alphonſum VI. Caſtellæ Regem in præliis plurimis juvit. Illi vero propter ſanguinis claritatem, & res præclare geſtas Alphonſus Taraſiam filiam locavit, Portugaliamque nomine dotis, & jure clientelæ dedit, illud ſcilicet, quod intra fines Interamnis Provinciæ,

*Lib. de ver. Regum Portug. Genealog.*



Digitized by Google

Lameci, Colimbriæ; & Viſei continebatur, & tractum quoque illum Gallæciæ, qui Ultramontanus dicitur, cum jure recuperandi eam Luſitaniæ partem, quæ a Mauris poſſidebatur uſque ad Algarbium, & ultra.

Clientelæ tamen jus erga Alphonſum ſocerum tantum Henrico fuiſſe, nec alios Hiſpaniarum reges poſt Alphonſi VI. mortem obtinuiſſe facile conjectatur. Ex libro pervetuſto Colimbrienſis Sedis tranſcripta eſt Alphonſi Epiſtola ad Henricum in hujus clientelæ indicium: *Alphonſus Dei gratia Imperator vobis dilectiſſimo filio meo Comiti Domno Henrico in Domino ſalutem. Venit ad me querela de ipſo Epiſcopo de Colimbria de villa Volpeliares, quæ eſt ſub teſtamento de ſuo Monaſterio de Vacarica, quam habent minus, & dicunt mihi, quia ego dedi illam ad Dominum Cipricanum, ſed non venit mihi in mente, & quanvis ego eam dediſſem, ſi in teſtamento erat de illo Monaſterio, ego nec autorigo, nec autorigabo eam, ſed vos quantum mihi bene quæritis cauſam de illa Sede, & de illos Monaſterios inderenzate illas. Valete.* Rodericus Toletanus Antiſtes ait Henricum Alphonſi ſoceri ſui tempore cum gente ſua ad exercitū, & ad Curiam venire ſolitū, ſed Alphonſum benigne tamquam conſanguineo, & affini, licet improvide, detuliſſe. Poſt Alphonſi VI. obitum nullum eſt inter Auctores monumentum, quod clientelam hanc Luſitanorum Principum valeat commonſtrare.

*Lib. 7. de rcb. Hiſp. c. 3.*

De Taraſiæ Henrici uxore Auctores quoque concentant. Alii, neſcio, an Luſitanis minus æqui ex Alphonſi concubina Ximena Munione natam aiunt; quos etiam ſequutus eſt Duardus Nonius in libro de vera Geneologia Portugaliæ Regum, quamvis palinodiam ſuam poſtea decantaret. Eruditus Andreas Rezendius tradidit apud ſe fuiſſe chronicon Hiſpanica vetuſta lingua factum ſeptuaginta annos ante Rodericum Toletanum, in quo eadem Ximena minime concubina, ſed juſta uxor, & Regina diſerte perhibetur. Pelagii Ovetenſis Epiſcopi ſæculi 12. auctoritas in ſuas partes adduxit plurimos; ait enim ad calcem Hiſtoriæ: *Habuit*

*De Antiquit. Luſit. l. 4 de Orientenſi agro.*

Digitized by Google

(Alphonſus) *etiam duas concubinas, tamen nobiliſſimam priorem Ximenam Munioni, ex qua genuit Geloiram uxorem Comitis Raimundi Toloſani patris ex ea Adefonſi Jordanis, & Taraſiam uxorem Henrici Comitis patris ex ea Urracæ, Geloiræ, & Adefonſi. Poſteriorem nomine Çaidam filiam Abenhabet Regis Hiſpalenſis, quæ baptiſata Eliſabeth fuit vocata, ex hac genuit Sanctium, qui obiit in lite de Oclés.* Sed propterea non uxor Ximena, quæ Alphonſi vidui dicitur concubina? Temporibus iis non adeo turpe erat concubinæ nomen, quale nunc abhorremus. Juſtinianus Novella 18. cap. 5. quaſdam concubinas comparat quodammodo uxoribus, quæ ſine dotalium tabularum ſolemnitate ductæ fuerant: ad quod genus referendum eſt quod ſcribit Mag. P. Auguſtinus in lib. de bono conjugali, & notatum a me eſt ad Concilium Toletanum 1. cap. 17. poterat aliquo modo dici nuptias eſſe, & connubium, quanvis ſic habitam non appellarent uxorem; quia non intervenerant inſtrumenta dotalia, & alia, quæ jure Civili, & Canonico requirebantur, ut eſſet legitima uxor. Gratianum vide notantem, & declarantem Canones *Omnibus, & Chriſtiano* Diſt. 34. nec non eruditum virum D. Joſephum Barboza Clericum Regularem in Catalogo Portugalenſium Reginarum.

Licet Alphonſus Imperator Ximenam matrimonio locaret; illicitum quidem, & irritum erat, utpote quod cum conſanguinea uxoris ſuæ defunctæ contractum: quapropter Gregorius VII. Romanus Pontifex ad Alphonſum literas miſit, ut connubium illud propter impedimentum penitus reſpueret: cujus Epiſtolæ ante Eminentiſſimum de Aguirre meminit Fr. Prudentius de Sandoval Pampilonenſis Epiſcopus. Aſt ſeparato matrimonio illo in facie Eccleſiæ contracto, Taraſia ex eo genita erat legitima, ſicut poſtea anno 1180. decidit Alexander III. cap. 2. *Qui filii ſint legitimi.* Hinc non tantum Rodericus Toletanus, verum & deceptus eſt Auctor epitaphii ad Domnæ Ximenæ ſepulcrum deſcripti, quod Fr. Antonius Jepes publici juris fecit.

*In chronic. Alphonſi VI.*

Digitized by Google

*Quam Deus a pœna defendat dicta Ximena*
*Alphonſi vidui Regis amica fui*
*Copia, forma, gentes, dos morum, cultus amœnus,*
*Me Regnatoris proſtituere thoris.*
*Me ſimul, & Regem mortis perſolvere legem,*
*Facta coegerunt, quæ....*
*Ter dennis demptis, ſuper hæc mille ducentis,*
*Quatuor eripies quæ fuit Era....*

Ex archivo Monaſterii de Arouca Fr. Antonius Brandaõ monumentum eduxit, ex quo fit certum Kalendis Decembris Era 1133. anno ſcilicet Chriſti 1094. Colimbriæ Henricum Comitem jam præeſſe. Cardinalis de Aguirre in lucem edidit Epiſtolam Raymundi Gallæciæ, & Henrici Portugaliæ Comitum ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem anno Chriſti 1093. qua miſerunt exemplar fœderis amicitiæ inter ſe initæ, & pactorum de partienda ſucceſſione ſoceri ſui Alphonſi Caſtellæ, & Legionis Regis: ex haecce Epiſtola, & Henrici jus in Caſtellæ, ac Legionis regna procuranda, & ipſius conjugium cum Tharaſia ante annum 1094. ſatis prædicatur. De itinere Henrici Hieroſolymitano belli cauſa Urbani II. Romani Pontificis delectu non contemnenda lis eſt inter Auctores non tam Luſitanos ipſos, quam exteros: aliis, inter quos Duardus Nonius, non inerme eſt argumentum Auctorum ſilentium, qui Henricum prætermittunt, quem prætermiſiſſe non eſt creditum inter alios Principes, qui in idem bellum profecti ſunt. Fleury ad annum 1096. refert Principes, qui Jeroſolymas petierunt, fuiſſe Hugonem Galliarum Regis fratrem, Robertum Normandiæ Ducem Angliæ Regis fratrem, Stephanum Comitem de Blès, Raimundum Toloſæ Comitem Alphonſi VI. generum, Gothofredum Lotharingiæ cum fratribus ſuis Bauduino, & Euſtachio: & Henricum Comitem Portugaliæ Dominum omnino ſilentio præterit. Sed veluti conſtans omnium noſtrûm per manus traditio eſt, licet quo anno incertum, Henricum Hieroſolymas a barbarorum tyrannide vindicaſſe.

Henricus, Portugaliæ dominatu obtento, apud Vima-

Digitized by Google

ranum Curiæ ſedem collocavit, comitia convocavit, legeſque municipales ejuſdem villæ accolis promulgavit, quas ex libro pervetuſtis characteribus in membranis manuſcripto in Monaſterii S. Crucis archivo diligenter cuſtodito, & hoc extrinſecus inſcripto titulo *dos foraes das Terras de Portugal* fideliter tranſcripſi: *In Dei nomine. Ego Comite D. Henrico una pariter cum uxore mea Infante D. Taraſia placuit nobis pro bona pace, & pro bona voluntate, quod facimus chartam de bonos foros ad vos homines, qui veniſtis populare in Vimaranes, & ad illos, qui ibi habitare voluerint uſque in finem. In* 1. *de quocumque de domos veſtras in anno rendatis XII. D. de illa feſta de S. Andrea uſque ad alia feſta de S. Andrea, & de veſtros bancos ubi venditis carnes XII. D. De cavalo, & de equa vendere XII. D. De Aſino VI. D. De Trouxelo, qui venerit in cavalo, aut in equa XII. D. De Trouxelo de Aſino VI. D. De Pedone III. D. De pelle conelia III. D. De Manto II. D. De Capa II. D. De Saja II. D. De Bove, aut de Vaca II. D. De Capra, aut de Ove I. D. De Porco, aut de Porca I. D. De Bragale I. D. De coiro de Bove, aut de Vaca I. D. Et de nulla re, quæ ſe venderit per minus de XII. D. non prendant por talibus, & qui percuſſerit cum pugno clauſo reddat XII. D. de manu extenta V. ſolidos; pro effuſione ſanguinis VII. ſolidos M. De Arma extenta pro ire fora de caza LX. ſolidos; pro ferida per quæ cadat VII. M. veſtro ganado, quì fuerit ad paſcendum foras nemo in illum mittat manum ſuam pro mala voluntate ſine judicio. Nullo homine de Vimaranes in tota noſtra terra non ſit pignoratus niſi debitorem, aut fidei juſſorem; & quì illum pignoraverit, pectabit nobis quingentos ſolidos, & dabit illud aver duplatum ad Dominum ſuum, & qui vendiderit, aut comparaverit nullo aver in Vimaranes ante illo conſilio habeat illum libere. Et nemo ſit auſus poſtea, qui illum requirat per male, ſed reddat ſuo portatico, quomodo ſcriptum eſt. Et nullo cavallario non habeat pauſadam in Vimaranes niſi per amorem Domini ſui. Et*

Digitized by Google

*nullum ſagionem non ſit auſus intrare in caza de Burgis pro mala voluntate, ſed ſi habuerit ibi per directum pectat fiadorem, quod faciat ei directum, in V. ſolidos; & ille Burgis, qui fecerit calupmniam mittat fiadorem ad ille ſagionem in V. ſolidos, quod faciat directum ante illum judicem, qui erectum fuerit de concilio: & ille judex judicet rectum judicium inter illo ſagionem, & ille Burgis, qui illam calupmniam fecerit; & ſi illo ſagione intraverit in caza de illo de Burgis per male ſuper iſtum pactum, & ibi occiſus fuerit non pectet ipſam calupmniam. Et ſi occiſus fuerit per occaſione pectet CCC. ſolidos. Et homines de Vimaranes tam longe vadant in appellido, quo modo una die poſſint ire, & in ipſo die revertere. Et ſi duos homines, aut plus intra ſe rixam habuerint, & de pugno, aut de palma, aut de fuſte ſe percuſſerint, aut de capillis tractis non habeat ibi ſagionem calupmniam: ergo ſi ſe clamaverint unum de illis, & ſi clamorem non fecerint, non requirat inde nullam calupmniam ſagionem. Et qui iſtos foros frangerint, ſint maledicti a Deo, & excommunicati, & cum Juda Traditore, & cum diabolo, & Angelis ejus in inferno dapmnati in ſæcula ſæculorum. Amen. Ego Comite Henrico, & uxor mea Infanta D. Taraſia in hac charta manu noſtra roboravimus, Menendus Presbyter qui notavit.*

Era 1135, anno ſcilicet Chriſti 1097. Henricus Compoſtellam ad S. Jacobum orationis cauſa profectus villam Cornelianam, quæ S. Jacobi Eccleſiæ erat, ſub protectione ſuſcepit, litem inter ejus accolas, & Regis Magiſtratus exortam ſedaturus: en ſuæ protectionis indicium ex Regio archivo: *Glorioſo, & Venerabili patrono noſtro Domino Jacobo, cujus corpus tumulatum digna ſepultura manet in finibus Ameæ. Ego Henricus Comes Portugalenſium pariter cum uxore mea Taraſia Imperatoris Toletani Domni Adefonſi filia, conſentientibus noſtri palatii maioribus, quia in noſtro dominio, & dictæ Eccleſiæ conſiſtit omnis Portugalenſis provincia, huic Apoſtolo fieri hoc commiſ-*

Digitized by Google

*forium, & teſtamenti ſcripturam elegimus, qualiter de noſtra juſſione, & firmo præcepto vitetur omnis penuria ab omnibus habitantibus in villa Corneliana, quam illis inferebant Regii Sagiones in colligendis lignis, & materia, vel exitu, & ſuorum pecorum paſevo, unde dum plerumque dominis, & ſenioribus Apoſtolicæ aulæ fuiſſet prolata querimonia, & nos amore hujus Apoſtoli venientes cauſa orationis, eorum precibus rogati invenimus, quod prædicta villa Corneliana cum medietate de Monte maior, ou Nahor per ſuos terminos antiquos fuit conceſſa a prioribus Regibus ad hunc locum ſanctum, quod nos poſt ejus pietatem, & ſuorum Clericorum ab omni integritate confirmamus. Et quia contra regales villas, & Caſtella noſtra plus habentur nemora, de hodie die in illo noſtro damus licentiam cunctis habitatoribus de ipſa villa, ut colligant ligna, & materiam, & habeant exitum, & paſcua in omni circuitu ubi voluerint, & non ſit auſus aliquis, neque Vicarius, neque Sagion, aut poteſtas, qui impedimentum ei faciat, ut ſecundum ipſi habuerint licitum, ita & nos mereamur in die judicii cum omnibus Sanctis hujus Apoſtoli precibus ſuffulti introire in regna cœlorum. Amen. Facta hujus ſcripturæ confirmatio V. Idus Decembris Eræ M.C.XXXV. Henricus Comes, & conjux mea Taraſia, qui ſunt ibi de Portugali. Suarius Nunici confirmat. Nunius Pelagii confirmat. Pelagius Guterrici confirmat. Rodericus Froilas confirmat. Suarius Menendici confirmat. Pelagius Ollidi confirmat. Veremundus Guterri confirmat. Petrus Alvanici confirmat. Pelagius Godeſteis judex confirmat. Petrus Danielis judex confirmat.*

Echa Martim Arabs Lameci Rex, qui clientelæ jure Henrico Comiti ſubdebatur, anno 1102. clientelam excutere intendit, & exercitu compoſito Chriſtianorum agros depopulabatur: Henricus de Saracenorum audacia certus copias paravit, hoſtemque petiit vindicaturus, obviam factus in valle prope Araductam certamen iniit, in quo non tantum Saraceni milites, verum & ipſemet Rex Echa capti ſunt.

Digitized by Google

Inclytus Comes Mauri Principis injurias oblitus, cum ipsum cerneret non jam Mahometis legibus obstrictum, sed salutari lavacro regeneratum, quanti ad religionem Christianam conversos faceret ostensurus, ante habitum Lameci dominium eidem reliquit, ac servavit. Verum cum Neophytus ille ceteris Mauris gratus non esset, quanvis aliquandiu simularent, adeo novis dissidiis turbati sunt, ut Henricus armis occurreret; & rebellibus subjugatis, inter Portugaliæ optimates Lamecensem tractum divideret.

Era 1145. cum obsessa esset Colimbria ab Hali Aben Joseph Rege transmarino, cujus copias Gothorum historia tradit innumeras soli Deo fuisse cognitas, & viginti diebus gravissime expugnata capi non posset, Henricus Comes cum Portugalensium exercitu opem ferens Mauros in conflictu superavit. Id temporis nescio quod dissidium inter Colimbriæ cives, & Henricum fuerit, quod ipse aliquando præcessisse ad ipsos cives testatus est: *Promittimus non tenere in corde, vel mente malam voluntatem, vel iram de hoc, quod usque nunc usque egistis adversum nos: sed habebimus gratiam, quod collegistis nos, & honorabimus vos, ut melius potuerimus, & neque in vestra re, vel in vestris corporibus habebitis dishonor, vel perdida.* Era 1147. cum Saraceni Alphonsi VI. mortem audirent, cœperunt apud Cintriam in Extrematura Lusitana rebellare, quapropter Henricus cum militibus profectus mense Julio iterum Cintriam subjugavit. Initio sequentis anni Christiani Sanctarenam sese conferentes ibi tentoria ficturi, requieturique, ex improviso a Saracenorum multitudine fuere impetiti, ex quibus plurimi interfecti cum suo duce Suario Fromarigues, cujus nomen insigne infra describetur.

Post Alphonsi mortem, adversus Legionenses, ac Gallæcos arma movit Henricus fortasse soceri hæreditatem uxoris jure sibi vindicaturus. In Gallæcia plura oppida ad Castellum usque de *Lobeira* suæ ditioni mancipavit; & dum Gallæcos bello exagitabat, Rex Arabs Cyrus nomine Extrematuram cum agmine agressus Sanctarenam obsedit, acce-

Digitized by Google

cerit. Anno 1111. Aſturicæ morbo correptus obiit Kalendis Novembris; & in Neucrologio veteri Monaſterii Sanctæ Crucis Colimbrienſis legitur: *Kalendis Novembris obiit Comes Domnus Henricus*. Sepultus eſt Bracaræ cum uxore Taraſia in ſummo templo juxta aram maximam, quo illos D. Jacobus de Souza Archiepiſcopus Bracarenſis vir pietate, ac nobilitate præditus ex humili ſacello ejuſdem templi tranſtulit anno 1513. Eccleſias Cathedrales, nec non alias quamplurimas a Saracenis dirutas ſuis ſumptibus erexit. Callixtus II. in Epiſtola ad Pelagium Archiepiſcopum Bracarenſem meminit Henricum, ac ejus uxorem Taraſiam urbem Bracaram cum *Cauto* integro eidem Eccleſiæ contuliſſe. Fr. Antonius Brandaõ ex Arce Olyſiponenſi do *Tombo* prælo torqueri curavit aliam eorumdem Principum donationem in gratiam Eccleſiæ, ac Monaſterii S. Mariæ de Charitate in Galliarum regno. Ex Taraſia uxore ſuſtulit Alphonſum Henricum primum Portugaliæ Regem, cujus ortum, mores, & ceteras præſtantiſſimi Principis dotes ad ſæculum 12. deſcribam: tres etiam ſuſcepit filias, Urracam, quæ Veremundo Comiti Traſtamaræ, & Sanctiam, quæ Ferdinando Menendo Brigantiæ Domino in Gallæcia nupſerunt, & Taraſiam, quam ipſemet citatus Brandaõ Domno Sanctio Nunes de Barboza nuptam opinatur. Ex concubina habuit Petrum Alphonſum bello ſtrenuum, Equitem Ordinis Avizienſis Magnum Magiſtrum primum; cui dignam poſterorum memoriam ſuo loco calamus contexet. Nunc tantum dicam Petrum Alphonſum ab aliis immerito Regis Alphonſi, & non Comitis Henrici illegitimum filium exiſtimari; iiſque opinamenti ſuiſſe originem Epitaphium, quod ad ejus ſepulcrum in Alcobacenſi Monaſterio ſic erat inſcriptum.

*Monarch. Luſit. P. 3. lib. 8. c. 23.*

HIC REQUIESCIT DOMINUS PETRUS ALPHONSI ALCOBATIÆ MONACHUS F. DOMINI ALPHONSI ILLUSTRISSIMI PRIMI REGIS PORTUGALIÆ. EJUS LABORE, ET INDUSTRIA LOCUS ISTE CISTERCIENSI ORDI-



Digitized by Google

NI, VIDELICET HUIC LOCO DE ALCOBATIA FUIT DATUS IN ERA 1185. QUO ANNO CEPIT REX ALPHONSUS PRIMUS PORTUGALIÆ SANCTARENAM, QUEM DOMINUM PETRUM ALPHONSUM DE CLAUSTRA ALCOBATIÆ, UBI PRIUS FUERAT SEPULTUS IN DIE S. JOANNIS BAPTISTÆ IN ERA 1331. DOMINICUS ABBAS TRANSTULIT IN HUNC LOCUM.

*Monarch. Lusit. cap. 33.* Fr. Antonius Brandaõ per literam F. Petrum Alphonsum non fratrem, sed filium Venerabilis Regis Alphonsi existimavit, suamque tulit sententiam, contra quam fere omnes veteres scriptores anteiverant. Inter quos Divum Bernardum Claravalensem Abbatem referre opus sit, qui in literis ad Alphonsum Regem de Portugaliæ regni investitura Petrum Alphonsi fratrem nominavit: *Petrus celsitudinis vestræ frater, & omni gloria dignus a vobis injuncta retulit, & Gallia armis peragata in Lotharingia militat, proxime militaturus Domino exercituum.* Id etiam palam fit ex novo Epitaphio ad ejusdem Principis sepulcrum.

DOMNUS PETRUS ALPHONSUS ALCOBATIÆ MONACHUS ALPHONSI REGIS FRATER OBIIT ANNO CHRISTI 1175. DIE 9. MAII, QUEM B. DOMENICUS HUJUS MONASTERII ABBAS E CLUSTRO VETERI AD HUNC LOCUM TRANSTULIT ANNO 1293. SED OB NOVI SACRARII, AC RETABULI OPUS POSITUS EST HIC LAPIS ANNO 1678.

Nec soli Araducæ leges municipales dedit Henricus, verum & Colimbriæ. & aliis oppidis; quæ in regii Monasterii S. Crucis archivo asservantur, & palam facio.

Digitized by Google

# Colimbriæ Liber Cenſualis, ſeu Leges Municipales.

*IN Dei nomine placuit mihi Camiti Henrico, & uxori meæ Taraſiæ Regis Domni Alphonſi filiæ, vobis qui Colimbriæ eſtis maioribus, & junioribus cujuſcumque ſitis in ea morantibus Kartam facere firmitatis vobis, & filiis veſtris, & progeniis, de ſtabilitate veſtra, & foro, atque ſervitio nunquam faciatis vobis ſenaram, & de preda de foſſato non detis nobis pluſquam quintam partem, & azaga, & vobis remaneant duas, & de azena nobis quintam partem, vobis quatuor abſque ulla alcaidaria, ſiquis emerit vineam a tributario ſit libera, & ſi acceperit prius ad jugum uxorem tributarii omnem hæreditatem, quam habuerit ſit libera, & tributarius ſi potuerit eſſe miles, habeat morem militum. Milites quot jugerios potuerint habere in hæreditate ſua, quam habuerint intus Colimbria, vel extra, tam in villis, quam in munitionibus, habeant illos libera in ſuo ſervitio, & non introeat vias rapinam, vel homicidium. Et ſi aliquis militem venerit in ſenectute, ut non poſſit militare, quandiu vixerit, ſit in honore militum; & ſi miles obierit, uxor, quæ remanſerit ſit honorata uti in diebus mariti ſui, & nullus eam, vel filiam alicui accipiat in conjugem ſine voluntate ſua, & parentum ſuorum, ... non eat domum alicui ſigillari, ſed ſi aliquis fecerit aliquid illicitum veniat in concilium, & judicium recte. Judex, & Alcaido ſint vobis ex naturalibus Colimbriæ, & ſint poſiti ſine offretione. Clerici Colimbriæ habeant morem, & honorem militum in vineis, & terris, & domibus: & ſi alicui militum obierit equus, & non potuerit emere alterum, debemus ei dare, & ſi non dederimus, eſtet honoratus donec poſſit habere unde emat. Infanzom non habeat in Colimbria domum, vel vineam, niſi qui voluerit habitare vobiſcum, & ſervire ſi-*

Digitized by Google

*cuti vos. Imllas azenias non detis pluſquam quartam decimam partem ſine offretione. Pedites de ratione, quam ſolebant dare, dent medietatem. Per quartano de ſexdecim alqueires ſive brachio poſito, & tabula; de lino, & vino dent octavam partem. In lagaradiga de vino de quinque quinales inferius dent almude, & ſi ſuperfuerit, dent quartam ſine ulla offretione, & jantar. Nullus miles extraneus introeat domum alicui ſine voluntate domus domini. Si aliquis laborator habuerit munitionem, non faciat eum aliquod fiſcum. Almoqueire faciant unum ſervitium manno, & inter vos non ſit ulla manana. Et ſi aliquis veſtrum voluerit ſervire alio domino, vel ire in aliam terram habeat poteſtatem ſuæ hæreditatis habendi, vendendi, vel donandi ..... ponamus nos medietatem anni, & vos medietatem, non detis portaticum, vel alkavalam, aut cibariam cuſtodibus civitatis vel portæ. Colimbriam nunquam dabo per alkavalam alicui, non introducam mutuum ebraldum Colimbriam. Homines de Bolon dent vobis quartam partem, & nos coruana; promitimus non tener in mente, vel corde malam voluntatem vel iram de hoc quod nunc uſque egiſtis adverſum nos, ſed habebimus gratum quod collegiſtis nos, & honorabimus vos ut melius potuerimus, & neque in veſtra re, vel in veſtris corporibus habebitis deſonor, vel perdida. Ego Henricus, & Taraſia quæ ſcriptum facere juſſimus propriis manibus roboravimus, facientes hæc ſigna. Facta carta ſeptimo Kalendar. Junii Era milleſima centeſima quadrageſima nona. Qui juraverunt quod hic ſcriptum eſt ſervare ſemper cum ſe ſine malo ingenio, imprimis Comes Henricus, & Taraſia. Fernandus Telles. Fafila Luz. Pelagius Pelais. Petrus Gundiſalves. Menendus Venegas. Gomes Nunes. Petrus Pelaiz. Qui præſentes fuerunt omnis ſchola Comitis, & omne concilium Colimbriæ. Tellus Presbyter notavit.*

Digitized by Google

## *Saurii, vulgo Soure Liber Censualis, sive Leges Municipales.*

*IN Dei nomine. Placuit mihi Comiti Henrico, & uxori meæ Regis Domni Alphonsi filiæ Tarasiæ, vobisque in Saurio esiis maioribus, & minoribus facere chartam firmitatis vobis, & qui de vobis geniti fuerint morantibus in Saurio de stabilitate, & foro, atque servitio. Imprimis ut non faciatis nobis nunquam senaram, & de præda de fossato non detis nobis plusquam V. partem, & azaga II. partes vobis remanent duas. Et de azena nobis V. partem, vobis unam sine ulla alquadaria. Siquis militum emerit veneam tributarii sit libera, & si acceperit in conjugium uxorem tributarii hominem hæreditatem qui habuerint, sit libera. Et tributarius si potuit esse miles habeat morem militum. Milites quot jugarios potuerint habere in sua hæreditate, quam habuerint uxores in Saurio, & extra per villas, & munitiones habeant illos liberos in suo servitio, & non introeat in eis rausum, vel homicidium. Et si aliquis militum venit in senectute, ut non possit militare quandiu vixerit sit in honore militum. Si miles obierit, uxor quæ remanserit sit honorata ut in diebus mariti sui, nullusque eam, vel filiam alicui accipiat in conjugium sine voluntate sua, suorumque parentum. Sagion non eat domum alicujus sigillare. Sed si aliquis fecerit aliquid illicitum veniat in concilium, ut judicetur recte. Et si noluerit gratis recipere judicium, recipiat invitus. Judices sint vobis ex naturalibus Sauri; & sint positi sine offretione. Clerici Sauri habeant honorem militum in vineis, & terris, & domibus. Et si alicui militum obierit equus, & non potuerit emere alterum, non dabimus ei; & si non dederimus stet honoratus donec possit habere unde emat. Pedites de ratione quam solebant dare de ciberia dent medietatem. De vino X. partem, & in lagaradiga almude si-*

Digitized by Google

*ne oſtrecione, & jantar. De Montaria non dent ullam cordariam ad alquiade, neque de carne, neque de pelle, neque de melle, neque de cera. Nullus miles extraneus intret domum alicujus ſine voluntate domini ſui. Si aliquis laborator habuerit evictionem non faciat cum ea forum. Et ſi aliquis veſtrum voluerit ſervire alio domino, & vel ire in alia terra habeat poteſtatem ſuæ hæreditatis habendi, vendendi, donandi ... omnes ponamus nos integros per totum annum, & vos omnes ... Non detis vos de Saurio in veſtro caſtello portaticum ullum alkavalam ut cibariam cuſtodibus muri. Numquam dabimus Saurium alicui per offerentem ullum alkavalam. Facta firmitatis charta menſe Junio Era 1149. Nos Henricus, & Tharaſia, & poſteritas noſtra vobis qui in Saurio eſtis, & progeniis veſtris hoc ſcriptum roboravimus, & qui illum fregerit frangatur a Deo. Gandiſalvus Epiſcopus confirmo. Qui præſentes fuerunt Petrus Corrigia. Paulus Suarii, Garcias Eneguis, Egeas Monis, Soarius Venegas, Monio Venegas, Egeas Spina, Gomes Oſorius, item tempore Pelaici Menendi Venegas, Gomes Monis, Faſiæ Luci, Pelagius Pelagii, Egas Gundeſendus, & concilio de Monte majore, & de Saurio, & ſcola Comitis. Tellus Presbyter notavit.*

## *Liber Cenſualis Zalatanes, ſive Leges Municipales.*

„ IN Chriſti nomine. Ego Comite Henricus una cum
„ conſenſu coujugia mea Taraſia magni Regis Alphonſi
„ Toletani Imperatoris filia placuit nobis ut faceremus vo-
„ bis de Zalatane qui habitabis intus, & foris in villas, &
„ populationes de Zalatane, ut demus vobis forum bonum,
„ pro cap. & honore, quod feciſtis ſuper nos primo, & col-
„ legiſtis nos in veſtra caſa, proinde ponimus vobis foro per
„ ubi andetis, & non exeatis de illo, nec vos, nec ſemini
„ veſtro, qui laboraverit cum uno bove donet unum modio,

Digitized by Google

„ & cum jugo duos modios, & ſedeat de iſtos modios terti-
„ am de trico, & duas partes de ſevada, & ſedeat per illa
„ medita, quam antea habuiſtis, quando ibi populaſtis, &
„ de vino ſexta, & de lino ſexta, & favas ſexta. Et qui fue-
„ rit caballario, & migraverit, & mulier, aut filios de illo
„ remanſerit, ut ſedeat ſua hæreditate in ſua caza honora-
„ ta a foro de caballario, & ſi illi caballum migraverit uſ-
„ que in tres annos. Et ſi pedone migraverit ſic viro quam
„ mulier, qui hæreditate habuerit ut laxet illam a ſua po-
„ teſtate, aut vendat, aut donet, aut faciat de illam ſuam
„ voluntatem, & ſi calupmniam fecit, ut veniant quatuor,
„ aut quinque de illos bonos homines, qui levatos fuerint
„ de concilio, & judicent illam cum veſtro judice, & quan-
„ to judicaverint ſedeant ſtabile. Et de montatico de mora-
„ da donet unum conelium, & de peias duos lombos. Hoc
„ mandamus, & auctorizamus, & ſi nos, aut ſemini noſtro
„ hunc noſtrum forum irrumpere voluerit, quiſquis ille fue-
„ rit, qui talia commiſit, ſedeat excommunicatus, & lepra
„ a pranta pedis uſque ad verticem capitis, & cum Juda
„ Traditore habeat pœnas in æterno barathro. Facta cartu-
„ la notum die ſeptimo Idus Maii Era 1149. Ego Comite
„ Henrico hanc cartulam juſſi fieri, & manu mea robo-
„ ravi. Ego Taraſia confirmo, Menendes Venegas continens
„ Sanctam ✠. In Sede Colimbriæ Epiſcopus Gundiſalvus
„ Egeas Goſendus continens varam confirmo. Egeas Nunis
„ continens S. Martini confirmo. Pro teſtibus Petrus Petri,
„ Gomes Nunis continens S. Chriſtofoni confirmo. Pelagius
„ Munis continens Penafiel confirmo. Gundiſalvus Pelagius
„ Suarii continens Amaia confirmo. Ferdinandus Ferdinandi
„ continens Lamego confirmo. Et ego Infante Alphonſo fi-
„ lio domini Henrici adjicio in hanc cartulam quod homi-
„ nem qui laboraverit cum uno bove det uno modio, & cum
„ duos boves duos modios, & deinde quantos boves miſerit
„ non det plus de uno bove, aut de duos, qui habet uno
„ bove ſemper det uno modio. Petrus Epiſcopus Comiti no-
„ tarium Eccleſiæ Vimaranes Canonicus notavit. Et adjici-

Digitized by Google

„ mus adhuc in istam cartam ut non demus vobis seniorem, „ nisi qualem vos laudavitis cum judice, aut sagione de ve- „ stra villa, & de vestra gente. Ego infante Alphonsus ad „ vos homines de Zalatane isto foro quomodo pater, & ma- „ ter mea ad vos dederunt in ipso stare. Et ego mando, & „ auctorizo, & qui de illo vos sacaverit sit maledictus, & „ confusus. Amen.„

Hujusmodi erant leges, quibus urbes, oppida, ac villæ Portugalenses regebantur: unicuique enim suus liber erat censualis, non tam vectigalibus earum dominis persolvendis exscriptus, quam litibus, ac judiciis terminandis: res tamen nulla a judicibus terminabatur nisi in urbis, aut oppidi magnatum Concilio ante Rectorem, aut Comitem, qui Tiumphaudus etiam dicebatur: quorum maior suffragiorum pars omnem litem dirimebat. Veterum hanc consuetudinem Fr. Antonius Brandaõ publici juris fecit ex judicio inter Chamoam Ketam, & iplius sororem Adozindam Ketam apud judicem Egeam Gomes, qui territorio *Souzæ*, & *Pombeiro* dominabatur. *Devenimus inde ad concilium hic in cisterio de Palumbaris, ubi Egas Gomisi, & alii multorum nobilium hominum, & providerunt bene in ipso concilio, ut roborassemus unas ab aliis, ut nunquam nobis inquietaremus.* Nec Reges tantum, aut Principes, verum & Comites, ac optimates alii, qui a Regibus, aut Principibus oppidis, aut urbibus præficiebantur, censuales leges condebant. Era 1162. anno Christi 1124. septimo Kalendas Septembris ex eodem Brandaõ Joannes Venegas, & Egeas Gosendes oppido de *Sernancelhe* in Beirensi provincia censuum decreta protulerunt.

Mortuo Henrico, cum Alphonsus regno nondum esset maturus, regni habenas habuit Tarasia, & in regimine Comitis D. Ferdinandi Peres de Trava auctoritate, & consilio usa est. Ferdinandus Colimbriæ tunc Præfectus, & frater D. Bermudi Peres de Trava Tarasiæ generi Reginæ ipsi gratus evaserat, ut regni quasi summa eidem committeretur; eo judice multa dicidebantur; ex monumento Laurbanienses ar-

Digitized by Google

archivi anno 1121. diſſidium inter Gundiſalvum Colimbrienſem Epiſcopum, & Danielem Laurbanii Abbatem compoſitum eſt: *ante illa Regina Dona Taraſia, & Comite Donno Fernando, & judicarunt, ut reliquiſſent illos ipſa villa.* Ex hac Reginæ erga Ferdinandum benevolentia, conſilio, & grato animo pullulavit opinamentum Taraſiam Ferdinando Comiti poſt Henrici obitum eſſe nuptam, quod enixe tuitus eſt Emmanuel de Faria e Souza. Fabulam firmavit donationis ſcriptum ab eadem Regina Taraſia in gratiam Monaſterii *Montis Ramo* in Gallæcia, quam exſcripſit Jepes: *Ego Taraſia bonæ memoriæ Alphonſi Magni Hiſpaniarum Regis filia, magni Comitis Henrici quondam uxor, nunc vero Comitis Ferdinandi, Dei gratia Portugaliæ Regina a mari Oceano uſque ad rivulum Hiſpaliaſium, qui currit inter Tibres, & Guevres... hanc cartam fieri juſſi cum viro meo Comite Fernando Peres, & cum filio meo Alphonſo Henriques propria manu roboravi. Facta carta donationis* 12. *Kalendas Septembris Era* 1162. Achilleum hoc Fariæ argumentum inerme, nulliuſque roboris eſſe ea, qua ſemper ſolitus eſt, eruditione oſtendit D. Joſephus Barboza Clericus Regularis in ſuo catalogo Luſitaniæ Reginarum, ibidem illud ſuppoſitum, non verum, non genuinum eſſe diſſolvit. Ne crambem recoquamus, eum ſtudioſus legat. Tandem Taraſiæ pietatem teſtantur ſatis tot largitiones in Cathedralium Eccleſiarum, ac Monaſteriorum gratiam, quarum alias infra non prætermittam.



Digitized by Google

# CAPUT VI.

## *De Monasteriis Lusitaniæ sæculo* 10. & 11. *Illustrioribus.*

### §. I.

### *De Monasterio Ecclesiolæ Canonicorum Regularium.*

TOt Monasteria anteactis sæculis florere in Lusitania, ut Ægypto Veterum Patrum fœcundissimæ invidere nefas esset. Canonici Regulares, ac Benedictini Monachi, qua Lusitania longe protendebatur, verbo, & exemplo populos instruebant. In Colimbriensi Sede undecimo sæculo sub Paterno Episcopo Canonicam Magni Parentis regulam floruisse testatus est supra Sesnandus Comes in donatione ad eandem Ecclesiam. Inter illustriora cetera, quorum memoria ad nos usque accessit, insigne erat Ecclesiolæ Canonicorum sub Regula Mag. P. Augustini. De illius conditione mutuo certamine contendunt Lusitanarum antiquitatum exploratores optimi. D. Rodericus da Cunha de Portugalensibus Episcopis ait illud sub Hermogio Portugalensi Antistite, & Ordonio II. Gallæciæ ac Legionis Rege anno 950. a Nunio Suarii esse extructum. Illustrissimus Rodericus Infanti D. Petro Regis Dionysii filio, ac Duci de *Barcellos* adhæsit, qui in opere de Optimatum Lusitaniæ Genealogia Nunium Suarii hujus Monasterii conditorem existimaverat. Plura equidem monumenta, quæ in illo archivo servantur, Petri opinionem stabilire præ se videntur. En unum: *Fundator, hujusque Ecclesiolæ conditor fuit Dominus Nunius cognomento Suares.* En aliud ex lapide nuper invento:

V. NONIS MARCII OBIIT DONUS NUNO SUARII PRESBITER ET FUNDATOR ET CANONICUS MONASTERII ECCLESIOLÆ ERA .... N....

Alii pro Suario Fromarigues Nunii Patre fulciun-

Digitized by Google

tur: sed eos potius ipsius Monasterii munificentissimos fuisse largitores, ac benefactores, quam auctores credendum est, utpote quod antea jam extructum ex archivi monumentis certum fiat.

Ex eodem archivo donationis scriptum in Ecclesiolæ gratiam palam facio 15. Kalendas Januarii Era 960. anno Christi 922. a Guterre Abbate, ac ejus fratre Ausindo viris ex Lusitaniæ Primoribus: „In nomine Patris, & Filii, & „Spiritus Sancti, & Individuæ Sanctæ Trinitatis, in honorem Sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quam „omnem suis Martyribus, qui apud eum corpus suum a pœna „tradiderunt, & sanguinem suum effuderunt, ut illis animas suas ante suo conspectu semper fulgeant. Ego Gutierre Abba simul cum fratre meo Ausindus per quos fundabimus Egleſia in villa, quos vocitant Egleſiola inter mons Petrozo, & Sagittela, eque contra littora maris, ubi ipsos eorum reliquiarum ponimus, pro remedio animarum nostrarum concedimus ad ipsum sanctum, & locum prædictum „omnem hæreditatē nostrā, per quos avemos illa de avolinga, sive & de parentela, tan etiam sive, & de comparandela pro tolerantia fratrum, & sororum, qui in ipso logo „habitantes fuerint, sive & Sacerdos de omne genus nostro, „qui bonus fuit, & viam monasticam tenuerint, habeant, „& possideant pro remedio animarum nostrarum sive omne „genus omnino quidquid habitantes fuerint, inde sibi elegerint Abbate, in illorum hæredirates fiant potestatem, & „eos tantum vo. discusse firmiter instante, ut ab omne opus „laigali ipso loco siant separate, & nos semetipsos pro remedio animarum nostrarum ingenue relinquimus ipsas „hæreditates cum omnes suis præstationibus, quæ in se obtinet pomares, vineas, sautis, vel devesis, vel omne molinarum transruptas, vel barbaras, praticis, pascualibus, „exitus montium, & sesigas molinantium, aquis productibus suis, sive & omnia quidquid inde apreſtitum omnis „fuerit in ipsa villa, concedimus ad ipsum logum, & ad Deo „deservientium ministerium Egleſiæ, cruce, calicis, atque

Digitized by Google

„ corone, veſtimenta vero ſacerdotalis, atque diaconalis, „ & libris Eccleſiaſticis, & ſigno, medallis, & totum, & „ omne ornamentum Egleſiæ, quæ ibi concedimus pro re- „ medio animarum noſtrarum, ita ut nam menco ut nemo „ hominem non damus licentiam ad vendere, nec donare, „ ſed in hoc logo prædicto ſervire. Siquis tamen quod fie- „ ri non credimus, & aliquis homo venerit de hæredibus no- „ ſtris, vel de propinquis noſtris, quod de omne ipſas hæ- „ reditates, aut de rebus Egleſiæ ejus inde perſumere, aut „ vendere, aut donare voluerit, & noſtrum factum irrum- „ pere, imprimis ſiat excommunicatus uſque in finem, & cum „ Juda traditore habeat participatio in æterna damnatione, „ ubi eſt pœna non finienda, & damna ſæcularia ſiant ſuper „ afflictum cum diabolo pœna tartareis ignis æterna, & in- „ ſuper pariet ipſumque in hoc teſtamentum reſonat dupli- „ catum, & hunc factum noſtrum in cunctis pleno robore „ habeat ſirmitatem. Facta cartula teſtamenti ſub die, quod „ erit XV. Kalend. Januarii Era DCCCCLX. Ego Gutierre, „ & Auſindus in hac cartula teſtamenti manus noſtras con- „ firmo roboramus. Frarigues Fr. teſt. Benedictus Fr. teſt. „ Gatus Fr. teſt. legei confirmo, Dignus confirmo, Egica con- „ firmo, Gundeſindus teſt. Viſtrarius teſt. Fromarigues teſt. „ Aſcarigus teſt. Romarigus teſt. Gundiſalvo teſt. Berenariæ „ teſt. Gemarigo teſt. Mido teſt. Gotierre teſt. Levigildus „ teſt. Sendinus teſt. Potenzo teſt.„

Eccleſiolæ Monaſterium a Guterre, & Auſindo condi- tum munificentiſſima manu Suarius Fromarigues ex Luſita- niæ Optimatibus id temporis illuſtrior, & Henrico Comiti gratiſſimus locupletavit Era 1131. anno 1093. Suarii Froma- rigues originem, & claritatem Hiſtorici pene omnes Luſi- tani ſatis commendarunt. Apud Lancobrigam morabatur, El- viram Nunes uxorem duxit, ex qua filios novem ſuſcepit Nunium Suarium, Suarium Suarii, Pelagium Suarii, Petrum Suarii, Majoram Suarii, Adoſindam Suarii, Ermiſindam Sua- rii, Todam Suarii, & Salvatorem Suarii, quibus omnibus de largiſſimis muneribus Eccleſiolæ Canonici numquam obliti

Digitized by Google

impense gratulabuntur. Suarii Fromarigues consiliis tam domi, quam militiæ maxime credebat Raimundus Gallæciæ Princeps, & Henricus Comes, ipsumque exercitui præfuerat. Era 1148. cum copiis Scalabim profectus Mauros depopulatum, ab eorum insperata multitudine obsessus Suarius cum magno militum numero est interfectus: ejus corpus ad Ecclesiolam translatum, ibidemque sepultum a nostris conjectatur.

Anno 1093. quo Domnus Flacensius Arcem S. Mariæ Feirensis gubernabat, Suarius Fromarigues aliqua ex suis bonis Ecclesiolæ Monasterio tribuit, & ipsius Ecclesiam in honorem S. Salvatoris a Cresconio Colimbriensi Episcopo dicari fecit: cujus donationem fideliter transcribo: „ In nomi„ ne Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, cujus laus, & gloria „ semper permanet jugis, & in omnibus extat mirabilis; qui „ misericorditer homini donare dignatus est, ex quo Creato„ rem suum humilitus possit honorare, & mente devota pla„ cere ipsi Deo, ac Domino nostro laus, & honor per cuncta „ sæculorum sæcula. Amen. Igitur ego Suarius Fromarigues „ peccatorum more depressus audiens divinæ scripturæ ora„ cula, & adimplere aliquando cupiens Omnipotenti Domi„ no puris mentibus de his, quæ mihi attribuit, redderem, „ evenit per S. Spiraculum cordi meo, ut aliquid ex pauper„ tacula mea conferrem pro remedio animæ meæ in amorem „ Pii, ac Redemptoris Domini nostri Jesus Christi Salvatoris „ mundi, ex cujus nomine vocabulum sumpsit Ecclesia, quæ „ fundata est in villa, quæ vocatur Ecclesiola subtus monte „ Petrozo territorio Portugalensi, de qua ego jam dudum com„ paravi medietatem integram, & postea de alia medietate „ tertiam partem, & rogavi Domnum Crescónium Colimbri„ ensem Episcopum, qui dedicavit eam, & idcirco in ejus „ præsentia, & per illius manus facio dotem testamenti su„ prædictæ Ecclesiæ de hæreditate, in qua fundata est, con„ cedo ei in omni circuitu sexaginta passales integros de mea „ hæreditate, quam ego cambiavi cum aliis meis hæredibus, „ qui acceperunt proinde suas partes in aliis locis. Ego con-

Digitized by Google

„cedo hoc, quod ſupradictum eſt pro remedio animæ meæ,
„& fratrum meorum Gunſalvi Fromarigues, & Tedon Fro-
„marigues, qui jam tranſmigrati ſunt, & me hæreditaverunt;
„& aditio adhuc in teſtamentum de omni hæreditate, quam
„habeo in Villa Real cum omnibus ædificiis ſuis, tres quar-
„tas integras, & in Villa Garſanes quantum ibi habeo de hæ-
„reditate, & de ganantia ab integro offero, & mando ut poſt
„meum obitum detur quinta pars integra de omnibus rebus,
„quas habeo, & habere potuero uſque in horam mortis meæ
„ad ipſam Eccleſiam ad meam partem ibi habeo, & conce-
„do ibi miniſteria, quæ in uſu Eccleſiæ ſunt, ſcilicet ſignum,
„calicem argenteum, & ex libris, & veſtimentis ſecundum
„noſtram poſſibilitatem, domos bene ædificatas, leitos, ca-
„thedras, menſas, cupos, & cupas, & omnia utenſilia, quæ
„neceſſaria ſunt. Iterũ facio iſtam cartam teſtamenti Omni-
„potenti Deo Salvatori noſtro in præſentia Epiſcopi ſupradi-
„cti Domni Creſconii de omni mea parte ſupradictæ Eccle-
„ſiæ cum omnibus beneficiis, quæ in iſto teſtamento reſo-
„nant, ut habeant, & poſſideant ea homines, qui in ea per
„ſanctitatem vixerint ſecundum juſſionem ſacrorum Cano-
„num, & abſque damno laico, ideſt laicali dominio. Si ve-
„ro ex die iſto, & deinceps aliquis vir, aut mulier tam de
„propinquis meis, quam de extraneis hoc meum factum in-
„fringere temptaverit, non ſit ei licentia per ullam aſſertio-
„nem cujuſcumque calliditatis, ſed pro ſola præſumptione
„quantum inde evertere, vel auferre voluerit, tantum de
„ſuis propriis facultatibus quadruplum reddat ſupradictæ Ec-
„cleſiæ, cui injuriam intulerit, & ſeniori patriæ duo auri
„talenta convictus perſolvat, & ſit excommunicatus, & ab
„Eccleſia Catholica ſeparatus, & ab omnibus Chriſtianis ali-
„enus, & a corpore, & ſanguine Chriſti quandiu in hac per-
„tinentia permanſerit ſeparatus, & ſi perſeverans non ſe cor-
„rexerit, ſed in tali voluntate mors illi evenerit, ſit anima
„illius maledicta a Domino Omnipotente, & tradita diabolo,
„& cum Juda traditore Domini ardeat in pœnis inferni per
„omnia ſæculorum ſæcula. Amen. Hoc autem meum teſta-

Digitized by Google

„ mentum plenum obtineat firmitatem per æterna sæculorum
„ tempora. Factum est hoc testamentum dotis in die dedica-
„ tionis supradictæ Ecclesiæ S. Salvatoris V. Nonas Octobris,
„ in Era MCXXXI. in magno concilio virorum, & mulie-
„ rum, qui ad gaudium dedicationis convenerunt. Et ego
„ supradictus Suarius Fromarigues prona mente, atque beni-
„ gna voluntate illud robor✠avi, & Omnipotenti Deo Sal-
„ vatori nostro illud super altare obtuli. Nomina eorum, qui
„ præsentes fuerunt, & nomina sua subscripserunt. Fernan-
„ dus Presbyter, & Monachus, Sesnandus Presbyter, & Mo-
„ nachus, Gudinus Prior Monasterii de Petrozo, Fernandus
„ Presbyter, Ramirus Presbyter, Garcias Presbyter, Ade-
„ fonsus Presbyter, Erus Archidiaconus, Petrus Diaconus,
„ Martinus Lemnus, Sesnandus Diaconus, Flacentius præpo-
„ situs castelli S. Mariæ præsens adfui, Pelagius Fromarigues
„ adfui, Gundisalvus Gundesindus adfui, Menendus Zalamis
„ adfui, Gundisalvus Cedim adfui, Tellus Cedim adfui, &
„ Pelagius Presbyter dictavit, Gundisalvus Presbyter notavit,
„ Cresconius Episcopus ✠.

Era 1170. anno Christi 1132. Bernardus Colimbriensis Episcopus, cujus Diœcesis Durium attingebat, Ecclesiolæ Monasterio, cui Petrus id temporis præerat, Ecclesias ab omni jurisdictione Episcopali immunes delit S. Martini de Argoncilhe, S. Salvatoris de Perosinho, S. Mamedi de Cersedo, S. Martini de Travanca, S. Michaelis de Travasso, & S. Eulaliæ de Eirol. Cum ad annum 1137. Portugalensis Diœcesis ad Lancobrigam usque protraheretur, & Ecclesias S. Martini de Argoncilhe, S. Salvatoris de Perosinho, & S. Michaelis de Cersedo ambitu suo contineret, Joannes Peculiaris, qui Canonicus Regularis Monasterii S. Crucis fuerat, Portugalensis Episcopus jam consecratus, easdem immunes, ac liberas ita firmavit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quam sit necessarium Monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nos officium, quod in regimine cœnobii exhibitum informat; & quia in pluribus Monasteriis multa &*

*Præſulibus præjudicia, atque gravamina Canonicos, ſive Monachos pertuliſſe cognovimus, oportet, ut noſtræ fraternitatis proviſio de futura quiete Canonicorum S. Salvatoris de Eccleſiola, Prioris ſcilicet Truteſindi, & Petri Præpoſiti, & ceterorum tam præſentium, quam futurorum ſalubri diſponat ordine quatenus conveniantes in illo Dei ſervitio gratia ipſius ſuffragante mente libera perſeverent. Extat & aliud, quod ad hujus cautelæ firmamentum nos maxime provocaremur: cum terra de S. Maria Colimbrianæ Diœceſis eſſet, ab Epiſcopo illius Sedis Bernardo talem conſecuti ſunt, ut totam fere terram de S. Maria ſuæ ditioni ſubderent, unde poſtea maxima diſcordia inter præfatum Epiſcopum, & ipſos Canonicos orta eſt. Idcirco ego Joannes gratia Dei Portugalenſis Eccleſiæ humilis Miniſter cum conſenſu meorum Monachorum, ſeu Canonicorum hoc immoderatum quodamodo temperans de reliquo interdico in nomine Domini noſtri Jeſus Chriſti, & ex auctoritate Beati Petri Apoſtolorum Principis, ut nec ego, nec aliquis Epiſcoporum, qui in hac ſede poſt me ſeſſuri ſunt, ſeu aliqua ſæcularis perſona, præſumat de hujus Monaſterii reditibus, hæredibus, terminis, Eccleſiis, his ſcilicet S. Martini de Argoncilhe, S. Salvatoris de Peruſino, S. Mameti de Cerſedo cum ſuis hæredibus, atque Parochianis, quoquomodo, ſeu qualibet occaſione minuere, fraudare, dolos, vel aliquas immiſſiones facere, vel aliquod debitum exigere; quod ſi fecerit Eccleſiaſtica perſona ordinis ſui detrimentum patiatur, & anathematis vinculo tandiu ſubjaceat, donec quod commiſit ipſis Canonicis in duplum componat, & domino terræ aliud tantum. Sæcularis vero anathematiſetur, donec quod rapuit, in quadruplum componat, vel perſolvat, ſed ſiqua forte cauſa inter terram hujus Monaſterii, & terram noſtræ Sedis evenerit, & pacifice non potuerit ordinari apud Patres dominum timentes ſine voluntaria dilatione, mediis ſacroſanctis Euangeliis finiatur. Deſcriptiones quoque rerum, aut cartarum hujus Monaſterii ab Epiſcopo Eccleſiaſticas fieri omnino denegamus.*

Digitized by Google

*mus. Sed ſiqua res exegerit, maior perſona cum aliis fratribus cauſas rerum inventarum faciat, & eorum concilio firma maneat. Obeunte quoque Priore, vel alia qualibet maiori, ſeu minori perſona, in deſcribendis, providendiſque rebus Monaſterii adquiſitis, vel datis, adquirendisve Epiſcopus ſedis hujus nullatenus ſe permiſceat. Miſſas quoque publicas in hoc Monaſterio fieri omnino prohibemus, ne in ſervorum Dei receſſibus, aut eorum receptaculis ulla popularis præbeat occaſio conventus, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum. Nec audeat ibi cathedram collocare, vel quamlibet poteſtatem habere imperandi, ſeu prohibendi, nec aliquam ordinationem quantumvis leviſſimam faciendi niſi a perſona majori hujus Monaſterii fuerit rogatus, quatenus Canonici ſemper maneant in maiorum ſuorum poteſtate; nullumque Canonicorum ſine conſenſu maioris ſui ad aliquem promoveat honorem. Si forte vero aliqua occaſione tota terra juſſione Epiſcopi ab officio ceſſaverit, in Monaſterio, & ſupradictis Eccleſiis ſemper officium clauſis januis agatur &c.... Facta libertatis carta Era 1175. ſeptimo Kalendas Novembris, regnante Ildefonſo Portugalenſi Principe, filio Henrici Comitis, & Reginæ Taraſiæ Adefonſi Regis magni nepote confirm. Ego Joannes præfatæ ſedis Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Petrus Subdiaconus Rabaldis confirm.*

Quamplurimi Romani Pontifices Monaſterii hujus immunitatem firmarunt. Innocentius II. anno 1139. Priore D. Trutiſendo, Eccleſias S. Martini de Argoncilhe, S. Mamedi de Ceriedo, & S. Salvatoris de Perofinho, ac alias iiſdem juribus, quibus Bernardus Colimbrienſis donaverat, ratas habuit, id tamen adjecit: *Adjicimus etiam ut præfata Eccleſia S. Salvatoris de Eccleſiola ab omni Epiſcopali debito, & exactione, ſive ordinatione, ut videlicet niſi rogatus fuerit a Priore, nihil liceat Epiſcopo ibidem facere, vel ordinare, & ab omnibus Eccleſiaſticis conditionibus ſæcularibus libera permaneat.* Lucius II. eodem Priore Truteſindo, firmavit, & cenſum duorum biſantiorum, ſive mo-



Digitized by Google

rabitinorum, qui ætate noſtra duobus aureis valore ſunt pares; ſingulis annis Apoſtolicæ Sedi perſolvendum impoſuit. Eugenium III. anno 1148. Cœleſtinum III. anno 1195. & alios ſuis temporibus poſtea referendos prætermitto, qui eadem immunitate firmata Eccleſiolæ Monaſterium donarunt. Verum non eadem ſemper in prædictas Eccleſias jurium ab Epiſcopis, quorum Diœceſibus continebantur, immunitas erat. In Parœcias Colimbrienſis Diœceſis S. Martini ſcilicet de Travanca, S. Michaelis de Travaſſo, & S. Eulaliæ de Eirol omni Epiſcopali jure, ac exemptione gaudet Prior: in ceteras vero Portugalenſis Diœceſis poſt annum 1299. Epiſcopali auctoritate fruitur, matrimonii cauſis exceptis, quarum cognitio ad Portugalenſem Epiſcopum pertinet, & ex concordiæ literis inter hunc Epiſcopum, ac Priorem exaratis, ſubſcriptiſque circa territorii Eccleſiolæ accolarum matrimonia nihil Portugalenſis Epiſcopus judicat, aut exequitur, niſi per deprecationem, ut dicunt, ad Monaſterii Priorem, aut qui ipſius vices gerere conſueverit. Hinc maxima eſt huic Monaſterio gloria, quod in Luſitania primum extiterit, cujus Prior ab Epiſcoporum juribus immunitatem in territorio ſuo habuerit, & veluti Epiſcopus honore, & auctoritate duceretur. Juriſdictione etiam ſæculari a Reginæ Taraſiæ tempore ſanctus eſt, quæ in Eccleſiolæ oppido *Cautum* ſic inſtituit: *Præcedentium auctoritate patrum admonemur ut quidquid firmum, & ſtabile fieri volumus ſcriptis, vel literis tradendo præſentium memoriæ futurorumve commendemus. Quapropter Ego Taraſia Regina Alphonſi Imperatoris glorioſi filia ad laudem, & gloriam Domini noſtri Jeſus Chriſti, & ob amorem, & honorem S. Salvatoris de Eccleſiola, & pro remiſſione peccatorum meorum, & redemptione animæ meæ, & parentum meorum libenti animo, & bona voluntate do, atque concedo per præſentis ſcripturæ firmitatem Eccleſiæ S. Salvatoris de Eccleſiola, & accepi in unum cabellum ad preciatum in modios de Nuno Suarii mihi bene placuit. Dono, atque concedo, ſive confirmo cautum perpetua ſtabilitate ſupradictæ Eccleſiæ S. Salvatoris de Eccleſiola*

Digitized by Google

*inferius ſcripta, ideſt per montem auturelo, inde per illam ſtratam, ſicut vadit ad illam ſcilatam, & inde per illum fontanum ad fornum tegularum: & ſicuti dividitur per rigrum de rebelles, & inde ſicut vadit inter Savarii, & Comadelo, & quo modo vadit per portum burgarium, & inde per terminum de Comadelo, & campum Gergedo, & inde per illam ſtratam de S. Petro de Campo, & inde quomodo ſtrema ... & ſerojos cum Eccleſiola, & inde pervenit ad ribulum rugitorium, & inde uſque ad montem auturelo quidquid ergo infra ſupradictos terminos habeo totum Eccleſiæ S. Salvatoris de Eccleſiola dono, & per cautum confirmo ita ut eadem Eccleſia S. Salvatoris habeat, & poſſideat, & miniſtret eis ævo perhenni, & ſeculis ſeculorum, ſiquis vero de propinquis noſtris, vel de alienis hujus cauti cartulam irrupere, vel confringere temptaverit, iram Domini incurrat, & cum Juda traditore niſi emendaverit, portionem habeat, & inſuper d. md. componat, & cartula cauti ſemper remaneat firma. Facta cartula Era* 1160. 11. *Kalendas Junii Ego Taraſia Regina hanc cartulam manu mea confirmo, qui præſentes fuerunt Godino teſtis, Petrus teſtis, Pelagio teſtis, Joannes teſtis; Diagu teſtis, ego Comes Fernand. Hugo Portugal. Ep. confirmo, & alii plures qui viderunt, & audierunt. Vermundus not.*

Ex donatione ſupraſcripta a Bernardo Colimbrienſi Epiſcopo quis negare, aut dubitare audeat Eccleſiolæ Monaſterium Canonicorum fuiſſe, qui ibidem hac nomenclatura inſigniuntur. In donationis ſcriptura Guterris, & Auſindi ſupra etiam exarata Fratres quidem nominantur Eccleſiolæ Regulares, ſicut & in aliis Monachi: quod in adverſam abire ſententiam neminem coget, ſi forte meminerit Fratrum, & Monachorum appellationes temporibus iis omnibus communem vitam profitentibus non eſſe inſolitas. Colimbrienſe S. Crucis Monaſterium a ſui exordio Canonicorum Regularium fuiſſe ille negabit ſolus, qui Luſitaniæ Hiſtoriam nondum ſalutaverit: Canonicos tamen illos aliquando Fratrum nomine appellari teſtatur venditionis carta, quæ in illius archivo cu-

Digitized by Google

ſtolitur: *Hæc eſt carta venditionis, & firmitudinis, quam juſſimus facere Ego Egas Godini, & uxor mea Maria Pelagii, vobis Domno Joanni S. Crucis Priori, & ceteris fratribus ibi in perpetuum commorantibus de illa noſtra domo.* Ex eodem Guterris, & Auſindi monumento conſtat Eccleſiolæ Priores Abbates olim vocitari, licet poſtea omnem honoris ambitum contempturi Prioris ſolo titulo fuerint contenti: & Canonicarum fuiſſe conjunctum Monaſterium: verba enim illa recordari non pigeat: *Pro tolerantia fratrum, & ſororum, qui in ipſo logo habitantes fuerint.*

Ea erat Eccleſiolæ Canonicorum obſervantia, ut clauſtro contenti ſæculum omnino abhorrerent, nec clauſtrum egredi conſueverint, niſi Prioris, & univerſi conventus conſenſu, licet nullo de non egrediendo juramento eſſent obſtricti, quorum conſuetudinem laudarunt Summi Pontifices Lucius II. anno 1. ſui Pontificatus, & Eugenius III. anno 1148. ſui Pontificatus 4. paroeciis tamen, quæ ad Monaſterium ipſum adtinebant, præficiebantur Canonicum alium ſecum habentes, cujus in his, quæ Dei erant, & regularis obſervantiæ, tam conſortio, quam ſolatio fruerentur: Canonicorum Regularium miniſteria, & facultates adimplebant, ſicut & expoſuit Pontifex Summus Innocentius III. anno 1213. in cap. 5. de Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium. Ex virtutum odore, qui ubique Portugaliæ ſpargebatur, fidelium oblationes illuc confluebant, nec alia nomenclatura audiebantur, niſi *Homines Dei*; *Sancti homines*, *Fideles homines*, & *Eccleſiolæ ſeniores*: hæc erat erga Eccleſiolæ Canonicos iis temporibus reverentia, quæ ex quamplurimis vetuſtis ejuſdem Monaſterii archivi monumentis legenti cuiquam fiet notum. Cetera quæ ad iſtud Monaſterium adtinet ſuis temporibus, ac locis non prætergrediar.

Digitized by Google

## §. II.
## *De Monaſterio Morariæ Canonicorum Regularium.*

NOn longe a Portugale in tractu, quem veteres *Majam* appellarunt, ſitum eſt Canonicorum Regularium Monaſterium, quod ævo iſto Morariæ nuncupatur. Ex vetuſto monumento, quod eruditus Joannes de Barros in ejuſdem Monaſterii archivo invenit, & inter alias plurimi faciendas membranas cuſtoditur. Era 900. anno Chriſti 862. in oppido de *Gontaõ* a Domna Gontina conditum fuiſſe conſtat, & S. Georgio nuncupatum: quod etiam fatetur omni tempore memorandus Emmanuel Severim de Faria. Sed ad ſæculum undecimum referendum exiſtimavi, quod Era 1102. anno Chriſti 1064. ad locum, quo extat a Domno Menendo Abbate, eſſet translatum, & Salvatori dicatum: En teſtamentum Suarii Menendi da Maja id atteſtantis: *In nomine Domini, qui cum Eterno Patre, & Filio, & Spiritu Sancto in perſonis Trinus adoratur, & colitur, & in Trinitate veneratus unus, idemque dicitur. Non eſt ambiguum, ſed omnibus hominibus noſtris in partibus commorantibus, manet patefactum, eo quod ob honorem, & reverentiam mundi Salvatoris, & plurimorum Sanctorum, quorum reliquiæ ab Epiſcopo Domno Hugone reconditæ digneſcuntur, iſta Eccleſia eſt dedicata, diſcurrente Era centeſima ſecunda, peracta milleſima: habitante ibidem, Abbate Domno Menendo, ipſius Eccleſiæ fundatore in loco, qui dicitur Moraria ſubtus mons Petras Rubias, diſcurrente rivulo Leſſa prope littora maris in territorio Portugalenſi. Igitur ego indignus, & negligens, & deſidioſus, & plenus peccatis Sueiro Menendis timens, & pavens extremum mortis meæ diem, & prævidens me eſſe præſentaturum, & judicaturum ante conſpectum divinæ Majeſtatis, ut in illa terribili die merear evadere laqueos infernum, in intellectu meo, & memoria, & integerrimo ſenſu, offero venerabili, & glorioſo loco S. Salvatoris de Moraria ſu-*

Digitized by Google

*pradicto (ubi corpus meum jubeo sepeliri) omnes hæreditates meas, quas habeo, vel habere possum de avorum, & parentum meorum, sive de ganantiis; ad victum, & vestimentum Clericorum, qui vitam Sanctorum perseveraverint in ipso supradicto Monasterio, dum perenniter fuerit mundus. Facta series testamenti Kalendis Maii Era MCXXIII.*

Cujus Sedis Episcopus esset Hugo, qui Morariæ Ecclesiam dicaverat, in temporum latebris non invenimus. Hugo ille celeberrimus, qui Portugalensem Sedem rexit, & cujus meminit D. Rodericus da Cunha, ad annum Christi circiter 1114. Diœcesim cœpit moderari: nam annus Eræ Cæsaria 1158. Christi 1120. in quo Hugo D. Tarasiæ Reginæ donationi in Portugalensis Sedis gratiam subscripsit, erat sextus Pontificatus Hugonis, quod apud Illustrissimum virum legat, qui velit. Era 1128. anno Christi 1090. Egas Trudesindes, & ejus uxor Hermesenda Gundisalvis Domni Menendi parentes eidem Monasterio hanc donationem scripserunt: *In nomine Christi Ego famulus Dei Egas Truteſindes una cum uxore mea Hermeſenda Gundiſalvis teſtamus de illa hæreditate noſtra, quæ eſt in villa Morariæ, quæ fuit de Menendo Truteſindes, & de illo oratorio S. Georgii de Gontaõ, ut habeant, & poſſideant ea filius noſter Menendus Venegas Abbas, & Clerici, & Presbyteri qui in illo Monaſterio ſub Regula S. Auguſtini habitant dum in vita ſancta perſeveraverint. Facta ſeries teſtamenti VII. Kalend. Maii Era MCXXVIII.* Hinc certo deceptus est D. Rodericus, quod scripserit Morariæ Monasterium ab anno circiter 1183. regnante venerabili Alphonso Henrico fuisse extructum.

Canonicarum quoque Monasterium eidem erat adjunctum: & ex professionis carta fit certum, quam in lucem jam prodidit D. Niculaus a S. Maria Canonicus Regularis in ordinis Canonici Lusitani chronico: *Ego Gelvira Guterres trado me ipſam Deo, & Monaſterio S. Salvatoris Morariæ cum omnibus hæreditatibus meis, & ſponte voveo Deo caſtitatem, & obedientiam ſecundum Regulam S. Auguſtini per manus Domni Adefonſi ejuſdem Monaſterii primi Prioris,*

Digitized by Google

*& quod voveo propria manu roboro coram Deo, & Angelis ejus. Ego Gelvira ✠ Soror Morianæ. In Era MCLXXII.*

## §. III.

## *De Monaſterio Villæ Bonæ Canonicorum Regularium.*

IN Portugalenſi Diœceſi ad terræ tractum, qui ſuper Tamacam flumen excurrit, anno Chriſti circiter 1012. Domnus Moninius Viegas Gaſco dictus in honorem Beatiſſimæ Virginis Clericorum Monaſterium condidit votum pro victoria de Saracenis apud *Valboam* parta ſoluturus; & Domnum Roſardum, quem ſecum ex Galliis comitem adduxerat, in Abbatem nominavit. En donationis monumentum: *Item confirmo noſtro jam dicto Monaſterio S. Mariæ Villæ bonæ omnes caſſales, & hæreditates, quas dedi Domino Roſardo Abbati, & ſociis ejus Presbyteris, & Clericis, dum ibi Deo ſervierint, & in vita ſancta perſeveraverint, ſecundum Regulam Beati Auguſtini .... Facta carta teſtamenti menſe Julio Era ML.* Roſardo ſucceſſit D. Moninius Viegas, qui derelicto ſæculo, Canonicam vitam fuerat amplexatus: & ejus memoria in ejuſdem Monaſterii clauſtro ad ſepulcrum excripta eſt: *Era MLX. obiit D. Moninho Viegas Prioli, qui dicitus Gaſcus, & filii ejus Egas Munis, & Gomes Monis. Requieſcant in pace. Amen.*

## §. IV.

## *De Monaſterio S. Martini de Caramos Canonicorum Regularium.*

NOn longe ab *Amaranto* in Bracarenſi Diœceſi ſitum eſt Monaſterium S. Martini de *Caramos* Canonicorum Regularium; quod Domnus Gundiſalvus Menendus filius Domni Nunii Menendis in Interamnenſi, ac Tranſmontana provincia ſub Ferdinando Magno exercitus Præfecti maximi condiderat anno 1090. ibidem cum aliis Clericis communem vitam tranſacturus, Gundiſalvus, licet invitus a Petro Braca-

rensi Præsule, qui novæ plantationi interfuerat, Monasterii Prior est electus, & Sanctissimis legibus Canonicos ceteros instruxit usque ad annum 1124. quo sexto Idus Januarii plenus dierum, ac meritorum diem ultimum clausit, & ex vetusto Monasterii obituum libro id constat: *VI. Idus Januarii obiit Venerabilis Pater D. Gundisalvus Menendi primus Prior, & Fundator hujus Monasterii S. Martini de Caramos Era MCLXII.* Prope S. Martini Monasterium Canonicarum quoque erat Monasterium S. Mariæ de *Reciam* nuncupatum, & S. Martini Abbati subditum; cujus etiam meminit D. Niculaus a S. Maria in ordinis Canonici Lusitani chronico.

## §. V.

## *De Monasterio S. Simonis de Junquaria Canonicorum Regularium.*

INter duo flumina *Ave*, & *Deste* in Diœcesi Bracarensi extructum est S. Simonis Monasterium, quod a suo exordio Canonicis fuit Regularibus. Era 1120. anno Christi 1082. Domnus Arias Abbas eidem præerat ex monumento transcripto: *In nomine Domini Amen. Hoc est planum, quod ego Domnus Arias Archidiaconus Bracarensis, & Abbas Monasterii S. Simonis da Junqueira una cum Religiosis Clericis meis, qui sunt de capitulo nostro facimus tibi Domnæ Mariæ Pelagii de ipsa vinea de Guasim ut habeas, & possideas eam in vita tua pro illis tribus casalibus, scilicet unum in terra de Fromaris, & alium in Lamesinos, & tertium in Cornes, quos mandos ad nostrum Monasterium pro anima tua. Habeas igitur tu ipsam vineam omnibus diebus vitæ tuæ, & ad mortem tuam remaneat libera ad Monasterium. Facta carta mense Augusto sub Era MCXX. Ego supradictus Archidiaconus, qui hoc plausum jussi fieri, propriis manibus roboro. Joannes Presbyter confirmo. Garcia Presbyter confirmo. Pelagius Presbyter confirmo. Menendus Presbyter confirmo. Qui præsentes fuerunt Menendus testis, Suerius testis. Petrus Diaconus S. Simonis notavit.*

Digitized by Google

Hujuſce Monaſterii antiquitatem etiam ante Hiſpaniam a Mauris vaſtatam teſtatur D. Niculaus a S. Maria ex perantiquo Breviario characteribus Gothicis exarato, quod in eodem Monaſterio ſe vidiſſe ſcripſit, & in ipſius fine hæc legiſſe pronunciavit: *Hoc Breviarium ſuis expenſis imprimi juſſit Abbas S. Eulaliæ de Rio Covo Joannes Gundiſalvi de Sequeira ex fragmentis, quæ a populata Hiſpania in S. Simonis Monaſterii pomario ſepulta D. Arias Archidiaconus Bracarenſis invenerat Era MCX.* Quamobrem inter cetera Portugaliæ Breviaria, quæ prælo cuſa ſunt, & antiquitate, & veneratione clarius neſcio an ſit aliud, quam iſtud Monaſterii S. Simonis, quod in S. Crucis Monaſterii, & aliorum noſtrûm Bibliotheca cuſtoditur, utpote quod ex iis fragmentis contextum, ac laboratum anno 1514. editum eſt.

## §. VI.

## *De Monaſterio S. Stephani de Vilela Canonicorum Regularium.*

ERa 1048. anno ſalutis 1010. in Diœceſi Portugalenſi a Fromarigo Eſpazandes *Villelæ* Monaſterium conditum eſt ex donationis monumento, quod ex Monaſterii S. Auguſtini Portugalenſis Canonicorum Regularium archivo fuit adductum: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis in honore Sancti Salbatoris, & Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, Sancti Stevani Levitæ ... ubi edivificatum eſt Monaſterio nunccubato Vilela ... ſuptramite regularis Deo puellarum ſeum, & ſerborum Dei. Ego eſſigua femula Dei Vivile una pariter cum filias meas nominibus Gontile, Ermeſinda, Galla, Geloira .... devotionis noſtræ exiidit, ut faceremus logo ſancto ſigut, & facimus iſtium ſcriptura ſermitatis teſtamenti ad ipſo Monaſterio jam ſuperius predictum Vilelæ, quod edivigamus cum viro noſtro Fromarigo Eſpazandes conformiter teſtamus ad ipſum logum ſanctum ſinum de medallo, crucis, atque coronæ, capſa, calice, kazulas duas de ſirgo, orales tres, obas ſervorum (vaſa ſcili-*



Digitized by Google

cet) *libros Egleſiaſticos, Antivanarium, Manualium, orationum, ordinum, Pſalterium Comnigum, explanationum, pregum, Veſſarium, ſive & ornamentum Egleſiæ .... Nodum die quo erit ſecundo Nonas Decembris Era* TXVIII. *ſcilicet* 1048. Era quoque 1068. Viliulfus bona ſua ita diſpoſuit: *Domniſſimis, Emvictiſſimis, atque triumphatoribus Martyres patronos noſtros S. Stephani Levidi, S. Salbatoris ... & Martyres Chriſti eorum bazelica fundata eſt in villa, quæ vocitant Villella ... Ego famulo Dei Viliulfu con peccatorum depreſſos ſpem, fiduciaque veſtra mentes reſpiramus ... concedimus ipſas larias ad integro ad ipſis locis ſanctis adque ſagroſancto altario a fradum, ſorores, hoſpides, peregrinos, qui in vita ſancta perſeverantes fuerint, & ſuis ſacerdotali tenuerint, abeant, & poſſideant ... Notum die, quod erit decimo tertio Kalendas Novembris Era ſexageſima octava poſt milleſima.* Ex hiſce monumentis planum eſt Vilelæ Monaſterium fuiſſe duplex Canonicorum, Canonicarumque.

## §. VII.

## *De Monaſteriis S. Mariæ de Oliveira, ac S. Michaelis de Villarinho Canonicorum Regularium.*

MOnaſterium de *Oliveira* Era 1071. prope flumen *Ave* in Bracarenſi Diœceſi Arius de Brito extruxit, boniſque ſuis, quæ in villa de *Oliveira*, & *Carrazedo* poſſederat, in Beatiſſimæ Virginis Mariæ nomen, ac honorem ditavit. Clerici communi vita ſub S. Auguſtini Regula ibi degentes multo populorum vicinorum profectui erant verbo, ac exemplo ædificantes. Era MCXII. anno ſcilicet Chriſti 1074. Monaſterium Canonicorum S. Michaelis de Villarinho Abbate Gundiſalvo Anes Faſes, perfectum, extructumque erat; & D. Didacus Faſes, qui illius Eccleſiæ patronatus jure fruebatur, cum prole careret, ſæculo derelicto, iis Canonicis adſcriptus eſt, facultateſque ſuas donavit: *Do ad ipſam Eccleſiam S. Michaelis de Villarinho omnes facultates meas & omnes poſſeſſiones, & quidquid ad me pertinet, ut Abbas*

Digitized by Google

*Gondiſalvus Anes prolis de Faſes, & Canonici ejuſdem Eccleſiæ habeant inde ſuſtentationem ad ipſum locum ſanctum perſiſtentes ſecundum Regulam S. Auguſtini, & recipiant me tam in vita, quam in morte ... Facta carta teſtamenti menſe Julio Era MCXII.*

## §. VIII.

## *De Monaſterio Ratenſi Canonicorum Regularium.*

IN Interamnedſi provincia, Mauris omnino proſtratis, Comes Henricus S. Petrum Ratenſem primum Bracarenſem Antiſtitem, veneratione, ac amore obſequutus, Ratenſe Monaſterium a Saracenis contritum recuperavit Era 1138. anno Domini 900. Monachis, quos de *Charitate* appellabant, ex Gallia evocatis tradidit poſſidendum. Sed diu ibi eos non floruiſſe conſtat: nam Regina Domna Maſalda Venerabilis Regis Alphonſi conjux illuc in accolas Canonicos Regulares evocavit, qui ad annum uſque 1315. perſeverarunt. Qua propter Georgius Cardozo in ſuo Agiologio convincitur, qui totus in admirationem erumpit, quod Canonici Regulares Ratenſe Monaſterium ſibi adrogaverint: miretur ille non rem novam, ſed nimis antiquam, & monumentum audiat e mortuis ſuſcitatus, quod ex S. Simonis da *Junqueira* Monaſterii archivo proditum eſt. „ In Chriſti nomine Amen. Notum „ ſit omnibus præſentibus, & futuris, quod nos Domnus Wi- „ lhelmus Nunes Prior S. Petri de Rates una cum Canonicis „ de capitulo noſtro, damus, donamus, atque concedimus, „ & etiam in beneficium canonice aſſignamus Petro Marti- „ ni Concanonico noſtro illam domum noſtram cum ſua cor- „ tina, & paredariis ſuis, quam habemus in rua de Rates, „ quæ dicitur Carvalhal; & ſimiliter damus ei illam noſtram „ vineam, quæ jacet ultra vineam Dominici Stephani, quo „ modo dividitur per defenſam de Ratis: tali videlicet pa- „ cto, & conditione, quod ipſe Petrus Martini teneat, & „ poſſideat eandem domum, cortinam, & vinam toto tempo- „ re vitæ matris ſuæ Tareſiæ ad ejus ſuſtentationem; poſt

*Tom. 12 ad diem 1. Jan.*

Digitized by Google

„ mortem vero ipsius remaneat totum cum benefactoria li-
„ bere, & quiete nostræ Ecclesiæ, & Monasterio S. Petri de
„ Rates. Facta carta mense Februario Era 1298. Et ego Do-
„ minicus Dominici publicus Tabellio Domini Regis in villa
„ de Rates, qui hanc cartam scripsi, & in hoc signum ✠ ap-
„ posui. Qui præsentes fuerunt Domnus Dominicus Come-
„ tii Prior S. Simonis de Junqueira, & D. Vermudus Gode-
„ ni Prior S. Christophori de Revilomalo.„

## §. IX.

### *De Monasterio de Arganil Canonicorum Regularium.*

NOstrûm traditio est non tam ore susceptа, quam scripta, Mauris Lusitaniæ dominantibus apud *Arganil* in Colimbriensi Diœcesi fuisse Canonicorum Monasterium, cujus Canonicis anno Christi 1086. Eques Lusitanus Vermudus Paes cum uxore sua Elvira Draiz hæreditates, quas in oppido de *Folques* possederant, largissimi tribuerunt. Donationis monumentum ex archivi latebris publicum egit D. Theotonius de Mello Canonicus Regularis Monasterii S. Vincentii Olysiponensis Prior, cum Canonici ordinis Lusitani chronico laborando incumberet: *In Dei nomine Amen. Sciant omnes homines tam præsentes, quam futuri, quod ego Vermudo Pelagii una cum uxore mea Elvira Drais damus, & testamur S. Viro Goldrofo Priori de Arganil, & Clericis ejus Religiosis nostras hæreditates, quas habemus in loco, qui dicitur Folques, & hoc facimus pro remedio animarum nostrarum & ut partem habeamus in suis orationibus... Facta carta donationis, & firmitudinis Idus Junii Era MCXXIIII.* Ad annum usque 1190. in Arganilensi oppido Monasterium extitit; inde ad Folques, Michaele Colimbriense Episcopo, & ejusdem Monasterii Priore D. Gundisalvo novum ædificatum est, quod aliud Arganilense vetustate jam jam excidere videretur. Novi Monasterii condendi Colimbriensis Antistes facultatem hanc præstitit „In nomine Pa-
„ tris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ego Michael Dei

Digitized by Google

„ gratia Colimbrienſis Epiſcopus una cum conſenſu Canoni-
„ corum meorum ad notitiam futurorum facio cartam con-
„ ventionis, & firmitudinis tibi Gundiſalvo Priori de Arganil,
„ & omnibus Canonicis ibi ſecundum Regulam Beati P. Au-
„ guſtini degentibus, ut novam Eccleſiam ædificetis in lo-
„ co qui dicitur *Matta de Folques* ad honorem Dei, & Beati
„ Petri Apoſtolorum Principis, & circa ipſam Eccleſiam no-
„ vum Monaſterium erigatis.... Facta carta menſe Mayo in
„ Era MCCXVIII.„ Id temporis antiquiſſimum iſtud Luſi-
taniæ Monaſterium Collegio Sapientiæ Canonicorum Regu-
larium Colimbrienſi ex Apoſtolico indulto unitum eſt anno
1620. die 7. Martii, Romano Pontifice Paulo V.

## §. X.

### *De Monaſteriis de Arouca, Pedrozo, & de Vacariça Ordinis Benedictini ſæculis* 10. *&* 11. *per Luſitaniam fundatis.*

NOn tantum Canonicorum Regularium, verum & Sanctiſſimi Ordinis Benedictini Monaſteria his ſæculis per Luſitaniam floruerunt: ex quibus digniſſimi Epiſcopi ad Eccleſias moderandas fuere aſſumpti. Qua ſocietate, ac charo fraternitatis fœdere Canonici Regulares, ac Benedictini Monachi inter ſe copularentur, teſtatur Fr. Leo a S. Thoma. Monaſterium de Arouca Era 989. ſub Hermenegildo Abbate; unde Creſconius Monachus ad Colimbrienſem Epiſcopatum evectus eſt, ibidemque diu Monachorum inſtitutum viguit, donec ſub Regina Maſalda Sanctii I. filia Ciſtercienſes Moniales illud obtinuerunt. Nec minus illuſtre erat S. Petri Monaſterium quod de *Pedrozo* appellarunt prope Eccleſiolæ Canonicorum Monaſterium in itinere *Coimbrã*. Fr. Ludovicus ab Angelis in Illuſtrium Luſitanarum mulierum viridario a Laurbanienſibus Monachis conditum exiſtimavit, poſtquam Portugaliæ Infans D. Tareſia Sanctii I. filia in Laurbanienſi Monaſterio Ciſtercienſe Monialium inſtitutum inſtauraverat. Aſt anno 1093. Petroſi ſolitudinem Monachi colue-

*Tom. 4. Benedict. Luſit. P. 4. Tract. 1. §. 4.*

*Monarch. Luſit. P. 2. lib. 7. c. 22.*

Digitized by Google

re, quorum Prior Godinus eodem anno subscripsisse legitur Suarii Fromarigues donationi, quam in Ecclesiolæ Canonicorum gratiam supra edidimus, & Fr. Leo a S. Thoma in Benedictina Lusitana Gundesindi, & Adosindæ testamentum adfert in Pedrozi Monasterii erectionem 5. Kalend. Martii Era 925. Ea erat hujus Monasterii disciplina, ac observantia, ut in Polemii ejusdem Abbatis collationibus in ædificationem posteris relicta fuerit. Gnarus quidem sum inter suppositа, & apochripha opera a quamplurimis Polemii collationes numerari, quas Fr. Joannes ab Apocalypsi, & Fr. Egidius a S. Benedicto, uterque Benedictini in lucem adtulerunt: quapropter eas vindicent, qui incusatas doluerint. Fr. Antonius Brandaõ, meminit Monasterii de *Vacariça*, quod Raimundus Comes Colimbriensi Sedi univit anno 1094. cujus Abbati alia parebant Monasteria de *Tresoi*, *Saurii*, *Lomedi*, *Rocas*, *Sever*, *ac Lecæ*: inde elapsis sæculis omnes proventus cum Ecclesia ad Collegium Eremitarum Augustinianum Colimbriense transmissi sunt.

*Monarch. Lusit. P. 3. lib. 8. c. 7.*

## §. XI.

### *De Monasterio de Pendorada Ordinis Benedictini*

INter antiquiora Lusitaniæ Benedictina Monasteria cur silentio esset prætermittendum illud de *Pendorada* in Portugalensi Diœcesi, cujus Monachi Canonicis Regularibus Monasterii de *Villa boa* stricto fraternitatis vinculo erant adstricti? Fr. Leo a S. Thoma in Benedictina Lusitana exscripsit testamentum Velini Presbyteri in ipsius Monasterii gratiam factum die 3. Kalendas Junii Era MCIII. anno Christi 1065. ejusdemque meminit D. Niculaus a S. Maria in suo Canonico chronico. En Velini testamentum: „ Dominis invictissimis, „ ac triumphatoribus glorioſis Sanctis, & Martyribus S. Joan„ nis Baptistæ, sive Evangelistæ, & S. Salvatoris, & earum „ reliquiarum, quæ in hoc loco reconditæ sunt, quorum Ba„ silica sita est in eodem loco, sicut sursum resonat, quod ego „ servus Dei Velinus confessus compunctus a Deo, quod pro„ misi ad opsos Sanctos, & ad ipsum Examenum Presbyte-

Digitized by Google

„ rum textum ſcripturæ, & firmitatis, & de totis benefactis,
„ & de omni mea re ab integro, & omnia quæ ad uſum, &
„ præſtitum hominis eſt, necnon & ipſum locum, quem ſu-
„ pra diximus, quem ego cum Dei adjutorio ganavi, & ædi-
„ ficavi. Ita ut hodierno die, vel tempore de jure meo ab-
„ ſtracta, & in jure de ipſo Exameno Presbytero ſit tradita,
„ & ad partem Dei, & de ipſis Sanctis, ſimiliter, & ipſas hæ-
„ reditates ſuperius nominatas per ſuis terminis per ubi il-
„ las potueritis invenire, per illos ſcriptos, & per illas cartas
„ quæ vobis damus. Concedo igitur frater Velinus Deo ejus,
„ & tibi Exameno omnia ſupradicta pro amore Domini noſtri
„ Jeſus Chriſti, & pro remedio animæ meæ, ut ſit tibi cum
„ ſervis Dei in illo commorandi habitaculum, & mihi per
„ veſtras interceſſiones in cœlo perpetuum habitandi locum.
„ Habeas tu igitur, & poſſideas Deo volente cum omnibus
„ Sanctiſſimam, & Monaſticam vitam, & perſeverantiam bo-
„ nam, & non ſit tibi licitum vendere, nec donare, nec in
„ aliam partem transferre, ſed conveniente, regulariterque
„ & cum illis in eodem loco vivere ſi contigerit, te poſtea
„ ab hoc ſæculo migrare, reliquas ſimul omnia Monachis, ſi-
„ cut ſurſum diximus regulam, & vitam ſanctam perſeve-
„ rantibus.„

## §. XII

### *De Monaſterio S. Tirſi Ordinis Benedictinæ.*

S. Tirſi Monaſterium, olim S. Niculai nuncupatum, ſub-jugatis Saracenis, a D. Alboazar Ramires Ranimiri II. Regis filio extructum, aut potius reſtauratum anno circiter 927. non tam a Benedictinis Monachis, quam aliis Hiſtoriographis fertur. Qui ex Alboazar originem duxere Luſitaniæ proceres ſuis bonis illud ampliarunt, inter quos erat Gundiſalvus Menendes, Petrus Pelagii, & Suarius Menendes da Maya, qui anno 1094. ſingularia jura, quæ *Coutos* appellamus, eidem Monaſterio conceſſerunt, ſicut & Henricus Comes anno 1093. largiſſimus præbuerat. Suarii ſepulcrum inſcriptum eſt Era 1170. quæ in annum Chriſti incidit 1138. Duplex erat

Monaſterium, & Monachorum, & Monialium: ex Monialibus id temporibus degentibus vix memorandæ in antiquitatum latebris occurrunt Domna Major Menendes filia Domni Menendi Gundiſalvi da Maya, Domna Adara Velaſques, & Domna Urraca Hermigis fœminæ tam ſanguine, quam virtute perilluſtres. En Domni Creſconii Colimbrienſis Epiſcopi literæ, quibus erga idem Monaſterium donationem Gundiſalvi Menendes, ac Suarii Menendes confirmat, in Regio Brigantino Archivo aſſervatæ: „ Creſconius Dei gratia Colimbri„ enſis Epiſcopus. Dilectiſſimis filiis, & amicis meis Gunſal„ vo Menendes, & Suario Menendes, & Pelagio Petri in „ Chriſto ſalutem. Legi literas veſtras, quas ad me miſiſtis, „ in quibus ſcriptum erat quod conveniſtis in magno conſilio „ cum omnibus cohæredibus veſtris de Monaſterio S. Tirſi, „ & ſimul omnes elegiſtis vobis Domnum Gaudamirum, & „ dediſtis ei ipſum Monaſterium, & rogaſtis ut placeret mi„ hi veſtra inſtitutio, ſicut placuit Archiepiſcopo Domno Ber„ nardo, & mihi ſimul cum illo, & ut ordinarem illum Ab„ batem ſupradicti Monaſterii. Ego autem dico vobis quod „ mihi multum placet, & gratias ago Omnipotenti Deo, „ quod vobis donavit ſpiritum, ut quæratis ea, quæ illi pla„ cent, precor illius miſericordiam, ut perficiat deſiderium „ veſtrum in omni bonitate. Igitur ordinavimus illum Abba„ tem, ſicut prius jam a fratribus coram Archiepiſcopo me „ præſente electus fuit. Rogo autem vos, ut ex omni poſſi„ bilitate veſtra teneatis illum cum ſuo Monaſterio integro, „ ſicut in carta veſtra dixiſtis, & cito, Deo juvante, ibo ad „ vos, & dicam vobis, quod facere debeatis. Valete.„

Licet juxta veteres Canones Abbates a proprio ſuæ Diœceſis Epiſcopo ordinarentur, & Creſconius Colimbrienſis Epiſcopus eſſet, extra cujus territorium Monaſterium iſtud continebatur, ad illius Abbatem ordinandum, benedicendumque fuit advocatus, quod Portugalenſis Eccleſia Epiſcopo ſuo tunc careret, & Bracarenſis vicinior depoſito quoque ſuo Petro eſſet orbata: quapropter Creſconius utpote vicinior de conſenſu Bernardi Toletani Archiepiſcopi per Hiſpanias Lega-

Digitized by Google

gati ſacrorum Canonum decreta adimplevit, Gaudamirumque S. Tirſi Abbatem ordinavit.

## §. XIII.

### *De Monaſterio S. Martini de Soalhaes Ordinis Benedictini.*

NOn longe a flumine *Tamaca* erat Monaſterium S. Martini de *Soalhaes* ex duplicibus, Monialium ſcilicet, & Monachorum Ordinis Benedictini, quod a Sanctio Ortizio anno 865. fundatum, ac locupletatum traditur. Era 1067. pridie Kalendas Januarii Ferdinandus Rex contentionem inter Alphonſum, & Joannem Presbyteros, ac Garciam Monis de Monaſterii bonis exortam compoſuit, Ferdinandique ſententiam eruditus P. Argote imprimi curavit. Alîus etiam meminit Gaſpar Alvarus Lozada, quam exhibeo: „ Dubium quidem non eſt... orta fuit inter Gunſalvum Alphonſum, qui „ eſt Prelato de illo Monaſterio de S. Martino de Sulans contra Petrum Pelagii: proinde adjuncti ſumus in civitate Colimbriæ per manus Fernando Cativo, & Gunſalvus de Souza, qui erat Vicarius de Rex Domno Alphonſus, & præſentaverunt illos ante Regem, & erat Epiſcopus Domno Oſorio „ de Viſeo, & Domno Menendus Lamecenſis, & Domno Petro de Portugaliæ, & Archiepiſcopus Domno Joannes Bracarenſis, & alios infançones, qui erant in Portugale... & „ mandavit ille Rex Alphonſus, quod confirmaſſet Gunſalvum Alphonſum cum ſuis parentibus in illo Monaſterio de „ S. Martino de Suilanes per manus Menendo Moniz, & de „ Gunſalvo de Souza ... Facta carta pridie Kalend. Aprilis „ Era 1191.„ Temporum viciſſitudine extinctum eſt, & ab Abbate ſæculari, qui Prælati titulo, ac jure pollet, ævo noſtro regitur: & Eccleſiæ jus patronatus ad Vice-Comites da Cerveira pertinet.



Digitized by Google

## §. XIV.
## *De Monaſterio de Pombeiro Ordinis Benedictini.*

NOn longe a *Vizela* flumine ad montem Columbarium ſitum eſt Monaſterium S. Mariæ de *Pombeiro*, quod a ſæculo octavo ædificatum fertur ex antiquiſſimo monumento invento, quod Hugo Abbas roboravit. Ferdinandus Rex anno 1041. donatione illud ditavit. Anno Chriſti 1112. in ipſius gratiam a Taraſia Regina hæc donationis carta eſt facta: *In Chriſti nomine, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Infante Taraſia Alphonſi Magni Regis Imperatoris filia una pariter cum filiis meis in Domino æternam ſalutem Amen. Placuit namque mihi propria ſpontanea mea voluntas, & ſine ullo metu, vel ebrietas vino, ut facerem cartulam teſtamenti, & ſcriptum firmiſſimum ad aulam S. Mariæ vocitant palumbario ſecus flumen Avizela tentorium Bracarenſe do, & concedo ipſa loco vocabulo de S. Maria, faucio tibi cautum, & teſtamentum, & eſt nominato ipſo cauto de medio de ipſo arcu de Avizela .... do, & confirmo iſtud quæ ſurſum reſonat ad ipſa Monaſterio S. Mariæ vocabulo de Palumbario ad ipſa parte de Menendo Venegas, & de Gomes Nunes pro anima de viro meo ille Comes Henrico, & remedio de peccatis meis.... Et ſi aliquis homo de mea parte, aut de extranea contumax ſurrexerit, & hunc factum meum quæſierit, vel venerit, ſit maledictus a Deo, & excommunicetur, & careat proprias lucernas oculorum ex fronte, & non videat, quæ bona ſunt in Hieruſalem, neque par in Iſrael, ſed cum Juda traditore Domini luat pœnas in æterna damnatione. Facta carta teſtamento notum die Kal. Auguſti Era* 1150. Propter id monumentum contra fere omnes Luſitanos Hiſtoriographos ſcripſi Comitem Henricum ultimum ſiniſſe diem Kalendis Novembris anno 1111. & non anno 1112.

Digitized by Google

## §. XV.

### *Monaſteriorum Diſciplina.*

FUndationis profecto, & donationis tituli, quos in prædictorum Monaſteriorum cōditionibus vidimus, ſatis oſtendunt, in quibus laici jus patronatus obtinerent. De Canonicorum Regularium Monaſteriis id pro comperto habemus fundatores, & dotatores, ſuperdotatoreſque bona ſua Monaſteriis in perpetuum tradidiſſe: & ſacroſancta, omninoque fierent Eccleſiaſtica; regia tamen diplomata pro derelictarum rerū firmitate poſtulabantur, ut ſua ſibi tutius haberent, & quod Reges ipſi valles, ſaltus, & alia loca conceſſerant, ubi cœnobia condebantur. Canonicorum igitur id erat inſtitutum, ut ex ſuis Præpoſitum ſibi eligerent, nec a Monaſteriorum fundatoribus præſentaretur approbandus: quod ad ſæculum uſque decimum quintum permanſit, quo Luſitaniæ Rex D. Alphonſus V. Romano Pontifice Eugenio IV. noſtrorum Monaſteriorum Abbates, ſive Priores Commendatarios præſentavit, ſicut & Eccleſiarum Epiſcopos, eo innixus jure quod Reges alii ſui Deceſſores provincias, civitates, Eccleſias omnes ſuas, perdomitis Mauris, reciperent.

De Monaſteriis Benedictinis id conſtat S. Tirſi Monaſteriū jure patronatus fruitos agnoviſſe Gundiſalvum Menendum, Suarium Menendum, & Pelagium Petri, & ipſos Abbatem Gaudamirum præſentaſſe, quem a Creſconio Colimbrienſi Epiſcopo confirmatum, ordinatumque ſupra vidimus. Publicum quoque a D. Antonio Caetano de Souza Clerico Regulari factum eſt inſtrumentum, quo D. Alphonſus Comes de Orem, & D. Ferdinandus Comes de Arraiolos ſibi jus patronatus in Monaſterium iſtud demonſtraverant. Pro Monaſterio de Pombeiro idemmet clariſſimus vir in lucem prodidit monumentum D. Adoſindæ Udaris, quæ jus patronatus ſui in D. Menendum Viegas de Souza tranſmiſit: *In Dei nomine. Ego famula Dei Adoſinda Udaris in Domino ſalutem Amen. Placuit mihi dare vobis Menendo Viegas, & uxori veſtræ Gelviræ Fernandes mea ratione de ipſo*

Digitized by Google

*Monaſterio Palumbario, quæ habeo de parentum meorum de mea matre, Emyto Froilas illa ſua ratione tota, quantaque ibi habent integra, ego illam vobis concedo cum cunctis præſtationibus ſuis, & do illam vobis, proque venit germano meo Petro villa quintanella, & prædavit illa de boves, de vacas, & de alio ganado multo, mantas, fletros, capas, & ſagios, qui denundavit totos illos homines, & illas mulieres, quantas ibi erant, & rapuit ipſo ganado toto, & abiit & pro illo facto, quod ille fecit in villa, quæ ille depredavit, & cremavit, quæ eſt teſtamente a Palumbario, præſit D. Menendus totas illas hæreditates: mortuus eſt autem germanus meus Petrus, veni ego Adoſinda cum homines bonos, & rogavi illum cum ipſa noſtra parte de ipſo Monaſterio, & leixavit mihi tota illa alia hæreditate, excepta illa ratione de Cuidones, quæ vadit ad teſtamentum de Palumbario: habeatis vos illa Monaſterio firmiter, & omnis poſteritas veſtras uſque in temporibus ſæculorum. Facta carta venditionis, & firmitatis ſub die quod erit 17. Kal. Februarii Era 1156.*

Licet laici de jure antiquo in Monaſteriis, & Eccleſiis per eos ædificatis, vel dotatis nullum jus haberent præſentandi, ſed ſtatim cum dotibus ſuis ad ordinationem pertinerent Epiſcoporum: verum ſuccedente tempore conſtituit Eccleſia ut patroni ipſi haberent in Eccleſiis certa jura, videlicet jus defenſionis, alimentationis, & præſentandi: quæ iis conceſſit Eccleſia ut ad fundandas, ac dotandas Eccleſias, & Monaſteria inducerentur: quamobrem quidquid juris habent patroni totum ex gratia venit, & de ſpeciali gratia toleratur, quia cum jus patronatus ſit ſpirituale, aut ſpirituali annexum, de juris rigore, aut circunſcripta diſpenſatione, & privilegio Eccleſiæ, laicus ejuſmodi juris capax non eſt: gratioſum igitur erat jus iſtud patronatus laicorum, & ex Eccleſiæ ipſius gratia in Hiſpaniis noſtris obtinuerant, a tempore Concilii Toletani 9. cujus Canones 1. ac 2. cum aliis Gratianus collegit cauſa 17. quæſt. 7.

Digitized by Google

# CAPUT VII.

## *De Luſitaniæ Viris ſanctitate clarioribus.*

### §. I.

### *De S. Raimundo.*

CArdozo in ſuo Agiologio ad diem 5. Aprilis Raimundum Paſtorem Luſitanum ex Metilinenſi Colonia prope Anam nono exeunte ſæculo, & ineunte decimo floruiſſe commemorat in pauperes mirum, ac largiſſimum, & eremi ſolitudine contemplationi addictiſſimum. Non tam Luſitaniæ veteres ſcriptores, ſed ceterarum Hiſpaniarum, ac univerſæ Eccleſiæ Martyrologia Raimundum tacent, nec indicant. Cardozo indicanti, commemorantive potior auctoritas, & præſidium fuit Luitprandus, ac Pſeudo-Julianus, ex quorum monumentis ſic tranſcripſit: *In oppido Prunas, vel Pruſæ in Carpetania Raimundus Metilinenſis Paſtor Luſitanus mirus in pauperes Sanctus floret.* Raimundi commemorationem concives ſuos Metilinenſes in Dominicæ Reſurrectionis octava multo feſtivitatis apparatu, & populorum confeſſu agere ſolitos ipſe citatus deſcripſit. Sed inter non dubitanda quis numeret? cum Pſeudochronicorum pondere, & auctoritate Cardozus ſuam proferat ſententiam.

### §. II.

### *De S. Pelagio.*

ERa 963. ſexto Kalendas Julias Pelagius ætate circiter tredecim, & ſemis annorum Cordubæ paſſus eſt, imperante Abderraghmam Rege. Pelagium patria Colimbrienſem aſſerunt Fr. Bernardus de Brito, & Fr. Leo a S. Thoma, ejus martyrium Ambroſius Morales deſcriptum in lucem prodidit ex pervetuſto codice Gothicis literis in membrana deſcripto, qui in Regio S. Laurentii ad oppidum do *Eſcurial*

*Monarch. Luſitan. lib. 7. c. 19. Benedict. Luſit. tom. 2. part. 3. cap. 2.*

Digitized by Google

asservabatur. Tudensis Ecclesia in veteri suo sanctorali servabat, & Tudenses veluti concivem suum celebrant, decepti tamen, vel quod Hermogii Tudensis Episcopi esset nepos, apud Tudenque enutritus, & instructus. In sanctorali quoque antiquissimo Monasterii S. Crucis sexcentorum fere annorum a S. Theotonii tempore, quod ibidem asservatur, ejusdem martyrium describitur; veteresque Canonici juxta usum, ac suæ Ecclesiæ morem sexto Kalendas Julias de Pelagio commemorationem agere consueverant: quapropter in vetustis Canonici Ordinis Breviariis invenitur.

Inter Episcopos, qui cum Christianis aliis a Mauris Gallæciam vastantibus capti fuerant, unus erat Tudensis Hermogius nomine, patriaque Colimbriensis, qui carceris angustiis jam fessus, ac ferri oneribus, obsidem pro se suum dedit sobrinum Pelagium, ea quoque spe, ut ipse abiens, captivos mitteret, quibus illum redimeret. Sed puer caute in carcere vivebat: erat enim castus, sobrius, quietus, cautus, orationibus vigil, lectioni assiduus, Dominicorum præceptorum non immemor, bonorum colloquiorum ascitor, malorum expers, risui non facilis: elegerat sibi Magistrum Paulum Apostolum in doctrinis vigilantem, deprecationibus instantem, angustiis communicantem, in pressuris non deficientem. Sic mente, & corpore servabat integritatem, ut putares eum non nisi futurum martyrium præmeditantem. His per trium annorum spatium feliciter in carcere gestis, quadam die regii tironis cujusdam satellites affuere, qui pueri vultus pulchritudinem Domino suo nuntiarunt. Rex itaque inter epulas positus apparitores misit, qui sibi illum sisterent; præcipites satellites Dei famulum cum vinculis rapuerunt; in Regis aula catenas diruperunt, eumque Regis conspectui regali trabea indutum obtulerunt, beatissimi pueri auribus mussitantes, quod ad tantum honorem ejus species perduceretur.

Inquit Rex: *puer, magnis te honoribus sublimabo, si Christum negare, & nostrum volueris Prophetam verum esse dicere. Nunc qualibus, quantisve potiamur regnis vides? Insuper aliam tibi numerosam auri, argentive co-*

Digitized by Google

*piam, vestes optimas, ornamenta pretiosa. Sumes præterea tibi qualem ex his tirunculis elegeris, qui tuis ad votum desideriis famuletur : de carcere educam, & parentibus tuis in hanc, si volueris, regionem advocatis immensas dignitates conferam.* Ast Pelagius universa despiciens, ac ridenda intelligens, ait : *hæc quæ tu demonstras, ò Rex, nihil sunt, & Christum non negabo, Christianus sum, fui, & ero : hæc omnia finem habent, & cum suis spatiis transeunt. Christus quem ego colo nescit habere finem, quia nec initium habuit, ipse namque est, qui cum Patre, & Spiritu Sancto unus permanet Deus, qui nos ex nihilo fecit, & universa potestate continet.*

Interea cum eum joculariter Rex tangere vellet : *tolle canis*, ait Pelagius, *numquid me similem tuis effœminatum existimas* ? & illico vestimenta, quæ indutus erat, scidit, & fortem in palestra se athletam constituit, eligens digne pro Christo mori, quam turpiter cum diabolo vivere, & vitiis inquinari. Ipsum vero adhuc suaderi posse Rex existimans, suis jussit tironibus, ut eum delinirent lenociniis ; sed ille Deo auxiliante, fortis stetit, ac intrepidus permansit, Christianum se solummodo prædicans, ejusque per sæcula præceptis obsecundare se dicens. Cujus fervidissimum Rex spiritum contra persistere videns, atque in suis se desideriis spretum esse intelligens, ira commotus, *appendite*, inquit, *illum in forcipes ferreas, ac strictim tandiu sursum deorsum vicissim levantes deponite, quousque aut animam exhalet, aut Christum esse Dominum deneget.* Immobilem Pelagii constantiam Rex demiratus præcepit eum membratim gladio scindi, & in flumen projici : qua potestate accepta, ministri, in eum exerto pugione debachati sunt ; alius brachium radicitus amputabat, alius tibias desecabat, alius cervicem ferire non desistebat. Interea Martyr intrepidus erat, ex quo sanguis guttatim distillabat ; nullum præter Jesum invocabat, pro quo pati desiderabat dicens : *Domine eripe me de manu inimicorum meorum.* Clamabat quidem puer athleta fortissimus, sed aderat certamini Deus :

Digitized by Google

*Veni*, inquiens, *accipe coronam quam tibi promisi.* Inter hæc spiritus ad Dominum migravit, corpus vero projectum in flumen: postea tamen non defuere fideles, qui illud quærerent, ad sepulcrumque honorifice deferrent. O' nostrorum negligentiam merito deplorandam, qui Pelagii Gentilis sui commemorationem cum festivitate olim solita reliquerunt?

## §. III.
## *De S. Comba, sive Columba.*

SÆculo ineunte decimo Columbam, sive Combam Virginem occubuisse Martyrem, cum Lusitania adhuc Maurorum jugo premebatur, conjectationi est plurimis. Sanctam hanc Lusitanam fastis omnibus antiquis ignotam non Lusitani tantum, sed exteri etiam Pinius, Cuperus, & Boschius crediderunt. Antonius de Vasconcellos in descriptione regni Lusitani ait Columbam patriam habuisse oppidum, quod vulgo dicimus *Lamas de Orelham*, & spectat ad judicialem conventum *Vimarani*, unde metu Mahometanorum sese proripuit. Virginis cædem non longe a Colimbria editam, ubi nostra adhuc ætate parvum visitur sacellum, quod Virginis retinet integram memoriam, ejusque imprimis ob propugnatam castimoniam martyrium testatur honestissimum. D. Niculaus a S. Maria in Ordinis Canonici Lusitani chronico Columbam hancce cum S. Wilgeforti, de qua ad sæculum primum egi, confundit, quod eadem die 20. Julii ejus festum celebretur; & in cruce martyrium suum obierit; veluti eadem die plures ejusdem nominis, & martyrii Sancti commemorandi non occurrerent. Martyrologium Romanum ad diem 29. Julii duos Faustinos commemorat, Cassianosque duos Martyres ad 13. Augusti: quid in re sine dubio immorabor?

Tamayus de Salazar in Martyrologio Hispano cum hoc elogio S. Columbam inscripsit: *Conimbricæ in Portugalia, Sanctæ Columbæ Virginis, & Martyris, quæ ex eadem urbe oriunda illam suo sanguine decoravit, ut castitatis florem, & virginitatis candorem, quem Christo sponso pro-*

Digitized by Google

*miſerat, illibatum in ipſo vitæ periculo conſervaret.* In codice vero Sanctorum Luſitanorum vitas e lingua Luſitana in Latinam Romæ translatas continente, quem Cuperus, & ſocii vidiſſe teſtantur, habetur proceſſus Colimbriæ ab Epiſcopo loci anno 1676. inſtitutus ſuper Columbæ geſtis. Geſta ibi antiqua nulla reperiri, nec umquam fuiſſe ſcripta, neque ullos Martyrologos ante ſæculum decimum ſeptimum Columbæ meminiſſe ait idem Cuperus, & quidquid in illo proceſſu de ipſa ſcriptum eſt traditioni fere niti populari. Aſt Eduardus Nonius Leo Luſitanus, qui anno 1608. ab humanis diſceſſit, & teſte Egidio Nonio Leone ejus ſobrino in prologo operis, quod anno 1610. typis edi curavit, novem annos ante obitum Portugaliæ deſcriptionem geſſerat anno ſcilicet 1598. ac Columbæ meminit, quæ apud Colimbriam colitur. Colimbrienſium, imo & Luſitanorum omnium conſtans vigebat traditio, quæ maximum præſtando cultui erat argumentum. Aquarum alluvies, quæ die decima quarta Julii anno 1449. quam plurima Monaſterii S. Crucis Colimbrienſis archivi monumenta nobis eripuit, Combæ, quæ ibidem ſervabantur, geſta forte etiam perderet. Inter aliqua ejuſdem archivi vetuſta adhuc de Virginis martyrio Epigrama iſtud inveni:

*Miraris, qui mira vides, ſpectanda triumpho*
*Virginis, eſque viri forma petita Deo.*
*Hæc eſt illa, Deo placuit quæ ſponſa Columba,*
*Sanguine clara fuit, moribus illa magis.*
*Dum Chriſtum coluit, ſprevit ſponſalia regni,*
*Sprevit & eximiis munera muneribus.*
*Atque virum ſimulans hoſtem ſuperavit inermis,*
*Martyrio conſtans ſubditur ecce crucis.*
*Ad Superos duplici volitans ornata corona*
*Tranſit, & Angelicis ducitur alma choris.*

Ejus corpus in argentea capſa in Monaſterii S. Crucis ſanctuario aſſervatum veneratione maxima colitur. In ſacello parvo prope Colimbriam eidem Virgini dicato, ubi adhuc ſpelunca viſitur, qua hoſtium oculis recondita aliquandiu



Digitized by Google

vitam transegerat, die 20. Julii a multo populo illuc confluente celebratur. Noſtrorum traditio eſt ex Monaſterio Benedictino prope Colimbriam olim extructo, ubi nunc S. Juſtæ Eccleſia Parœcia eſt, ad S. Crucis ſacrum corpus eſſe translatum.

## §. IV.
## *De S. Senorina.*

ANno 980. die 22. Aprilis in Monaſterio S. Joannis de Baſto Ordinis Benedictini in Bracarenſi Diœceſi vitam clauſit S. Senorina ejuſdem Monaſterii Abbatiſſa, cujus corpus in Parœcia S. Joannis de Baſto maxima confluentium populorum veneratione colitur. Ejus acta ex duobus Portugaliæ vetuſtioribus Breviariis Canonicorum Regularium S. Simonis da Junqueira, & S. Crucis Colimbrienſis tranſcribo ad diem 22. Aprilis: *Hæc Virgo Beata ex nobilibus, & Chriſtianiſſimis parentibus nata, Sacramentis Eccleſiæ regenerata, & confirmata, ut fide Deo ſic moribus, & vita ab infantia ſua omni tempore placere ſtuduit. Ornavit etenim moribus propoſitum, & quod Deo vovit animam, & corpus immaculatum cuſtodivit. Poſt cujus ortum ejus mater defuncta, Avulfus Comes pater Virginis, recenti morte uxoris triſtis, & mœſtus parvulam ſibi filiam conſolandi gratia præſentari jubet. Quam in nutricis manibus deportatam videt, ut moris dolentium eſt, ſuſpirans, & lacrymans Senorinam eam vocavit, ex brevitate corporis diminutivum ei nomen imponens. Qui etiam ei cum lacrymis dixit: Filia, Chriſto Deo te offero, & ipſi te commendo, ipſe in conſpectu ſuo vias tuas dirigat. Nutrici quoque ait: vade, curam illius habe, & omni diligentia cuſtodi, & fove. Educata denique, & nutrita uti decebat in domo paterna ablactari filiam patri placuit. Quam confeſtim cuidam Religioſæ fœminæ Godinæ nomine nutriendam dedit. Quæ eam bono animo ſuſcipiens in loco ſpiritualis filiæ adoptavit. Cujus nomen, quod non ignoratur a Religioſis perſonis, hoc verum non dubitatur. Sanctimonialis ergo*

Digitized by Google

*fœmina, ut erat ſancta caliditate, & ſolerti ingenio prædita temperavit in auribus Virginis ſeminare, & tractare quanta eſſet virginitatis gloria, & quam decens, & placens hoſtia corpus caſtum, & animam immaculatam Deo offerre. Dicebat enim: fœcunditas implet mundum, virginitas paradiſum. Referenti patri cur juvenis nuptias contemneret, Virgo prudens dixit: Pater bone, tu me Deo obtuliſti, tu mihi ſponſum elegiſti, tu me Chriſto commendaſti. Ego quidem ipſum diligo, & ipſum concupiſco, ipſum totis conatibus amplector.* Sic in Monaſterio enutrita ad eam virtutum perfectionem acceſſit, ut in ejuſdem Abbatiſſam eligeretur. S. Rudeſindi conſanguinei ſui animã in cœlum tranſmigrantem in choro inter Completorium cum ceteris Monialibus recitandum vidit. Virtutibus, & miraculis clara Deo ſponſo ſuo animam reddidit.

Breviarium S. Simonis ſupra citatum S. Senorinæ commemorationem non lectionibus tantum propriis agit, ſed & antiphonis, ac reſponſoriis propriis, quod maximi in Bracarenſi Diœceſi cultus antiqui indicio eſt. Breviarium S. Crucis licet antiphonas, ac reſponſoria propria non contineat, eiſdem celebrat lectionibus, quæ in S. Simonis codice exponuntur. S. Simonis Breviarii auctoritatem alibi ſupra oſtendi; de Breviarii quoque S. Crucis anno 1531. in lucem editi quis ambigat? Nam D. Dionyſius primus Prior clauſtralis reformationis ipſius Monaſterii juſſit cuidam Canonico, ut juxta præfati ordinis morem, regulas, & ordinationes Breviarium accuratius ordinaret. Qui præcepto Patris libentiſſime obtemperans maturius, & ſolertius ſupra ſcriptum Breviarium contexuit; & per Germanum Galhardum fuit impreſſum in dicto Monaſterio anno Chriſtianæ ſalutis 1531. ſexto Idus Aprilis. Notandum tamen in S. Simonis Breviario Sevorinam pro Senorina legi, & inſcribi.

Digitized by Google

## §. V.
## *De S. Joanne Guarino.*

JOannes Guarinus, quem Fr. Leo a S. Thoma, & eruditus quidem Emmanuel Severim de Faria Canonicus Eborenſis, nec non Antonius Tavares de Tavora patria Luſitanum ex Tranſtagana provincia optime demonſtrarunt, primum Anachoreta, poſtea Monachus fuit *Montis Serrati*, apud omnes qui ad Beatiſſimã Virginẽ de peregrinatione ſcripſerunt, a vitæ ſanctitate ante, & poſt lapſum ſuum memoratiſſimus. Ille ut de mundo, diabolo, & carne triumpharet in montis illius latebris ſe occuluit; ſed hoſtis humani generis tantam puritatem ſuſtinere non valens, cum ſuggeſtionibus a propoſito deterrere non potuiſſet, Mariam, ſive Richildem puellam elegantiſſimam Comitis Barcinonenſis filiam cœpit graviter torquere: & cum exorciſmorum vi egredi cogeretur, reſpondebat, ſe numquam egreſſurum niſi a Joanne Guarino *Montis Serrati* ejiceretur. Quo Comiti nuntiato, ſtatim cum patre filia itineri ſe dedit ad Joannem, qui a patre Richildis rogatus, ut filiæ miſereretur, mirabatur, & neſciebat quid ageret. Verum parentis precibus, & puellæ doloribus commotus pro ſalute Deum rogavit, & diaboli abſceſſum e corpore adimplevit; qua propter Comes, & Rechildis a dœmone jam liberata Deo grates impenderunt. Sed quid inde! Audierat Comes ſæpe diabolum dicentem, ſe quidem egreſſurum de corpore filiæ, ſed paulo poſt reverſurum. Hinc timens dæmonis reditum Joannem rogavit, ut ſecum filiam aliquandiu retineret. Diſplicuit id Eremitæ, ſed ad aſſiduas preces paruit. Bone Deus! quot in viro juſto pericula! Ille ſæpius accitam puellam ad ſalutis viam dirigebat; interim tamen libidinis ardore cœpit accendi, & licet in tanto conflictu orationi ſæpe inſiſteret, cruciſque ſigno ſe obarmaret, & eam relinquere cuperet periculum vitaturus: attamen maledictus teſtis Joannem ita faſcinavit, ut tentatione perſeverante, peccato conſentiret, ac virginem violaret.

Digitized by Google

Mœrore confectus, a diabolo gravius tentatus ne mundus, qui eum pro ſancto habuerat, ſcandaliſaretur, optimum duxit puellam interficere, & hoc modo ſcelus ſuum abſcondere. Miſer Joannes qui peccato conſenſerat violando fœminam, alterum multo gravius perpetravit arrepto cultro eam interficiendo. Diabolus qui tentaverat, irridendo, ſubſanando diſparuit: quod Joannes videns, & reatum ſuum agnoſcens, amare cœpit flere, & a Deo veniam poſtulare: & de ſomno veluti ſurgens Romam ire tentavit, ut pœnitentiam ageret, & Comitem fugeret vindicaturum. Romam accedens Stephano VI. ſe præſentavit, confeſſus eſt ei peccata ſua, & abſolutionem, ac pœnitentiam accepit, quæ erat ea, ut ſi ad ſpeluncam rediret, adinſtar beſtiæ manibus,& pedibus gradederetur, ad cœlos numquam oculos levaret, & id obſervaret quouſque trium menſium infans juberet ei ſurgere, in ſignum quod ſibi Deus peccatum remiſiſſet. Strictius adimplevit; & ſucceſſu temporis veſtibus conſumptis, aeris inclementiæ, ſolis ardori, & frigori nudus expoſitus tam niger, & piloſus evaſit, ut non homo, ſed beſtia ferociſſima crederetur. Circa finem ſeptimi anni pœnitentiæ, cum Barcinonenſis Comes ad montis radices venaretur, & ejus venatores urſum inſequentes Guarini ſpeluncam adirent, canes vehementer latrabant, ſed ingredi, & lædere non audebant. Venatores ingreſſi Guarinum totum pilis coopertum, non loquentem, nec quidem moventem repererunt mirati, quænam hæc eſſet beſtia. Hujus prædæ Comitem certum reddiderunt, qui multo plures miſit viros, ut beſtiam vivam apprehenderent, & ad ſe adducerent. Illi ergo Joannem veluti ſeram irgatum aportarunt, & in ſtabulo equorum, ubi victus adinſtar feræ miniſtrabatur, collocarunt.

Cum autem Comes maſculum filium ſuſciperet, convocatis provinciæ optimatibus, convivium eis fecit, & ut epulantes redderet jucundiores, adferri juſſit ſylveſtrem hominem, qui veluti beſtia, quæ ipſi porrigebantur, rodebat. Advenit tamen Dei miſericordia, nam cubiculum ingreſſa eſt nutrix cum infante in ulnis, qui in exiſtimatam feram oculos

Digitized by Google

dirigens alta, & clara voce dixit: *Surge Frater Joannes Guarine, ſurge, & ſta rectus; nam Deus remiſit tibi peccata tua.* Quibus auditis, ſtatim ſurrexit, & flectens inde genua Deo grates impendit. Mirantibus omnibus, Joannes Comitem adiit, ipſi, ac circunſtantibus, hiſtoriam, ac rem geſtam enarravit; veniam cum lacrymis poſtulavit, & ſeipſum obtulit morti, & ſupplicio, ſi Comiti placeret vindicare. Ille e contra ſurgens amplexatus eſt eum, induique juſſit dicens: poſtquam a cœleſti, & ſuprema curia dimiſſus fuiſſet, & abſolutus, inferior nihil amplius poterat. Poſtea rogavit Comes ut ſibi oſtenderet locum, ubi filiam ſepeliverat, quatenus ejus oſſa honeſtiori loco ſepelire, ſimulque B. Dei Genitricis imaginem recenter inventam viſitare poſſet. Cujus precibus annuens Joannes perrexit, & oratione facta coram imagine, Comiti oſtendit, ubi poſuerat filiam. Stupendum miraculum! quam putabant a vermibus fuiſſe corroſam, & in cineres redactam, invenerunt vivam, ſanam, & pulcherrimam, habentem tantum in collo cicatricem purpuream ad inſtar ſericæ faſciolæ, ubi Joannes infixerat gladium. Dixit autem puella ſe fuiſſe præſervatam a B. Virgine Matre, cui ſe ipſam ardenter commendaverat, cum Joannes eam occideret. Comes voluit filiam ſecum adducere, ſed illa renuit, dixitque ſe hic velle vitam ſuam, quam de miſericordia, & bonitate Dei Genitricis tenebat, in ejus obſequio impendere. Quapropter Comes ibidem Monaſterium puellarum condidit, quarum obſequio Joannes mancipatus in magna auſteritate, & abſtinentia tranſegit, & in pace quievit pridie Idus Junii anno 905. cujus corpus in ſpelunca ſepultum eſt, donec oſſa in prædictum Monaſterium translata ſunt.

## §. VI.

### *De S. Columba Ozoris, & D. Sanctia Infante.*

S. Columba Ozoris, ſive Ozoni in vetuſtiſſimo Cœnobio Arcenſi in Diœceſi Lamecenſi tempore Almanſoris Abbatiſſa extitit. Monialibus ceteris exemplo præibat, cum

Digitized by Google

tyrannus Almanſor Luſitaniam cum exercitu ingreſſus Lamecum accederet, Monaſterium illud ſolo æquavit, & Sanctam Virginem cum aliis Sanctimonialibus ejuſdem Cœnobii ob fidei conſtantiam, & caſtitatis candorem decollavit.

Inter Luſitaniæ virtute clariores fœminas, quæ ſæculo undecimo floruere, maxime emicuit Sanctia Comitis Raimundi filia, qui a Rege Alphonſo VI. ſocero ſuo Colimbriæ præfectus erat. Is erat Sanctiæ erga Deum amor, ut ſacra loca, quibus Redemptor noſter eſt paſſus, videndi deſiderio flagrans illuc iter arriperet; & ſeptem annorum ſpatio tot portentorum contemplatione vitam ageret. Inde Romam ſe contulit ſacrorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſepulcrum pie veneratura. Tot meritis, virtutibuſque inſignis patriam remeavit, & Eſpinenſe Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis, qui id temporis in diverſas Europæ regiones diffundebatur, in Caſtella condidit, ibidemque ſepulta eſt.

## §. VII.
## *De S. Ardinga.*

ARdingæ memoriam colunt Luſitani plurimi, Cardoſus in ſuo Agiologio ad diem 4. Februarii, Angelus Manrique ad annum 1170. Annalium Ciſtercienſium, & Ludovicus ab Angelis in vitis Sanctarum Luſitaniæ. Vixiſſe ea dicitur circa annum 995. Antonius de Vaſconcellos in deſcriptione regni Luſitaniæ ita meminit: *Urbs Lamecenſis Principis Ardingæ interitu nobilis eſt, quam Rex pater, quod relictis Maurorum deliriis Chriſtianorum ritus amplexa eſt, furore percitus ſuffocavit.* Traditio eſt eam ut Thedoni regii ſanguinis Principi virtutis bellicæ fama celeberrimo nubere poſſet, patrem Maurum reliquiſſe, cum collactanea puella confugiſſe ad Chriſtianos, & eorum myſteriis imbutam, tinctamque fuiſſe baptiſmo: quod ut comperit parens, clam eo veniſſe, eamque ſuffocaſſe.

Digitized by Google

## §. VIII.
## *De S. Goldrofo.*

INter cetera, quæ plurimi facienda Canonici Ordinis Lusitani Congregatio sui ipsius detrimento, ac jactura amisit, monumenta illa credimus, quæ S. Goldrofi res præclare gestas exaratas continuerant: vix ex traditione orali, & quibusdam, raro tamen asservatis, scriptis quidquam de insigni viro posterorum memoriæ traditur. Sæculo undecimo jam adulto floruit primus Goldrosus Prior Canonicorum Regularium Monasterii S. Petri de Folques, Rege Alphonso VI. Legionis, Castellæ, ac Portugaliæ, Colimbriæ Consule Sesnando, & ejusdem urbis Episcopo Paterno. Virtutum meritis cumulatus de omnium populorum ad illum id temporis confluentium amore, & benevolentia merebatur; quapropter adhuc vivens ab omnibus Sanctus appellabatur. E' vivis ablatus, quantum ejus apud Deum in cœlis esset meritum, tot miraculis, ac portentis ostendit. D. Michael Colimbriensis Episcopus Canonicus Regularis anno 1170. qui Goldrofi ope sanitate n recuperaverat, de ejus virtutibus, ac miraculis certus Sanctorum fastis adscripsit, ipsius imaginem in altari collocavit, ac festum die 4. Februarii celebrari indulsit. Episcopi enim jure suo in suis Diœcesibus cultum publicum aliquando decreverunt, & potuerunt decernere erga Martyres vindicatos, & Confessores approbatos, quæ a nonnullis particularis dicitur Canonizatio, sed a Sanctissimo Benedicto XIV. Beatificatio appellatur; cum Episcopale præceptum terminos suæ Diœcesis prætergredi non posset; eaque natura sit Beatificationis, ut intra Diœcesim, aut Provinciam cultus sit definitus. Præstitit hæc Episcopalis jurisdictio usque ad tempora Alexandri III. Romani Pontificis: eo quippe sæculo, quo ipse vixit, plures Beatorum corporum elevationes sola Episcopali auctoritate factæ leguntur. De quibus videatur Sanctissimus Benedictus de Servorum Dei Beatificatione lib. 1. cap. 10.

Anno 1190. quo novum Monasterium ad Folquesium oppi-

Digitized by Google

oppidum extructum est, ab D. Gundisalvo Colimbriensi Episcopo, Monasterii Canonicis postulantibus, Sanctissimum corpus suavissimo odore flagrans translatum est, & sub maiore altari collocatum; os tantum tibiæ venerationi publicæ populi asservatum, & anno 1379. Era 1417. in ejus memoriam ibidem fuisse aram conditam constat ex membrana apud Collegium Colimbriense Canonicorum Regularium, qua facta est Emphyteusis a Canonicorum Folquesiensium capitulo inter aram S. Goldrosi, & Blasii celebrato, ejusdem Monasterii Priore Comendatario Wilelmo Cardinali de Xanaco. Non tantum die 4. Februarii, verum & 7. Septembris Folquesium ingens hominum multitudo e longinquis locis confluit, & Goldrosum laudatura, & beneficia ejus meritis a Deo consequutura. S. Goldrosi non tam Lusitani, quam exteri meminerunt P. Bento Zaysperger Canonicus Regularis Germanicus in Canonico Tirocinio: Bollandistæ ad diem 4. Februarii in appendice, & 7. Septembris. Aræ, & & sacella in ejus memoriam per Lusitaniam sunt erecta; apud Montem maiorem non longe a Colimbria in Ecclesia S. Michaelis, apud Ovar prope Talabricam, & in oppido tribus leucis prope Almeidá, omnia miraculis ab eo perpetratis insignita. D. Michael ab Annuntiatione Canonicus Regularis Episcopus Colimbriensis ex cultu immemoriali apud Lusitanos, & miraculis, quæ indies perpetrantur, causam agit apud Sedem Apostolicam Goldrosi memoriam, & cultum inter Sanctos ab Apostolica Sede declaratos exscripturus.

## §. IX.

## *S. Jacobi Apostoli erga Colimbriam præsidium miraculo confirmatum.*

QUo jure Beato Jacobo non tam Lusitania, quam universa Hispania sit obstricta, tot testantur prodigia, quæ pro Hispaniensium præsidio Apostolus ipse in bellis adversus Saracenos, præsertim Ranimiro, ac Ferdinando Regi-



Digitized by Google

bus perpetravit. Irriſerunt alii, quæ Hiſpanenſes de Patrono ſuo celebriora memorarunt, ſed pœnas ſuas dediſſe conſtat, aut malam ſuam fidem retractaſſe in Apoſtoli ipſius gloriam, Hiſpanienſiumque provinciarum ornamentum. Ex plurimis unum referre in præſentiarum ſit ſatis. Beati Jacobi meritis a Rege Ferdinando Colimbriam fuiſſe captam ſic manifeſte innotuit. Anno 1045. venerat ab Jeroſolymis Epiſcopus quidam natione Græcus, qui in porticu Eccleſiæ S. Jacobi diu permanens vigiliis, & orationibus inſiſtebat: cumque intrantes populi laudando, Beatum Jacobum militem, ac ducem decantarent, ipſe peregrinus dicere cœpit eum nec ducem, nec militem fuiſſe, ſed piſcatorem. Cum vero pernoctaret in oratione, ſubito raptus in extaſi, ei Apoſtolus apparuit, & tenens quaſdam claves manu, alacri vultu alloquens inquit: Heri pia precantium vota deridens dicebas me militem non fuiſſe. Poſt hæc allatus eſt ingentis magnitudinis ſplendidiſſimus equus ante fores Eccleſiæ, cujus nimia claritas totam apertis januis Eccleſiam perluſtrabat: quem Apoſtolus aſcendens innotuit peregrino illis clavibus ſe civitatem Colimbriam aperturum, & Regi Ferdinando in craſtinum circa tertiam diei horam ſe daturum. Quibus dictis, diſparuit. Facto autem mane peregrinus vocatis clericis, & maioribus civitatis indicavit eis viſionem, & expeditionis ignarus dixit ipſa die Regem Ferdinandum Colimbriam habiturum. Qui denotato die legatos miſit cum feſtinatione ad invictiſſimi Regis caſtra, ac dirigentes invenerunt Colimbriâ a Rege captâ ea die, & hora, qua dixerat peregrinus. Id Beati Jacobi præſidium non tantum Hiſpanenſes Auctores memorarunt, verum & Galli, & Colimbrienſes cives in grati animi ſignum Sancto Apoſtolo templum erexerunt, quod inter antiquiores ejuſdem civitatis parœcias circiter ab ævo illo numeratur.

Digitized by Google

# CAPUT VIII.

## *Canonicorum Regularium mores per Lusitaniam sæculo* II.

CAnonicis Regularibus patrimonium, aut ulla bona quovis modo quæsita proprio nomine possidere, aut peculium habere aliquando licuisse opinati sunt alii propter Regulam a Synodo Aquisgranensi 1. sub Ludovico Pio Imperatore approbatam. Per Gallias fortasse id eorum esset institutum, quod refellebat S. Petrus Damiani opusculo 24. contra Canonicos proprietarios : *sed cum hæc illis objicimus, ipsi regulæ suæ librum protinus offerunt, ad regulæ suæ auctoritatem redeunt, eaque sibi proprietatis peculium concedente, pati se præjudicium conqueruntur. Quam nimirum regulam nos nec funditus improbamus, nec auctoritatem illi omnino tribuimus. Probamus enim in quantum Sanctis Ecclesiæ Doctoribus consonat : abjicimus, atque conspicimus, in quantum authenticis eorum institutionibus non concordat.* Canonici tamen fere omnes, qui regulare habuerant nomen, & S. Augustini regulam profitebantur, paupertatis voto obstringebantur : quamobrem Clemens III. Pontifex Maximus cap. *Super quodam* de statu Monachorum lib. 3. Decretalium Canonicum quemdam Regularem cum peculio morientem Christiana sepultura privari decrevit. *Canonico Regulari qui in articulo mortis agens, licet a Priore suo commonitus, proprium, quod contra regulam latenter habuerat, noluit resignare, & sic diem clausit extremum, & fuit inter alios fratres traditus sepulturæ ... Inquisitioni tuæ taliter respondemus : quod ille Canonicus non tantum fuit Christiana sepultura privandus, verum etiam si sine maximo scandalo fieri potuit, de ipsa projici dignus est Ecclesia. Hoc autem cum forte contigerit, in similibus est agendum.*

Id quoque erat Canonicorum Regularium per Lusitani-

Digitized by Google

am jam a ſæculo decimo inſtitutum, qui ſecundum Auguſtinianam Regulam non dicebant aliquid proprium, ſed iis erant omnia communia: nec Auguſtinianam Regulam, quam profeſſos eſſe in tot jam ſupradictis monumentis donationum legimus, obſervarent, ſi in ea ſocietate proprium haberent, & prout unicuique opus erat non diſtribueretur. Ex antiquiſſimo libro Archivi Monaſterii Eccleſiolæ pag. 16. & 34. quem ad manus ſæpe habuiſſe fatetur Clariſſimus ejuſdem Monaſterii Canonicus D. Marcus a Cruce, certum eſt juxta Sancti Parentis regulam paupertatis voto omnes eſſe obſtrictos, ut nulli aliquid eſſet proprium, ſed in refectorio, in veſtitu, & aliis omnia fuiſſe communia ad annum uſque 1292. in quo laxata regulari diſciplina, die decima menſis Octobris Canonici in capitulum adunati Monaſterii reditus ſingulis annis inter ipſos quodammodo diſtribuendos ſtatuerunt; & licet in refectorio ſimul diſcumberent, quidquid ſupererat, ſibi reſervabant, & prout unicuique libuerat, diſtribuebatur. Strictiſſimæ illi Eccleſiolæ Canonicorum decimo, ac undecimo ſæculo obſervantiæ non abſimilis erat quæ in ceteris Canonicorum Monaſteriis habebatur.

Quis eorum vigilias, jejunia, orationes, lectiones ſacras, & alia regularis vitæ non miraretur, quibus ſoli Deo vacare contenti erant? Eccleſiolæ Canonici a carne abſtinebant non tam in Sabbatis, ac ſextis feriis, verum & in quartis, ac ſecundis, ſi in his divinum novem lectionum officium incideret. In vigilia Aſcenſionis triduanum ſervabant jejunium. A Dominica ſeptuageſimæ jejunium inchoabant uſque ad Paſcha, excepta feria tertia ante Cinerum diem ex ſupracitato codice, & in Adventu. Quāvis Monaſteria in congregationem non eſſent unita, inter ſe mutuo charitatis vinculo jungebantur, literis, ac viſitationibus mutuis in amore ſancto fovebantur: & ipſemet Clariſſimus, ac Religioſiſſimus Vir jam memoratus D. Marcus a Cruce hujuſmodi literas in eodem Eccleſiolæ Archivo olim cuſtoditas ſe vidiſſe, legiſſeque teſtatus eſt. Omnium tanta erat obedientia erga Præpoſitos, ut, qui Monaſteriorum paroeciis præficiebantur,

Digitized by Google

ad eorum nutum removerentur; & siquid delicti committerent in Ecclesiarum regimine, ab iisdem Præpositis punirentur.

# CAPUT IX.

## *De Viris sapientia in Lusitania præclaris.*

IN densissimis Hispaniæ tenebris a sæculo octavo scientiæ obrutæ pene sunt; vix quidem inter Mauros huc ex Africa transmigrantes enituerunt Medicina, & Astronomia: siquidem ante id temporis nihil languidius acceperamus; Arabes enim utramque artem supra modum consequuti putantur, & quæ longinquitate temporum, multisque experimentis observarant, in commentarios retulerunt. Hinc, ait Alphonsus Garcias Matamorus, tot speluncæ in jugis Hispaniarum montium, & prærupta, editissimaque oppida reperiuntur, quæ partim ad Christianorum insidias explorandas, & partim ad intuendum cœlum ex omni parte patens atque apertum sapienter ædificata videntur. Cum enim planitiem, ut Assyrii, ad considerandas stellas, earumque motus, ac trajectiones ubique non haberent, ad celsissima loca, unde longissimus esset in omnem partem prospectus, universi Astronomi concessisse credunt. Ex Historiographis, quos de Lusitaniæ rebus scripsisse constat, id temporis fuit Maurus Rasis: hic 70. annos ante Avicennam Arabem sæculo decimo floruit, cunctorum ante se Scriptorum commentarios collegit, res in Hispaniæ militia gestas, profanas simul, & Ecclesiasticas Historiæ monumentis consignavit; cujus opus ex Arabica lingua in Lusitanam transtulit Magister Masamedus Maurus & ipse ex iis, qui in Lusitania remanserunt. Juxta eruditissimi Resendii judicium Rasis quod Historiam scriberet, omnesque antiquitates, ac res Romanas ignoraret, fabulas sæpe veris narrationibus permiscet, verum cum Maurorum imperium attingit, tempora servat, veritatisque rationem habuit. *De Academiis, & doctis viris Hispaniæ.*

Sæculo quoque decimo, aut juxta alios undecimo flo-

Digitized by Google

ruit Angelus patria Pacenſis in Tranſtagana provincia, & plurimorum Sanctorum Luſitanorum vitas exſcripſit, quæ tempore Clariſſimi Viri Fr. Bernardi de Brito in Alcobatienſi Bibliotheca a quingentis ferme annis aſſervabantur. D. Niculaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana Angeli opus apochryphum judicat, quod ſoli Fr. Bernardo de Brito, numquam alii notum fuerat. Sed ipſemet eruditus Ciſtercienſis in ſuæ fidei teſtimonium adducit teſtes in initio ſuæ Monarchiæ Luſitanæ.

Eodem etiam ſæculo undecimo alii floruerunt literati viri, quos mirata eſt Luſitania; licet ipſorum ſcripta publicam lucem non viderint, poſterorum memoriæ fuerunt commendati, & propter ſapientiam meriti qui Magiſtrorum nomenclatura inſignirentur. Canonici erant ii Regulares Monaſterii Eccleſiolæ, quorum memoria in veteri ejuſdem Monaſterii Neucrologio obſervatur: 11. *Kalendas Martii Magiſter Stephanus*: 6. *Nonas Martii Magiſter Michael*: 3. *Kalendas Julii Magiſter Martinus*: 15. *Kalendas Novembris Magiſter Ferdinandus*: Ii ſcientiarum amore de ſuorum Priorum, ac conventus conſenſu Pariſios a Caroli Magni tempore ſtudiorum Matrem, ac Academiam inſignem peragrarunt; unde maximo profectu patriam remearunt; & in Monaſterio Eccleſiolæ Canonicos ceteros, ac Luſitaniæ nobiliores juvenes docuerunt. Et quamvis in veteri Luſitaniæ Hiſtoria alii ſapientes viri non occurrant, ſed Scriptorum non tam ſilentio, quam defectu prætermitterentur, creditu quidem eſt in tot Luſitaniæ Monaſteriis inſignes extitiſſe viros ſtudiorum, ac ſcientiarum vere amantes.

Monaſteriorum enim id temporis conditio erat, ut ſeminaria eſſent, in quibus pueri ad pietatem, & literarum ſtudia inſtituebantur. Hæc Galliarum conſuetudo a tempore Caroli Magni, qui in Capitulari Aquiſgranenſi cap. 72. ſtatuit ut tam Monachi, quam Canonici non ſolum ſervilis conditionis infantes, ſed etiam ingenuorum filios aggregarent, ſibique ſociarent. Et ut ſcholæ legentium puerorum fierent, Pſalmos, notas, computum, Grammaticam per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia diſcerent. Galliarum conſuetudinem

Digitized by Google

imitati sunt Hispanienses Monachi, quanta enim consuetudine Hispani cum Gallis miscerentur, præsertim a Caroli Magni imperio negabit solus ille, qui Hispaniarum, & Galliarum Historiam non attigerit. Imo tot Episcopi, & Abbates ex Monasteriis ad Lusitanarum Ecclesiarum regimen assumpti non tam ante Saracenorum ingressum, quam post excessum testes sunt omni exceptione maiores qua doctrina, qua eruditione Ecclesiæ regendæ necessaria essent imbuti: fortasse Gentilium, & Hæreticorum volumina legere Monachi prohiberentur, pretiosa tamen eorum erat suppellex, unde sapientiam eruebant: Sacra Scriptura erat, Sacri Canones, Patrum voluminibus non exceptis; Canonem 25. Concilii Toletani 4. Lusitaniæ, ac aliarum Hispaniarum Generalis observabant feduli, *ut ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus Dei esset vitanda, qui docendi officium in populis susceperant; sciant igitur Sacerdotes scripturas Sacras, & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat, atque ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina.* Monachorum manus, quod est utilius, pro aratro convertebatur ad pennam, pro exarandis agris, divinis literis paginæ exarabantur, serebatur in cartula Verbi Dei seminarium, quod esurientes lectores repleret, & sic panis cœlestis lethalem animæ famem depellebat. Contemptis primum, atque desertis mundi hujus illecebris in comuni vitam sanctissimam agebant, vivebant in jejuniis, in vigiliis, sed in lectionibus quoque, ac disputationibus.

## CAPUT X.

### *De Optimatibus, quos Ricos Homines appellabant.*

OPtimatum causa, qui Comitis D. Henrici constitutis municipalibus, & Ecclesiasticis legibus subscribunt, opus existimo agere de iis, quos *Ricos Homines* appellabant, & per Lusitaniam ad Regis Alphonsi V. tempo-

Digitized by Google

ra uſque floruere. Ex aliis Hiſpaniarum curiis ad Luſitaniam hæc Optimatum nomenclatura pervenit. Beutherius Valentinus *Ricos Homines* eos appellavit, qui ex Gothorum Regum progenie orti erant; nam cum ex Gothorum Regibus complures nominarentur Amalarici, Eurici, Theodorici aliiſque id genus nominibus, eos, qui illos ſuæ ſtirpis auctores habere gloriabantur, ait ſimili modo conciſo nomine ab extremis duabus ſillabis *Ricos Homines* fuiſſe appellatos: vetuſtamque hancce conſuetudinem ad eos ſenſim magnates deveniſſe, qui de fortitudinis ſtipendiis erga Gothorum Reges meriti erant, aut ſumos gerebant Magiſtratus, tametſi ab iis ortum non ducerent. Equidem omnes, qui in pace, aut in bello bene de regno merebantur, ſub Gothorum imperio hoc *Ricorum* nomine, quaſi ſummo honore afficiebantur. Gothorum regno contrito, eadem per Hiſpanias viguit conſuetudo, & *Rici Homines* dicebantur, regnorum regendorum duces, qui genere, & nobilitate ceteros anteirent; indeque dicunt alii *Ricorum Hominum* nomen defluxiſſe.

Alii voluerunt ipſius vocabuli vim ſatis ipſo nomine declarari, nec alia opus eſſe explicatione; hinc illis nimis arridet *Ricos Homines* dici qui olim pecunia fuere principes civitatum, quique præter ceteros magis opibus, ac copiis fluxere, quaſi & antiquioribus ſæculis ac etiam noſtris omnium rerum delectum, atque diſcrimen pecunia ſuſtulerit, eaque ſola ſemper omniū dignitatum gradus exæquaverit. Mihi equidem nimis placet prior nominis Etymologia cum Hieronymo Blanca de rebus Aragonenſibus. Quis enim patiatur, & ſibi perſuadeat maiores noſtros Hiſpanienſes cordatos, & ſapientes viros, rerum maximarum ſtudioſos, hunc honorem, qui ſoli virtuti, ac generis ſplendori debebatur, inanibus divitiis adaptaſſe? quas qui avide amplectuntur, ſemper magna, & illuſtriora contemnere conſueverint. Non a divitiis, ſed a nobilitate *Ricos Homines* appellamus, quin imo falſo divites, nobilitatis expertes, *Ricorum Hominum* ſibi vulgare nomen aptum ſuis auribus adſciverunt. Erga veteres non ex opibus, ſed ex virtutibus in bello, aut pace quæcumque di-

Digitized by Google

dignitas pendebat. Quapropter *Rici Homines* erant qui ex optimatum genere, aut nobilitate erant primi, præcipuaque in regno auctoritate fruebantur, & loco. Quorum virtus cum in bellis eniteret, iis, quæ a Mauris vindicabant, oppidis pro eorum temporum conditione donabantur: aliquando proceres, aliquando magnates, optimatesque inscribebantur. Vocabantur quoque nostro idiomate *Rici Homines de pendaõ, e caldeira*, quod in bello vexilla propria ferrent, sub quibus ipsorum clientes stipendia merebant; & eorum ære, & alimonia sustentabantur. Regum erant a consiliis, Regum donationes firmabant: & si suis regnis tuendis non essent necessarii, aliis Regibus vicinis quandoque opem ferebant.

*Rici Homines* illustriori gradu præ *Infancionibus* habebantur; nam ex *Infancionum* nobilitate ad *Ricorum Hominum* evehebantur, ut scripsit Comes D. Petrus in sua Nobiliarchia de Ruis Gomes de Briteiros, qui ex Infancione a Rege Alphonso III. *Ricus Homo* assumptus est. Hinc certum est maxime *Infanciones* Regum filios, aut nepotes non fuisse: quis enim credat hujusmodi Principes *Ricis Hominibus* nobilitate, aut dignitate minores esse? Propter alia vocabula, quæ in ejusdem Comitis D. Henrici reperiuntur constitutionibus, non abs re est Sagionum, aut Burgorum nomina explicare. Sagiones erant, quos Apparitores dicimus; & ex indumento, quo utebantur, Sagiones dicebantur. Burgi vero dicti erant, qui Cives erant, aut prope civitates domicilium habebant, & ætate ista suburbanos appellare consuevimus. Antiqua Lusitanorum conditio Aragonensium non erat absimilis, de quibus Vitales Episcopus apud Hieronymum Blancam ita est prosequutus: „ Conditio talis est (Aragonen-„ sium) & extitit ab antiquo, ut eorum sit singulorum, & „ omnium conditio discernenda. Sunt enim quidam Infancio-„ nes; quidam homines servitii, sive signi. Infancionum au-„ tem alii Ermunii, alii Franchi de carta vulgariter appellan-„ tur. Ermuniorum autem Infancionum alii Barones, vel „ Rici Homines: alii Mesnadarii; alii simplices milites, alii „ Infanciones simpliciter nominantur. Hominum autem servi-



Digitized by Google

„ tii, ſive ſigni, alii Cives, vel Burgenſes, alii Villani, vel „ Pagenſes; alii Villani de parada juxta fori conſuetudinem „ appellantur. Infanciones Ermunii, hoc eſt immunes ab „ omni munere, ſeu onere, ita quod nemini dare ex neceſ- „ ſitate, vel ſervitute teneantur; ſunt tali nomine redimiti, „ quibus ſunt libertas, & conditionis decor a tempore, quo „ non extat memoria adquiſita, imo innata, ut propriis elo- „ quamur. Infancio de carta eſt is, cui immunitatem, quam „ genus, vel natura negavit, liberalitas ejus, cujus erat ad- „ ſtrictus ſervitio, conceſſit cum authentico inſtrumento ... „ Meſnadarus eſt, qui eſt de genere Ricorum hominum, ſal- „ tem ex patris linea oriundus; in cujus patris genere non „ extat memoria, quod fuerit alicujus vaſſalus, niſi Regis, „ vel Regis filii, vel Comitis a genere Regis deſcendentis, „ vel Epiſcopi, vel alterius Prælati, quorum conſideratur re- „ verentia propter Deum. Miles ſimplex eſt, ... vaſſalus ali- „ cujus præter Regem, vel Regis filium, vel Comitem ex „ Regis genere oriundum, vel Eccleſiæ Prælatum :: Cives „ autem ſunt omnes, qui in civitatibus commorantur, vel in „ villis æquivalentibus civitati, aut prope urbem. Ex quibus „ illi dicuntur Burgenſes, qui licet Capitularios habeant, & „ miniſtros per quos ducunt ſua officia exercenda: ipſi ta- „ men manibus ſuis non exercent.„ Hactenus Vitales.

Non tantum ex Vitali, verum & ex antiquioribus Luſitaniæ monumentis pro comperto eſt Epiſcopos inter *Ricos Homines* numerari, eorum juribus, immunitatibuſque frui: oppidis etiam, aut urbibus aliquando præficiebantur; Rudeſindus enim olim Dumienſis Epiſcopus Gallæciæ præfectus fuerat, Seſnandum, & alios eadem præfectura potitos omitto. Nec ſolum Gothorum Regum, ſed & aliorum ad ſæculum uſque undecimum, & ultra conſiliis interfuiſſe nos certiores reddunt tot veterum monumentorum ſubſcriptiones, quibus Regum diplomata ſuis nominibus roborabant: in Regum aulis verſabantur, modo gregis ſui ſolicitudinem non excuterent.

Digitized by Google

# CAPUT XI.

## *Characteres numerales, quibus Lusitani veteres utebantur.*

IN quot præteritarum rerum errores Scriptores nostri inciderunt, quod veterum numerales characteres non perciperent? Quæ antiquiora erant, hac de causa aliquando recentiora existimarunt: quamobrem ex Monasterii S. Crucis archivo in lucem adfero brevem quandam explicandi rationem, quam cujusdam veteris Canonici cura laboratam inter cetera monumenta inveni.

Numerus quadragesimus sic inscribebatur aut XL. aut X̄.
Nonagesimus sic Xⱺ. aut Đ□.
Centesimus sic C. vel ℭ.
Quinquagesimus sic ⅁. aut L.
Quingentesimus sic D.
Millenarius quinque figuris exprimi solitus erat, aut U. aut T. aut ⊤. vel D. vel M.

*Nomina duodecim Mensium Lunarium Arabum, qui aliquando in vetustis Lusitaniæ inscriptionibus, ac monumentis reperiuntur.*

1. Muharran.
2. Saphar.
3. Rabie prior.
4. Rabie posterior.
5. Guimadi prior.
6. Guimadi posterior.
7. Regiab.
8. Sahaben.
9. Ramadan.
10. Schevval.
11. Dulkaidath.
12. Dulkagiath.
Vel Dilhaga.
Vel Dilithshe.

Digitized by Google

## *Luſitanæ Eccleſiæ Epiſcopi certi ab Euangelio promulgato uſque ad tempus Sereniſſimi Comitis Domni Henrici Portugaliæ Domini.*

### EPISCOPI BRACARENSES.

1. S. Petrus Ratenſis.
2. S. Baſileus.
3. Sinagrius.
4. Paternus.
5. Pancratius.
6. Balconius, ſive Ceponius.
7. Profuturus.
8. Lucretius.
9. S. Martinus Dumienſis.
10. Pantardus.
11. Julianus.
12. Potamius.
13. S. Fructuoſus.
14. Leodiciſius.
15. Liuva.
16. Fauſtinus.
17. Felix.
18. Argimirus.
19. Heronius.
20. Hermigildus.
21. Petrus.
22. S. Giraldus.

### EPISCOPI EMERITENSES.

1. Martialis.
2. Felix.
3. Liberius.
4. Florentius.
5. Idacius.
6. Patruinus.
7. Gregorius.
8. Gelaſius.
9. Antoninus.
10. Paulus.
11. Fidelis.
12. Mauſona.
13. Innocentius.
14. Renovatus.
15. Stephanus I.
16. Oroncius.
17. Proficuus.
18. Stephanus II.
19. Maximus.
20. Ariulphus.
21. Landus.

Digitized by Google

## EPISCOPI OLYSIPONENSES.

1. Potamius.
2. Paulus.
3. Goma.
4. Waricus.
5. Neufridius.
6. Cæsarius.
7. Theodoricus.
8. Ara.
9. Landericus.

## EPISCOPI EBORENSES.

1. S. Mantius.
2. Quintianus.
3. Julianus.
4. Jozimus.
5. Siziſclus.
6. Abjentius.
7. Zozimus.
8. Petrus.
9. Tractemundus.
10. Arcontius.

## EPISCOPI COLIMBRIENSES.

1. Elipandus.
2. Lucentius.
3. Ermulphus.
4. Renatus.
5. Siſibertus.
6. Cantaber.
7. Miro, ſeu Gomiro
8. Emila.
9. Servandus.
10. Nauſtus.
11. Froarengus I.
12. Gundiſalvus Oroſius.
13. Didacus.
14. Froarengus II.
15. Gomaldus.
16. Gudeſindus.
17. Velirulfus.
18. Pelagius.
19. Petrus.
20. Paternus.
21. Martinus.
22. Crefconius.

## EPISCOPI OSSONOBENSES.

1. Vincentius.
2. Ithacius.
3. Petrus.
4. Saturninus.
5. Exarnus.
6. Agripius.

Digitized by Google

## EPISCOPI BRITONIENSES.

1. Mailoſus.
2. Mitopes.
3. Sona, ſive Sonaſus.
4. Bela.
5. Theodoſindus.

## EPISCOPI PORTUGALENSES.

1. S. Baſileus.
2. Arisbertus.
3. Conſtantius.
4. Timotheus.
5. Argebertus.
6. Anſiulphus.
7. Flavius.
8. Froaricus.
9. Felix.
10. Gumadus.
11. Hermogius.
12. Eunegus.
13. Seſnandus.

## EPISCOPI PACENSES.

1. Apringius.
2. Palmatius.
3. Modarius.
4. Theodoredus.
5. Adeodatus.
6. Joannes.
7. Iſidorus.

## EPISCOPI LAMECENSES.

1. Tiburtius.
2. Severus.
3. Idacius.
4. Sardinarius.
5. Philippus.
6. Profuturus.
7. Witaricus.
8. Filimirus.
9. Theodiſclus.
10. Gondulfus.
11. Fionicus.
12. Mironius.
13. Argimirus.
14. Jacobus.

Digitized by Google

## EPISCOPI DUMIENSES.

1. S. Martinus.
2. Joannes.
3. Benjaminus.
4. Germanus.
5. Pimenius.
6. Rechimirus, sive Anviachimirus.
7. S. Fructuosus.
8. Vincentius.
9. S. Martinus II.
10. Rudesindus I.
11. Sabaricus.
12. Rodericus.
13. S. Rudesindus II.
14. Asianus, sive Armentarius.
15. Nonius.
16. Suarius.

## EPISCOPI EMINIENSES.

1. Pontamius.
2. Possidonius.

## EPISCOPI EGITANIENSES.

1. Pamerius.
2. Ardoricus.
3. Licerius.
4. Montesius.
5. Armenius.
6. Selva.
7. Monofonsus.

## EPISCOPI VISENSES.

1. Remisol.
2. Sumila.
3. Gundemarus.
4. Lausa.
5. Farnus.
6. Widila.
7. Reparatus.
8. Wilesonsius.
9. Theodofredus.
10. Theodomirus.
11. Gundemirus.
12. Ausericus.
13. Dulcidius.
14. Hermigildus.
15. Inquila.
16. Gomes, sive Gomesius.

Digitized by Google

## *Luſitanæ Eccleſiæ Concilia certa ab Euangelio promulgato uſque ad tempus Sereniſſimi Comitis D. Henrici Portugaliæ Domini*

CONcilium Emeritenſe I. anno 255. Era 293.
Concilium Eliberitanum anno 305. Era 343.
Concilium Luſitanum anno incerto.
Concilium Toletanum I. anno 400. Era 438.
Concilium Bracarenſe I. anno 411. Era 449.
Concilium dictum Generale anno 447. Era 485.
Concilium Bracarenſe II. anno 563. Era 601.
Concilium Bracarenſe III. anno 572. Era 610.
Concilium Toletanum III. anno 589. Era 627.
Concilium Toletanum IV. anno 633. Era 671.
Concilium Toletanum V. anno 636. Era 674.
Concilium Toletanum VI. anno 638. Era 676.
Concilium Toletanum VII. anno 646. Era 684.
Concilium Toletanum VIII. anno 653. Era 691.
Concilium Toletanum X. anno 656. Era 694.
Concilium Emeritenſe II. anno 666. Era 704.
Concilium Toletanum XI. anno 675. Era 713.
Concilium Bracarenſe IV. anno 675. Era 713.
Concilium Toletanum XII. anno 681. Era 719.
Concilium Toletanum XIII. anno 683. Era 721.
Concilium Toletanum XIV. anno 684. Era 722.
Concilium Toletanum XV. anno 688. Era 726.
Concilium Toletanum XVI. anno 693. Era 731.
Concilium Aliobrenſe anno 911. Era 949.
Concilium Coyacenſe anno 1050. Era 1088.

Digitized by Google

# *Luſitaniæ Reges à Romanis expulſis uſque ad Sereniſſimum Comitem D. Henricum Portugaliæ Dominum.*

## ALANI.

Reſplendianus. Ataces.

## SUEVI.

Hermericus.
Rechila.
Rechiarius.
Maſdras.
Fromarius.
Remiſmundus.
Theodomundus.
Charraricus.
Theodomirus, ſive Ariamirus.
Miro.
Eboricus.
Andeca.

## GOTHI.

Leovigildus.
Reccaredus I.
Liuba.
Witericus.
Gundemarus.
Seſibutus.
Reccaredus II.
Suintilla.
Siſenandus.
Cintila.
Tulga.
Cindavinthus.
Recceſvinctus.
Wamba.
Ervigius.
Egica.
Witiza.
Rodericus Gothorũ ultimus.

## DE MAURIS TRIUMPHATORES.

Pelagius.
Favila.
Alphonſus I.
Froila.
Aurelius.
Silo.
Mauregatus Tyrannus.
Weremundus Tyrannus.
Alphonſus II. cognomento Caſtus.



Digitized by Google

Ranimirus I.
Ordonius I.
Alphonsus III. Magnus.
D. Garcias I.
D. Ordonius II.
D. Froila II.
D. Alphonsus IV.
D. Ranimirus II.
D. Ordonius III.
D. Sanctius I.
D. Ranimirus III.
D. Weremundus II.
D. Alphonsus V.
D. Weremundus III.
D. Ferdinandus Magnus.
D. Garcias II.
D. Sanctius II.
D. Alphonsus VI. Imperator.
D. HENRICUS COMES, ET PORTUGALIÆ DOMINUS.

# FINIS II. TOMI.

---

# ERRATA

| *Pag.* | *Linea* | *Errata* | *Corrige.* |
|---|---|---|---|
| 17 | 7 | Quos | Qui. |
| 18 | 29 | Interfuerat | Interfuerant. |
| 40 | 26 | Coercentur | Coercerentur. |
| 53 | 5 | Solitudo | Solicitudo. |
| 53 | 13 | Conferebatur | Conferebantur. |
| 60 | 21 | Sarcita | Sarta forent. |
| 62 | 8 | Et recte | De recte. |
| 63 | 22 | Ad eam | Ad eas. |
| 68 | 2 | Resarciviſſe | Resarciſſe. |
| 88 | 15 | Depoſitione | Depoſitionem. |
| 105 | 11 | Oſſa | Oſſa. |
| 134 | 30 | Maris carentem | Muris carentem. |
| 269 | 31 | Era 1020 | Era 1090. |

Digitized by Google

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM.

## A

*A Deodatus Pacenſis ſæculo 7. cap. 1. §. 3. pag. 12.*
*Adriani I. Epiſtolæ ad Hiſpanos contra Elipandum ſæculo 9. cap. 3. pag. 132.*
*Agripius Pacenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 5. pag. 15.*
*Alboazar Ramires, & ejus geſta ſæculo 10. cap. 4. pag. 201.*
*Alexandri II. Epiſtola ad Hiſpanos Epiſcopos in Judæorum favorem ſæculo 11. cap. 2. §. 1. pag. 178.*
*Alcuinus adverſus Hiſpanos ſæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 28.*
*Alleluya quo tempore cancretur ſæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 29.*
*Almanſor Luſitaniam ingreditur, ejus impietas, & interitus ſæculo 10. cap. 4. p. 199. & ſeq.*
*Alphonſus cognomento Catholicus Luſitaniæ Rex ſæculo 8. cap. 4. pag. 139.*
*Alphonſus Caſtus Luſitaniæ Rex ſæculo 9. cap. 4. pag. 142.*
*Alphonſus Magnus Luſitaniæ Rex ſæculo 9. cap. 4. pag. 146.*
*Alphonſus IV. Luſitaniæ, & Hiſpaniarum Rex Monachus fit ſæculo 10. cap. 4. pag. 195. regnum recuperat: ibidem.*
*Angelus Pacenſis ſæculo 11. cap. 9. pag. 270.*
*Annuntiationis feſtum quo menſe in Hiſpaniis ſæculo 7. cap. 3. §. 6. pag. 57.*
*Anſiulphus Portugalenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 29.*
*Ara Olyſſiponenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 4. pag. 15.*
*Araſindus non Egitanienſis, ſed Egarenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 9. pag. 20.*
*Archidiaconorum officium ſæculo 7. cap. 3. §. 5. pag. 52.*

Digitized by Google

*Archipresbyteri officium sæculo 7. cap. 3. §. 5. pag. 52. & 77.*
*Arcadius Bracarensis Episcopus incertus ab Elipando præversus sæculo 9. cap. 1. §. 1. pag. 122.*
*Arcense Monialium Monasterium sæculo 7. cap. 8. §. 2. pag. 116.*
*S. Ardinga sæculo 10. cap. 7. pag. 263.*
*Arcontius Eborensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 3. pag. 12.*
*Argebertus Portugalensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 11. pag. 21.*
*Argimirus Bracarensis Episcopus sæculo 9. cap. 1. §. 1. pag. 123.*
*Argimirus Lamecensis Episcopus sæculo 8. cap. 1. §. 5. pag. 125.*
*Argimundus Bracarensis Episcopus incertus sæculo 9. cap. 1. §. 1. pag. 123.*
*Ariulphus Emeritensis Episcopus, ac ejus pietas sæculo 9. cap. 1. §. 2. pag. 123.*
*Armenius Egitanienſis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 9. pag. 19.*
*Azence Monasterium sæculo 7. cap. 8. pag. 111.*
*Asianus, sive Armentarius Dumiensis Episcopus sæculo 10. cap. 1. §. 6. pag. 177.*
*Asyli sacri immunitas sæculo 7. cap. 3. §. 3. pag. 46. ab Imperatoribus lege sancita. Ibidem.*
*Ausericus Visensis Episcopus sæculo 10. cap. 1. §. 4. pag. 173.*

## B

*Baptisma in unica tantum mersione sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 27. Invitis collatum sæculo 7. cap. 3. §. 5. pag. 56.*
*Beatus Presbyter adversus Elipandum sæculo 9. cap. 7. pag. 154.*
*Bela Britonicnsis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 13. pag. 23.*
*Benedicti II. Epistola ad Episcopos Hispaniarum sæculo 7.*

Digitized by Google

*cap.* 2. §. 2. *pag.* 25. *quid contineat* : *ibidem.*
*Benjaminus Dumienſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 12. *pag.* 22.
*Bernardus Carpienſis Saldaniarum familiæ auctor ſæculo* 9. *cap.* 4. *pag.* 143.
*Bernardus Colimbrienſis Epiſcopus incertus* ; *ſæculo* 11. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 170.
*Bracara Saracenorum manibus erepta ſæculo* 9. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 121. *Lucenſi Urbi Metropolitanæ data* : *ibid.*
*Bracarenſes Epiſcopi ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 2. *ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 121. *Incerti pag.* 164. *Ex Eugenii IV. Decreto Portugaliæ Reges inungebant ſæculo* 7. *cap.* 5. *pag.* 100.
*Breviarium antiquum Monaſterii S. Crucis ſæculo* 11. *cap.* 7. §. 4. *pag.* 259. *S. Simonis da Junqueira ſæculo* 11. *cap.* 6. §. 5. *pag.* 241.
*Britonienſes Epiſcopi ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 13. *pag.* 23.

# C

*Cæſarius Olyſſiponenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 4. *pag.* 13.
*Caliabriæ ſitus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 7. *pag.* 18.
*Canonicorum Regularium Monaſteria ſæculo* 11. *cap.* 6. *pag.* 226. *eorum mores pag.* 267. *eorum ſtudia pag.* 270.
*Cantaber Colimbrienſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 7. *pag.* 17.
*Caroli Magni Epiſtola ad Hiſpanos ſæculo* 9. *cap.* 7. *pag.* 155.
*Centenariorum munus ſæculo* 7. *cap.* 6. *pag.* 106.
*Cerei Paſchalis benedictio in Hiſpaniis ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 1. *pag.* 29.
*Chriſtiani Luſitaniæ erant Maurorum tempore ſæculo* 9. *cap.* 5. *pag.* 149. *eorum perſecutio* : *ibid.*
*Cindavinthus Gothorum Rex*, *ac ejus geſta ſæculo* 7. *cap.* 5. *pag.* 96.
*Cintila Gothorum Rex*, *ac ejus geſta ſæculo* 7. *cap.* 5. *pag.* 95.

Digitized by Google

*Claudianum, & Cabanense Monasterium sæculo 7. cap. 8. pag. 111.*
*Clericorum scientia sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 33. tonsura pag. 36. immunitas pag. 37.*
*S. Columba Osores sæculo 10. cap. 7. pag. 262.*
*S. Comba, sive Columba sæculo 10. cap. 7. pag. 256.*
*Comitum auctoritas, ac jurisdictio in Hispaniis sæculo 7. cap. 5. pag. 104. eorum dignitas è Romanis ad Gothos venit pag. 105. differentia pag. 106.*
*Comites in Portugalia sæculo 10. cap. 4. pag. 205.*
*Comitia regni quando sæculo 7. cap. 4. pag. 86.*
*Concilia, Aliobrense sæculo 10. cap. 3. §. 1. pag. 186. Coyacense sæculo 11. cap. 2. §. 2. pag. 188. Bracarense 4. sæculo 7. §. 9. pag. 70. Emeritense sæculo 7. §. 7. pag. 60. Ovetense sæculo 9. cap. 2. pag. 131. Toletanum 4. sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 26. Toletanum 5. §. 2. pag. 43. Toletanum 6. §. 3. pag. 44. Toletanum 7. §. 4. pag. 48. Toletanum 8. §. 5. pag. 51. Toletanum 10. §. 6. pag. 57. Toletanum 11. §. 8. pag. 69. Toletanum 12. §. 10. pag. 74. Toletanum 13. §. 11. pag. 77. Toletanum 14. & 15. §. 12. pag. 80. Concilia adversus Elipandum sæculo 9. cap. 7. pag. 155. Concilia Hispaniarum non regni erant comitia sæculo 7. cap. 4. pag. 86.*
*Cresconius Colimbriensis Episcopus sæculo 11. cap. 1. §. 2. pag. 169.*
*Curatorum primitivorum origo sæculo 7. cap. 3. §. 7. pag. 65.*

## D

*Decalvationis supplicium apud Gothos sæculo 7. cap. 3. §. 13. pag. 83.*
*Detractores Episcoporum qua pœna punirentur sæculo 7. §. 7. cap. 3. pag. 65.*
*Diaconi ante 25. ætatis annum non ordinabantur sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 33. eorum superbia erga Presbyteros dānatur pag. 36. eorum vestes in Sacrificio sæculo 11. cap. 3. §. 2. pag. 188.*

Digitized by Google

*Disciplina circa Clericos sæculo* 11. *cap.* 3. §. 2. *pag.* 189.
*Didacus Colimbriensis Episcopus sæculo* 10. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 167.
*Divisiones Sedium Episcopalium sub Wamba sæculo* 7. *cap.* 3. §. 8. *pag.* 69.
*Ducum auctoritas in Hispaniis sæculo* 7. *cap.* 6. *pag.* 104. *quomodo creabantur: ibidem.*
*Dulcidius Bracarensis Episcopus incertus sæculo* 9. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 122.
*Dulcidius Visensis Episcopus sæculo* 10. *cap.* 1. §. 4. *pag.* 173.
*Dumienses Episcopi sæculo* 7. *cap.* 1. §. 12. *pag.* 22. *sæculo* 9. *cap.* 1. §. 7. *pag.* 129. *sæculo* 10. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 175.
*Dumii Abbas alius erat ab Episcopo Dumiensi sæculo* 7. *cap.* 8. §. 1. *pag.* 110.
*Dumiensis Ecclesia ad Mindoniensem non fuit translata sæculo* 10. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 178. *Bracarensi Sedi unita: ibidem.*
*Duplicia Monasteria Monialium, & Monachorum sæculo* 7. *cap.* 8. §. *pag.* 117.

# E

ECha *Arabum Rex à Comite Henrico captus sæculo* 11. *cap.* 5. *pag.* 215.
*Ecclesiarum Œconomi ex proprio Clero sumebantur sæculo* 7. *cap.* 3. §. 1. *pag.* 38.
*Egica Gothorum Rex, & ejus gesta sæculo* 7. *cap.* 5. *pag.* 102.
*Elipandi Toletani errores sæculo* 9. *cap.* 7. *pag.* 155.
*Emila Colimbriensis Episcopus sæculo* 7. *cap.* 1. §. 7. *pag.* 17.
*Eleutherius Archidiaconus Lusitanus, ejusque ambitio sæculo* 7. *cap.* 9. *pag.* 119.
*Episcopi Eborenses sæculo* 7. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 11. *Egitanienses sæculo* 7. *cap.* 1. §. 8. *pag.* 19. *sæculo* 8. *cap.* 1. §. 5. *pag.* 125. *Emeritenses sæculo* 7. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 7. *sæculo* 8. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 123. *Colimbrienses sæculo* 7. *cap.* 1.

Digitized by Google

§. 7. *pag.* 16. *ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 126. *ſæculo* 10. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 167. *Lamecenſes ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 8. *pag.* 18. *ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 5. *pag.* 125. *Olyſiponenſes ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 4. *pag.* 13. *ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 4. *pag.* 124. *Oſſonobenſes ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 16. *ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 124. *Viſenſes ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 10. *pag.* 20. *ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 5. *pag.* 125. *ſæculo* 10. *cap.* 1. §. 4. *pag.* 173. *Pacenſes ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 16. *ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 124.

*Epiſcopi ſedebant, & ſubſcribebant in Conciliis ſecundum ordinationis tempus ſæculo* 11. *cap.* 2. §. 3. *pag.* 184. *Eorum translationes ad Concilia pertinebant ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 6. *Eorum electio penes Clerum, & populum ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 9. *Reſidentia in Feſtivitatibus Paſchæ, ac Nativitatis Domini ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 7. *pag.* 63. *Viſitationes quanto tempore, & quibus expenſis ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 4. *pag.* 49.

*Errores per Luſitaniam ſæculo* 9. *cap.* 7. *pag.* 154.

*Ermulphus Colimbrienſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 7. *pag.* 16.

*Ervigius Gothorum Rex ſæculo* 7. *cap.* 5. *pag.* 102.

*Etherius Uxamenſis Epiſcopus adverſus Elipandum ſæculo* 9. *cap.* 7. *pag.* 154.

*Euchariſtiæ materia ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 13. *pag.* 84.

*Eugenius Abbas Laurbanienſis ſæculo* 9. *cap.* 5. *pag.* 152.

*Eunegus Portugalenſis Epiſcopus ſæculo* 11. §. 3. *cap.* 1. *pag.* 171.

*Exarnus Epiſcopus Pacenſis ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 16.

# F

*Farnus Viſenſis Epiſcopus ſæculo* 7. §. 10. *pag.* 20.

*Fauſtinus Bracarenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 6. *Al Hiſpalenſem Sedem translatus ibid. ejus translatio Bracarenſi Primatui non officit pag.* 7.

*Felix Portugalenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 11. *pag.* 21.

Digitized by Google

21. *ad Bracarenſem Sedem translatus ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 122.
*Felix Urgelitanus Elipandi ſectator ſæculo* 9. *cap.* 7. *pag.* 156.
*Ferdinandus Luſitaniæ, ac Hiſpaniarum Rex ſæculo* 11. *cap.* 4. *pag.* 202. *regnum dividit pag.* 204.
*Ferdiſendus, aut Froarengus Bracarenſis Epiſcopus incertus ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 122.
*Fidei juramentum erga Regem, ejuſque incolumitatem ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 1. *pag.* 42.
*Filimirus Lamecenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 8. *pag.* 18.
*Filii Regum Reges quoque appellabantur ſæculo* 9. *cap.* 4. *pag.* 148.
*Fionicus Lamecenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 8. *pag.* 18.
*Flavius Portugalenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 11. *pag.* 21.
*Florentia Virgo Monialis Monaſterii Arcenſis ſæculo* 7. *cap.* 8. §. 2. *pag.* 116.
*Froarengus Colimbrienſis Epiſcopus ſæculo* 10. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 167.
*Froarengus Portugalenſis Epiſcopus incertus ſæculo* 10. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 171.
*Froaricus Portugalenſis Epiſcopus, & ejuſdem doctrina ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 11. *pag.* 21.
*Froila Gallæciæ Comes Gallæciam invadit ſæculo* 9. *cap.* 4. *pag.* 147.
*Froila Ordonii fratris regnum invadit ſæculo* 11. *cap.* 4. *pag.* 104.
*Froila Luſitaniæ Rex, & ejus geſta ſæculo* 8. *cap.* 4. *pag.* 140.
*Fructuoſus Bracarenſis Epiſcopus, & ejus ſanctitas ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 5. *ipſius reliquiæ Compoſtellam translatæ ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 12.



Digitized by Google

# G

*Garcias Alphonſi Magni filius Luſitaniæ Rex ſæculo* 10. *cap.* 4. *pag.* 190.
*Garcias Portugaliæ Rex Ferdinandi filius ſæculo* 11. *cap.* 4. *pag.* 204. *bellum init cum fratribus : ibidem.*
*Germanus Dumienſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 12. *pag.* 22.
*Germaniæ plurima Monaſteria ad conſuetudinem Dumienſis ſæculo* 7. *cap.* 8. §. 1. *pag.* 110.
*S. Germanus, & Servandus Martyres Luſitani ſæculo* 9. *cap.* 5. *pag.* 151.
*S. Giraldus Bracarenſis Epiſcopus, ejus geſta ſæculo* 11. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 166.
*S. Goldroſus Canonicus Regularis ſæculo* 11. *cap.* 7. *pag.* 264.
*Goma Olyſiponenſis Epiſcopus, & ejus virtutes ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 4. *pag.* 13.
*Gomaldus Colimbrienſis Epiſcopus ſæculo* 10. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 167.
*Gomadus Portugalenſis Epiſcopus ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 7. *pag.* 129.
*Gomes Viſenſis Epiſcopus ſæculo* 10. *cap.* 1. §. 4. *pag.* 174.
*Gondulfus Lamecenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 8. *pag.* 18.
*Gothorum regnum electivum ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 2. *pag.* 43. *ipſorum leges, ac judicia cap.* 7. *pag.* 109. *eorum regni, & Sacerdotii ſumma concordia ſæculo* 7. *cap.* 4. *pag.* 87. *eorum proceres quo jure conciliis adeſſent, ac ſubſcriberent ſæculo* 7. *cap.* 4. *pag.* 88.
*S. Gregorii VII. Epiſtolæ ad Hiſpanos ſæculo* 11. *cap.* 2. §. 2. *pag.* 179. *& ſeq.*
*Gundemarus Viſenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 10. *pag.* 20.
*Gundemarus Rex, ac ejus dotes ſæculo* 7. *cap.* 5. *pag.* 92. *ejus geſta : ibidem.*

Digitized by Google

*Gundemirus Visensis Episcopus sæculo* 10. *cap.* 1. §. 4. *pag.* 173.
*Gundesindus Colimbriensis Episcopus sæculo* 10. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 168.
*Gundisalvus Orosius Colimbriensis Episcopus sæculo* 10. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 167.

# H

*Hausberti Hispalensis chronicon suppositum sæculo* 9. *cap.* 6. *pag.* 153.
*Hegira Arabum quando incepit sæculo* 8. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 129.
*Helias, & Socii Martyres Lusitani sæculo* 9. *cap.* 5. *pag.* 141.
*Henricus Comes Portugaliæ Dominus, ejus pietas, & gesta sæculo* 11. *cap.* 5. *pag.* 209.
*Hermigildus Bracarensis Præsul sæculo* 10. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 164.
*Hermigildus Visensis Episcopus sæculo* 10. *cap.* 1. §. 4. *pag.* 173.
*Hermogius Portugalensis Episcopus sæculo* 10. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 171.
*Herus, sive Heronius Bracarensis Præsul sæculo* 10. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 164.

# I

*S. Jacobus Hispaniarum Protector pro Hispaniis contra Mauros visus est præliari sæculo* 11. *cap.* 4. *pag.* 196. *& pag.* 265.
*Jacobus Lamecensis Episcopus sæculo* 10. *cap.* 1. §. 5. *pag.* 174.
*Janellus Joannis X. Romani Pontificis in Hispaniis legatus sæculo* 10. *cap.* 4. *pag.* 192.
*Idololatria extirpatur sæculo* 7. *cap.* 3. §. 13. *pag.* 83.

Digitized by Google

*Indictionum diversitas, ac earum initium sæculo 7. cap. 2. §. 1. pag. 25.*
*Innocentius Emeritensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 2. pag. 7.*
*Inquila Visensis Episcopus sæculo 10. cap. 1. §. 4. pag. 173.*
*Joannes Hispalensis Episcopus Sacras Scripturas Arabice vertit sæculo 8. cap. 4. pag. 137.*
*Joannes Laurbanensis Monachus, & ejus gesta sæculo 9. cap. 8. pag. 158.*
*Joannes Pacensis Episcopus Conciliorum Judex sæculo 7. cap. 1. §. 5. pag. 15.*
*S. Joannes Guarinus sæculo 10. cap. 7. §. 5. pag. 260.*
*Jozimus Eborensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 3. pag. 11.*
*Irregularitates statuuntur sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 32.*
*S. Irene Virgo Lusitana, & Martyr sæculo 7. cap. 8. §. 2. pag. 117.*
*Isidorus Pacensis Episcopus, & ejus chronicon sæculo 8. cap. 1. §. 3. pag. 124.*
*Julianus Bracarensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 1. pag. 2.*
*Julianus Comes Hispaniarum insidiator sæculo 8. cap. 4. pag. 134.*
*Juliani Toletani Episcopi Apologeticum sæculo 7. cap. 3. §. 12. pag. 81.*
*Judæi ne cogerentur ad religionem amplectendam sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 40.*
*Judæis leges impositæ sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 40. & pag. 83.*

# L

*Laimundus Ortega Scriptor Lusitanus sæculo 9. cap. 6. pag. 152.*
*Lamecensis Ecclesia quando sub Episcopis Colimbriensibus sæculo 10. cap. 1. §. 5. pag. 174.*
*Landericus Olysiponensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 4. pag. 14.*

Digitized by Google

*Landus Emeritenſis Epiſcopus ſæculo 9. cap. 1. §. 1. pag.* 124.
*Laurbanienſes Monachi apud Montem maiorem, ac eorum geſta ſæculo 9. cap. 8. pag.* 158.
*Lauſa Viſenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 10. pag.* 20.
*Leges Gothorum quando inceperint, & quo Auctore in volumen acceſſerint ſæculo 7. cap. 7. pag.* 108. *Municipales Vimarani ſæculo* 11. *cap. 5. pag.* 213. *Colimbriæ pag.* 219. *Saurii pag.* 221. *Zalatanes pag.* 222.
*Leo II. acta Sextæ Synodi ad Epiſcopos Hiſpanos mittit ſæculo 7. cap. 2. §. 1. pag.* 23. *Leonis Epiſtola adverſus Baronium vindicatur pag.* 24.
*Leodiciſius Bracarenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 1. pag.* 5. *Bracaræ Concilium convocavit : ibidem.*
*Liberti Eccleſiæ ad quid tenebantur ſæculo 7. cap. 3. §. 1. pag.* 42. *&* 68. *ſimul ac Servi ad Officia Palatina non evehebantur §.* 11. *pag.* 79.
*Licerius Egitanienſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 9. pag.* 19.
*Liuva Bracarenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 1. pag.* 5.
*Liuba Rex, ac ejus geſta ſæculo 7. cap. 5. pag.* 91.
*Lucenſis Eccleſia Luſitaniæ Metropolis ſæculo 9. cap. 2. pag.* 130.

# M

*Mahometus quo tempore legem ſuam protulit ſæculo 7. cap. 5. pag.* 93.
*Mamicinus Bracarenſis Epiſcopus incertus ſæculo 7. cap. 1. pag.* 2.
*Martinus Colimbrienſis Epiſcopus ſæculo* 11. *cap.* 1. *§. 2. pag.* 169.
*Martinus Moniz Colimbriæ Præfectus ſæculo* 11. *cap. 4. pag.* 206.
*Mauregatus Hiſpaniæ Tyrannus ſæculo 9. cap. 4. pag.* 142.
*Maximus Emeritenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 2. pag.* 10.

Digitized by Google

*S. Meinradus, aut Ancirardus Monachus in Lusitania sæculo 9. cap. 8. pag. 158.*
*Menses Arabum sæculo 11. pag. 275.*
*Miro Colimbriensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 7. pag. 17.*
*Mironius Lamecensis Episcopus sæculo 8. cap. 1. §. 5. pag. 125.*
*Missæ Mosarabicæ ritus sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 32.*
*Missæ plurimæ eadem die ab uno Sacerdote sæculo 7. cap. 3. §. 7. pag. 66.*
*Modarius Pacensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 5. pag. 15.*
*Monasteria Lusitaniæ sæculo 7. cap. 8. §. 1. pag. 110. de Montelios: ibidem. S. Michaelis de Refoios pag. 111. S. Mariæ Mirandulensis pag. 112. Ecclesiolæ sæculo 11. cap. 6. pag. 226. Moreriæ pag. 237. Villæbonæ pag. 239. S. Simonis de Junquaria pag. 240. Vilelæ pag. 241. Arganilense pag. 244. S. Petri Ratensis pag. 243. S. Martini de Caramos pag. 239. de Pendorada, & Vacariça pag. 246. S. Martini de Soalhaes pag. 249. S. Tirsi pag. 247. & alia plurima sæculo 7. cap. 8. §. 1. pag. 110.*
*Monachi sub Episcopis erant quomodo sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 38.*
*Monachorum genus vagum prohibetur sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 39. quorumdam mores §. 4. pag. 50. eorum, & Monialium religiosam vitam relinquentium pœna pag. 45.*
*Monosonsus Egitanensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 9. pag. 19.*
*Montesius Egitanensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 9. pag. 19.*
*Morabitinorum valor sæculo 11. cap. 6. pag. 234.*

## N

*Naustus Colimbricnsis Episcopus sæculo 9. cap. 1. §. 6. pag. 126.*
*Nemo condemnabatur, nisi à legitimo accusatore delatus sæculo 7. cap. 3. §. 3. pag. 46.*

Digitized by Google

*Neufridius Olyſiponenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 4. pag. 13.*
*Nonius Dumienſis Epiſcopus ſæculo 10. cap. 1. §. 6. pag. 177.*
*Normanorum claſſis Gallæciam venit ſæculo 9. cap. 4. pag. 145. Olyſiponem tranſeunt: ibidem.*
*Noſtranus Bracarenſis Epiſcopus incertus ſæculo 9. cap. 7. §. 1. pag. 122.*
*Numeri quibus utebantur veteres ſæculo 11. cap. 11. pag. 275.*

## O

*OBlationum diſtributio, ad quos pertineret ſæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 35. & 65.*
*Officium Mozarabicum, ejus Auctor & origo ſæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 31. à S. Gregorio VII. in Hiſpaniis quomodo prohibitum ſæculo 11. cap. 2. §. 2. pag. 180. ejus ritus ſæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 30. & 31.*
*Officia Palatina, ac eorum differentia ſæculo 7. cap. 6. pag. 103.*
*Olyſipo à Mauris capta ſæculo 8. cap. 1. §. 6. pag. 124.*
*Olyſiponenſis Patriarcha Portugaliæ Reges ſolet inungere ex Decreto Clementis XI. ſæculo 7. cap. 5. pag. 100.*
*Oppæ Hiſpalenſis Epiſcopi aſtutia ſæculo 8. cap. 4. pag. 138.*
*Oratio Dominica quotidie recitanda ſæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 29.*
*Ordonius I. Luſitaniæ Rex, & ejus geſta ſæculo 9. cap. 4. pag. 146.*
*Ordonius II. Luſitaniæ Rex ſæculo 9. cap. 4. pag. 148. ejus geſta ſæculo 10. cap. 4. pag. 190.*
*Ordonius III. ſæculo 10. cap. 4. pag. 197.*
*Ordonius IV. cognomento Craſſus ſæculo 10. cap. 4. pag. 197.*
*Orontius Emeritenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 2. pag. 8.*
*Ovetenſis Eccleſia Luſitaniæ Metropolis ſæculo 9. cap. 2. pag. 130.*

Digitized by Google

# P

*Pacensis Ecclesia celeberrimis Pastoribus decorata sæculo 7. cap. 1. §. 5. pag. 15.*
*Pœna in eos, qui in Regis, ac patriæ perniciem conspirarent sæculo 7. cap. 3. §. 13. pag. 85.*
*Pœnitentiæ addicebantur, qui eam non postulabant, sed inviti acceperant sæculo 7. cap. 3. §. 10. pag. 75.*
*Panoratius Bracarensis Episcopus incertus sæculo 7. cap. 1. §. 1. pag. 2.*
*Paschæ tempus à Metropolitis designabatur sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 27.*
*Paræciæ singulis annis ab Episcopo visitabantur sæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 35.*
*Paternus Colimbriensis Episcopus sæculo 11. cap. 1. §. 2. pag. 168.*
*Paulus Diaconus Emeritensis sæculo 7. cap. 9. pag. 120.*
*Pelagius Cantabriæ Dux, & ejus gesta sæculo 8. cap. 4. pag. 137.*
*S. Pelagius Martyr Colimbriensis sæculo 7. cap. 7. pag. 253.*
*Pelagianorum secta in Lusitania Maurorum tempore sæculo 9. cap. 7. pag. 157.*
*Petrus Bracarensis Episcopus sæculo 11. cap. 1. §. 1. pag. 165. alio nomine Paulus Monius: ibidem.*
*Petrus Colimbriensis Episcopus sæculo 11. cap. 1. §. 2. pag. 168.*
*Petrus Eborensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 3. pag. 12.*
*Pimenius Dumiensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 12. pag. 22.*
*Potamius Bracarensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 1. pag. 3. ejusdem depositio: ibidem.*
*Portugalenses Episcopi sæculo 7. cap. 1. §. 11. pag. 21. sæculo 9. cap. 1. §. 7. pag. 129.*
*Prælatorum inordinata potestas erga subditos Clericos coercetur sæculo 7. cap. 3. §. 9. pag. 74.*

*Pres-*

Digitized by Google

*Presbyterorum vestes in Sacrificio sæculo* 11. *cap.* 3. §. 2. *pag.* 188. *ante* 30. *annum non ordinabantur sæculo* 7. *cap.* 3. §. 1. *pag.* 33.
*Primiceriorum officium sæculo* 7. *cap.* 3. §. 5. *pag.* 53.
*Proficuus Emeritensis Episcopus Concilium convocat suæ provinciæ sæculo* 7. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 9.
*Profuturus Lamecensis Episcopus sæculo* 7. *cap.* 1. §. 8. *pag.* 18.
*Pueri à parentibus Monasteriis oblati sæculo* 7. *cap.* 3. §. 6. *pag.* 59.

## Q

*Quinta Synodus quando ut Œcumenica non est habita in Hispaniis sæculo* 7. *cap.* 3. §. 12. *pag.* 81.
*Quiricius Bracarensis Episcopus incertus, sed Toletanus sæculo* 7. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 5.

## R

*Ranimirus Lusitaniæ Rex sæculo* 9. *cap.* 4. *pag.* 144.
*Ranimirus II. Lusitaniæ Rex sæculo* 10. *cap.* 4. *pag.* 196. *ejus filii pag.* 197.
*Ranimirus III. Lusitaniæ Rex sæculo* 10. *cap.* 4. *pag.* 198.
*Rasis Maurus sæculo* 10. *cap.* 9. *pag.* 269.
*Reccaredus II. Gothorum Rex sæculo* 7. *cap.* 5. *pag.* 94.
*Recceswinthus Gothorum Rex, ac ejus gesta sæculo* 7. *cap.* 5. *pag.* 96.
*Rechimirus Dumiensis Episcopus sæculo* 7. *cap.* 1. *pag.* 22.
*Regum salus, Regumque filiorum vindicatur sæculo* 7. *cap.* 3. §. 2. *pag.* 43. 46. 58.
*Regum Gothorum electio ubi fieret, & à quibus sæculo* 7. *cap.* 3. §. 5. *pag.* 56.
*Regum Legionensium stemma sæculo* 8. *cap.* 4. *pag.* 139.
*Regula S. Fructuosi in quibusdam alia ab Augustiniana, & Benedictina sæculo* 7. *cap.* 8. §. 1. *pag.* 112.



Digitized by Google

*Erga Reges ſubditorum fidelitas ſæculo 7. cap. 3. §. 2. pag. 44.*
*Renatus Ermulphi Colimbrienſis Vicarius ſæculo 7. cap. 1. §. 17. poſtea Colimbrienſis Epiſcopus: ibidem.*
*Renovatus Emeritenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 2. pag. 8.*
*Reparatus Viſenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 10. pag. 20.*
*Reſidentia Epiſcoporum ſæculo 7. cap. 3. §. 4. pag. 50.*
*Rici homines ſæculo 11. cap. 10. pag. 271.*
*Ritus idem per Hiſpanias, & Galliam Gothicam ſæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 27.*
*Ritus, quo Clerici depoſiti priſtinum gradum recuperabant ſæculo 7. cap. 3. §. 1. pag. 34.*
*Rodericus Gothorum Rex, ejus geſta, & mors ſæculo 8. cap. 4. pag. 134. & ſeq.*
*Rodericus Dumienſis Epiſcopus ſæculo 10. cap. 1. §. 6. pag. 175.*
*S. Rudeſindus II. Dumienſis Epiſcopus, ejus geſta ſæculo 11. cap. 1. §. 6. pag. 175.*

## S

*Sabericus Dumienſis Epiſcopus ſæculo 10 cap. 1. §. 6. pag. 175.*
*Sacerdotes in ſingulis Miſſis, quas ſingulis diebus agebant, corpus, & ſanguinem Domini ſuſcipiebant ſæculo 7. cap. 3. §. 10. pag. 73.*
*Sacrificium ab uno Sacerdote inceptum, ſi infirmitas adveniret ab alio compleretur ſæculo 7. cap. 3. §. 4. pag. 46.*
*In Sacrificio panis, & vinum aqua permixtum tantum debet offerri ſæculo 7. cap. 3. §. 9. pag. 71.*
*Sanctius Craſſus Luſitaniæ Rex, ejus geſta ſæculo 10. cap. 4. pag. 198.*
*S. Sanctia Infanta ſæculo 11. cap. 7. pag. 262.*
*Saturninus Pacenſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 6. pag. 16.*
*Selva Egitanienſis Epiſcopus ſæculo 7. cap. 1. §. 9. pag. 19.*
*Selvæ querelæ in Emeritenſi Concilio: ibidem.*

Digitized by Google

*S. Senorina ſæculo* 10. *pag.* 258.
*Servanda Vigo Monialis ſæculo* 7. *cap.* 8. §. 2. *pag.* 116.
*Servandus Colimbrienſis Epiſcopus ejus zelus ſæculo* 8. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 126.
*Seſnandus Levita Luſitanus, & Martyr ſæculo* 9. *cap.* 5. *pag.* 150.
*Seſnandus Portugalenſis Epiſcopus ſæculo* 11. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 171.
*Seſnandus Colimbriæ Præfectus, & ejus geſta ſæculo* 11. *cap.* 4. *pag.* 203. 205. & 207.
*Sexta Synodus in Hiſpaniis poſt Chalcedonenſem numerata ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 12. *pag.* 81.
*Silo Luſitaniæ Rex ſæculo* 9. *cap.* 4. *pag.* 141.
*Simoniacocum Clericorum pœna ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 3. *pag.* 45. & 54.
*Sisbertus Toletanus in Regem conſpiravit ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 1. *pag.* 6.
*Sisberti Toletani depoſitio ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 13. *pag.* 84.
*Siſebutus Rex, ac ejus dotes ſæculo* 7. *cap.* 5. *pag.* 92.
*Siſenandus Gothorum Rex, ac ejus geſta ſæculo* 7. *cap.* 5. *pag.* 94.
*Siſibertus Colimbrienſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 7. *pag.* 17.
*Siſiſclus Eborenſis Epiſcopus, & ejus dotes ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 11.
*Soarius Dumienſis Epiſcopus ſæculo* 10. *cap.* 1. §. 6. *pag.* 177.
*Soarius Fromarigues Eques Luſitanus ſæculo* 11. *cap.* 6. *pag.* 226.
*Sona Britonienſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 13. *pag.* 23.
*Sonus in Officio Mozarabum quid ſit ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 7. *pag.* 61.
*Stephanus Emeritenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 8.
*Stephanus II. Emeritenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 9.
*Subdiaconatus ordo ſacer ſæculo* 7. *cap.* 3. §. 5. *pag.* 55.

Digitized by Google

*Suintila Gothorum Rex, ac ejus gesta sæculo 7. cap. 5. pag. 94.*
*Supplicium ferri candentis per Lusitaniam sæculo 9. cap. 9. pag. 162. ab Hebræis acceptum: ibidem.*

# T

*Tarasia Comitis Henrici uxor filia legitima Alphonsi VI. sæculo 11. cap. 5. pag. 210.*
*Testamenti Martini Dumiensis exequutio sæculo 7. cap. 3. §. 6. pag. 59. ac Richimiri Dumiensis pag. 60.*
*Theodiscolus Episcopus Lamecensis sæculo 7. cap. 1. §. 8. pag. 18.*
*Theodefredus Visensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 10. pag. 21.*
*Theodomirus Visensis, & non Egitanensis Episcopus sæculo 9. cap. 1. §. 5. pag. 125.*
*Theodomirus Colimbriensis Episcopus incertus sæculo 9. cap. 1. §. 6. pag. 126.*
*Theodomirus Laurbanii Prior sæculo 9. cap. 8. pag. 160.*
*Theodoredus Pacensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 5. pag. 15. ejus Vicarii in Concilio: ibidem.*
*Theodoricus Olysiponensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 4. pag. 14.*
*Tiberinus Presbyter Lusitanus sæculo 9. cap. 5. pag. 150.*
*Tiuphaudi Officium sæculo 7. cap. 6. pag. 106.*
*Toletanus Antistes Metropolita Carthaginensis Provinciæ factus sæculo 7. cap. 1. §. 2. pag. 7.*
*Tolobeus Bracarensis Episcopus incertus sæculo 7. cap. 1. §. 1. pag. 2.*
*Tractemundus Eborensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 3. pag. 12.*
*Tributum fœminarum è Lusitanis Mauris solutum sæculo 9. cap. 4. pag. 142. & 144.*
*Tulga Gothorum Rex, ac ejus gesta sæculo 7. cap. 5. pag. 96.*
*Turris Monasterium sæculo 7. cap. 8. pag. 111.*
*Turonicum sæculo 7. cap. 8. §. 1. pag. 112.*

Digitized by Google

# V

*ERga Vasa sacra reverentia sæculo 7. cap. 3. §. 9. pag. 72.*
*Veliulfus Colimbriensis Episcopus sæculo 10. cap. 1. §. 2. pag. 168.*
*Veremundus Lusitaniæ Rex sæculo 9. cap. 4. pag. 142.*
*Veremundus III. Lusitaniæ Rex sæculo 10. cap. 4. pag. 202.*
*S. Victoris Monasterium sæculo 7. cap. 8. §. 1. pag. 111.*
*Victor Bracarensis Præsul, & Martyr sæculo 8. cap. 1. §. 1. pag. 122.*
*Viduarum professio quomodo sæculo 7. cap. 3. §. 6. pag. 58.*
*Villarense Monasterium sæculo 7. cap. 8. §. 1. pag. 111.*
*Vargense in Bratia : ibidem.*
*Vincentius Olysiponensis Episcopus incertus sæculo 7. cap. 1. §. 4. pag. 14.*
*Vincentius Dumiensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 12. pag. 22.*
*Unctio regia à Gothis in Hispania cœpit, indeque ad alias nationes venit sæculo 7. cap. 5. pag. 100.*
*Urbani II. Epistola de Primatu Toletanæ Ecclesiæ sæculo 11. cap. 2. §. 3. pag. 182. & seq.*
*Wamba Gothorum Rex, ejus electio, ac gesta sæculo 7. cap. 5. pag. 98. ejus pœnitentia pag. 101.*
*Waricus Olysiponensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 4. pag. 13. ejus zelus adversus infideles : ibidem.*
*Widila Visensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 10. pag. 20.*
*Wilesonsus Visensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 10. pag. 21.*
*Vitalis sententia de Ricis hominibus sæculo 11. cap. 10. pag. 273.*
*Witaricus Lamecensis Episcopus sæculo 7. cap. 1. §. 8. pag. 18.*
*Witericus Gothici regni invasor sæculo 7. cap. 5. pag. 91.*
*Witiza Gothorum Rex, & ejus gesta sæculo 8. cap. 4. pag. 133.*

Digitized by Google

# X

*Xmena, unde illuſtris dos Telles, & Menezes familiæ ortum ducit ſæculo* 11. *cap.* 4. *pag.* 193. *ejus fortuna: ibidem.*
*Ximena Mater Reginæ Taraſiæ ſæculo* 11. *cap.* 5. *pag.* 212.

# Z

*Zeno Emeritenſis Epiſcopus incertus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 20.
*Zozimus II. Eborenſis Epiſcopus ſæculo* 7. *cap.* 1. §. 3. *pag.* 12.

# FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

